


INTERPRETATIO
SACRAE
SCRIPTVRAE
PER
OMNES VETERIS
ET
NOVI TESTAMENTI
LIBROS
AB

JOANNE NEP. ALBER
CLERICO REGVLARI E SCHOLIS PIIS, S. THEOLOGIAE DOCTORE, LINGVARVM ORIENTALIVM, ET SACRAE SCRIPTVRAE IN ARCHI-EPISCOPALI LYCEO COLOCENSI PROFESSORE.

IN TOMO X.
JEREMIAS, THRENI, BARVCH, EZECHIEL.

CVM FACVLTATE SVPERIORVM ET ADPROBATIONE PER CENSVRAM.

PESTHINI,
TYPIS MATTHIAE TRATTNER.
M. DCCC. III.

JEREMIAS.

PRAEFATIO.

INTER Prophetas maiores alter est Jeremias, filius Helciae, sacerdos ex Anathoth, qui vicus fuit in tribu Benjamin. Munus suum auspicatus est, ut ipse initio sui libri exponit, anno Josiae regis decimo tertio. Qui annus mundi fuit 3318. ante Christum natum 632. Gessit autem illud ad captam usque et vastatam Jerusalem per Chaldaeos sub rege Sedecia, et ultra: siquidem relictus a Chaldaeis in Judaea cum iis, quos agrorum colendorum causa in Judaea reliquerant, ab his deinde abductus sit in Aegyptum, quod postea etiam in hoc libro narrabitur. Ibi autem, quid ei acciderit, nec in hoc libro, nec alibi uspiam in Scriptura memoratur. S. Hieronymus l. 2. contra Jovinianum, et S. Epiphanius de vita, et morte Prophetarum ex Judaeorum traditione docent lapidibus ibi ipsum esse obrutum ab illis iisdem Judaeis, qui secum illum in Aegyptum duxerant, cuius obiurgationes ferre nollent. Prophetiae ipsius adcurate iuxta ordinem temporis digestae in hoc libro non sunt. Quod iam etiam Origenes in epistola ad Africanum, et S. Hieronymus in Praefatione ad

hunc librum observavit. Erant fortasse illius prophetiae aliae in aliis voluminibus descriptae, quaeque deinde collectae simul in hoc modernum volumen sint non habita ratione temporis, quo ab ipso pronunciatae, et editae sunt. Multa in hoc suo libro Jeremias interponit historica. Quare in eo tractando, et explanando facilitas iam est maior, quam fuerit in Isaia. Praeter hunc autem praesentem librum existit alter adhuc eius liber, qui Threnos, et lamentationem continet, qua deploravit Jerosolymam, eiusque templum vastatum per Chaldaeos. Qua de re ad illum librum proprius adhuc erit dicendi locus.

SYNOPSIS.

CAP. 1. Jeremias sub Josia rege constitutus a Deo propheta et confirmatus, ne eos timeret, ad quos mittebatur, tametsi aetate puer esset; videt primo virgam nuceam, tum vero ollam succensam, Deusque ei demonstrat se vigilaturum super verbo suo, ut effectum illud det, ab Aquiloneque, ex qua parte viderat ollam, adducturum se malum super omnes habitatores terrae. *Cap.* 2. Perpetuam defectionem ab eius cultu, et sui prostitutionem falsis diis, qui ipsis nihil prodesse potuerunt, obiicit Deus, et exprobrat Jerosolymae, et Judaeis. *Cap.* 3. Paratum se Deus offert ad Jerusalem recipiendam in gratiam, etiamsi ita foedata esset, tantum illa reverti ad eum velit. Unum ex civitate, duos ex cognatione dicit se Deus assumpturum ex illis. Hi, qui redeunt, agnoscunt, et pudet illos stultitiae, qua deserto Deo idola coluerint, quae nihil illis prodesse poterant. *Cap.* 4. Monetur autem, ut si reverti ad Deum velit, istud omnino sincere faciat, et praeputia cordium a se auferat. Apparatus deinde hostilis adventus describitur adversus eamdem Jerusalem, illiusque futura vastatio. *Cap.* 5. Jerosolymae se parsurum ostendit Deus, si unus reperiretur iustus. Omnibus autem corruptis, et ad impietatem proiectis, hosti se se eam traditurum iterum confirmat, sed non ad eius totam consumptionem. *Cap.* 6. Speculatores docet se Deus constituisse super Jerusalem,

hoc est Prophetas, qui eam revocarent metu poenarum ad frugem, sed illam similem argento reprobo, quod fieri purum non potest, elusisse omnem operam sibi exhibitam. *Cap.* 7. Prophetam iubet Deus stare prae foribus templi, et intrantibus annunciare ut resipiscant, nec templum in quo confiderent, ne Deus in illorum flagitia animadvertat, urbemque perdat, ipsis praesidio futurum. Monet Jeremiam Deus, ne vel pro iis preces suas interponat, quas suscepturus ipse non sit, cum illi obstinati adversus eum, eiusque legem sint. *Cap.* 8. Demonstratur calamitatem, quam experturi per Chaldaeos essent, tantam futuram, ut ne a tumulis quidem, et mortuorum cadaveribus ipsorum regum abstineant hostes, quorumque ossa e sepulchris eiecturi sint, vivos autem ita premendos malis, ut mori praeoptent, quam miserabilem vitam diutius trahere. *Cap.* 9. Dolet Deo, quod Jerusalem vastanda sit hostili gladio: a se vero populum derelinqui, quod omnes adulteri sint. Monentur Judaei, ut lamentatrices sibi conducant, quae funera ipsorum deplorent. Deinde docet, nec in sapientia sapienti, nec in divitiis diviti, vel in robore, et viribus esse robusto gloriandum, sed in hoc uno, si sciat Deum: et cum aliae gentes incircumcisae sint carne, Israelitas esse incircumcisos corde. *Cap.* 10. Monet Propheta Judaeos, ne more gentilium sibi a signis caelestibus siderum metuerent, esse hanc vanam observantiam, prout et ipsa idola sint nihilum, et inanitas, stultitiaque sit illa colere. In Jerosolymam

deinde iterum stilum Propheta vertit de eo, quod ipsi impenderet, exitio. *Cap.* 11. Hortaturque Judaeos, ut pactum, quod Deus pepigit cum eorum patribus, servent. Quod dum illi facere nolunt, monet Deus Prophetam, ne vel pro illis oret, quos ipse consumpturus sit suppliciis. Demonstrat ei studia, et consilia eorum, de perdendo ipso, tametsi nihil ipsis nocuisset. *Cap.* 12. Adhaerescit Propheta in cogitatione, cur Deus impiis prosperitatem concederet, a quibus male habebatur. Is vero ei demonstrat graviora adhuc esse laturum. Suam vero haereditatem, quae more leonis adversus eum consurrexisset, dicit traditurum esse hostibus, sed a quibus rursus populum suum recuperaturus sit, et revocaturus ad patrium solum. *Cap.* 13. Cingulo lineo se Propheta iussu Dei praecingit: tum vero illud ferre ad Euphratem, et defodere iubetur, et post aliquod tempus rursus recipere. Quod cum putrefactum esset, demonstrat Deus, se etiam populum suum penitus corruptum a se esse proiecturum. Hortatur eos ad poenitentiam, sed quam ostendit non esse acturos, qui iam benefacere nesciant, postquam didicere agere male. *Cap.* 14. Siccitatis poenam iubet illum Deus illis denunciare, famisque ex ea magnitudinem deinde demonstrat. Cum vero pseudoprophetae impunitatis spe lactavissent populum, nec famem, vel gladium esse metuendum dicerent; his ipsis poenis illos esse perituros pronunciat. *Cap.* 15. Declarat Deus ita se se decrevisse captivitatis poenam illis inferre, ut etiamsi Moy-

ses, et Samuel intercederent, quod statuit, mutaturus non sit. Gemit Propheta propter insectationes, et maledicta, quibus eum omnes afficerent. Confirmat illius animum Deus, et veluti murum aereum adversus omnes impetus eum constituit. *Cap.* 16. Prohibet Deus Jeremiae, ne uxorem ex sua terra Israel ducat, ne ad convivium accedat aliquo, vel alicui, in luctu consolationem adhibeat, quod in exitium daturus sit universum populum. In cuius vero locum Deus iterum Israelem revocaturus sit ex Babylonia, et omnibus regnis, quo eiecti erant. *Cap.* 17. Judam esse periturum propter malitiam cordi eius insculptam, quasi stilo ferreo, vel ungve adamantino, et prostibula ararum, quas diis falsis haberent constitutas. In portis Jerusalem iussu Dei Jeremias universos hortatur ad observandum sabbatum: si secus facerent, ignem se Deus succensurum dicit in portis Jerusalem, quo tota conflagret civitas. *Cap.* 18. Exemplo figuli ex luto vas fingentis, et refingentis, cum esset destructum, instruit Jeremiam Deus sibi ita paratum esse, et in potestate alium sibi populum Israel formare priore destructo, et perdito. Cum sacerdotes, scribae, et pseudoprophetae conspiravissent adversus Jeremiam, ut eum e medio sufferrent, Deum vindicem invocat contra eos. *Cap.* 19. Vasculum testaceum iussu Dei petit Jeremias a senioribus populi, et sacerdotum, cumque pergit ad Vallem filii Ennon, et eo ibi fracto, atque comminuto docet ita hoc idem eventurum Jerosolymae, et eius habitatoribus, idemque hoc dein-

de repetit coram populi multitudine in templo. *Cap.* 20. Phassur praepositus templi caedit Jeremiam, atque in nervum eum mittit. Huic altero die Jeremias, cum esset dimissus, confirmat prophetiam de ipso etiam Phassure cum tota domo ducendo in captivitatem ad Babyloniam. Victus acerbitate malorum, quae patiebatur, maledicit etiam diei suae nativitatis. *Cap.* 21. Sedecias rex Juda, urbem Jerusalem cum obsidione cinxisset Nabuchodonosor rex Chaldaeorum, de huius rei eventu, et quid sperandum sit quaerit per nuncios ex Jeremia. Cui vero is respondet captum iri urbem propter incolarum eius malitiam. *Cap.* 22. Jeremias ad domum regis Joakim pergit, atque ibi regem, ceterosque universos hortatur ad observantiam erga Deum: docet Sellum filium regis Josiae, qui captivus in Aegyptum ductus est, non amplius esse reversurum, sed in captivitate moriturum. De Joakimo pronunciat, sepultura asini esse gavisurum; Jechoniam vero eius filium una cum matre in Babyloniam abductum iri, et unde etiam numquam redeat, nec habiturum aliquos ex se posteros, qui regiam dignitatem gerant. *Cap.* 23. In locum priorum malorum pastorum promittit Deus se Israeli daturum pastores alios bonos, regemque ex Davidis stirpe Justum, sub quo Israel sine metu habitet. In pseudoprophetas, qui dementarunt, et seduxerunt populum, denunciantur poenae, itemque in eos, qui prophetias per risum, et contemptum vocarent Onus Domini. *Cap.* 24. Post abductum Jechoniam in captivitatem

cum parte populi per Nabuchodonosorem demonstrat Deus, et declarat Jeremiae sub imagine duorum calathorum, quorum alter ficus valde bonas, alter valde malas continebat, se eorum, qui iam abducti sunt, miserturum; eos vero, qui remansissent, in calamitatem, et exitium esse daturum. *Cap.* 25. Exprobrat Judaeis Jeremias, quod ab anno decimo tertio Josiae regis, quo, munere erga eos Prophetae fungi coepit, ad annum usque quartum Joakimi, dum modo loquebatur, per annos tres, et viginti operam in illis perdiderit ad frugem reducendis. Deus calicem furore suo plenum tradit Jeremiae, et mandat, ut hunc primum Jerosolymae, et Judaeae civitatibus, deinde nationibus omnibus aliis, et ad extremum ipsi etiam regi Babylonis propinet, et ad bibendum det, et eos, quamvis renuentes, tamen cogat ad ebrietatem usque bibere. *Cap.* 26. In templo, dum iussu Dei Jeremias urbi, et templo vaticinatur vastationem, nisi resipiscerent; sacerdotes eum, et pseudoprophetae apprehendunt, in iudiciumque ducunt, atque eius supplicium deposcunt. Quem vero principes populi, nominatimque Ahicam unus de illis, cum demonstrasset non commeruisse mortem, a supplicio liberat. *Cap.* 27. In principio regni Sedeciae ad portendendam futuram captivitatem catenas, et vincula collo suo imponit Jeremias, itemque finitimarum civitatum regibus ista mittit, et nunciat, subituros universos iugum regis Babyloniae : id quod etiam Sedeciae ipsi annunciat. *Cap.* 28. Hananias catenas,

furcae autem hae erant, et iugum ligneum, e Jeremiae collo detractas confringit pronuncians, similiter confractum iri iugum regis Nabuchodonosoris de cervicibus nationum omnium. Mendacii illum arguit Jeremias, in poenamque falsae vaticinationis moriturum illum dicit eodem illo anno. Quod etiam factum est. *Cap.* 29. Literas Jeremias mittit in Babyloniam ad illos Judaeos, qui cum Jechonia rege ducti eo in captivitatem sunt, monetque eos, ne fidem adhibeant falsis vaticinationibus quorumdam, qui celeriter dicerent redituros ex captivitate, sed duraturam esse per septvaginta annos: duobusque pseudoprophetis Achabo, et Sedeciae supplicium vaticinatur, quod sumpturus ab illis Nabuchodonosor rex esset. Semejas quidam ex captivis ad sacerdotem Sophoniam literas dat, eumque obiurgat, quod Jeremiam libere sineret vaticinia edere, tamquam si falsus esset propheta. *Cap.* 30. Tali statu rerum, ut ii etiam, qui reliqui essent in Jerusalem, ex Judaea abducantur peregre in captivitatem, iubet Deus prophetam scripto consignare vaticinium, quod ei tradebat, de futura liberatione, et qua facta, revocati in terram, quam Deus patribus eorum promisit, Deum culturi sub rege suo Davide sint, contritis, er dissipatis omnibus illorum hostibus. *Cap.* 31. Ab extremisque terminis orbis terrarum esse illos convocandos undique, caecosque illos futuros, et claudos, qui nihilominus convolaturi sint ad Sionem, ubi rerum omni affluentia replebuntur. Rachelem itaque, quae ploraverat de filiis suis in

captivitatem abductis, iubet cessare a ploratu, quod hi redituri sint: illudque novum confirmat esse futurum, ut femina in utero circumdet virum. Insuper Deum etiam novum foedus, cum populo suo esse initurum, in quo legem suam scripturus sit in eorum cordibus, et quod foedus futurum sit firmum, et stabile perpetuo. *Cap.* 32. Jeremiam cum Sedecias rex posuisset ad carcerem propterea, quod de capienda Jerusalem ab Chaldaeis praedictionem fecisset; is ibi ab Hanameele patruele suo emit agrum, ut confirmaret fore, ut regio modo ab hostibus occupata rursus redeat in ditionem, et possessionem Judaeorum. *Cap.* 33. Promittit Deus se se revocaturum esse Israelitas ex captivitate, habiturosque iterum regem suum ex stirpe David, qui Dominus Justus noster sit vocandus, quique solium Davidis teneat in aeternum, cuiusque ministri Levitae, et sacerdotes Deo sacrificia etiam offerant in perpetuum. *Cap.* 34. Sedeciae Propheta denunciat captivitatem; in qua tamen non gladio periturus sit, sed obiturus pacata morte, habiturusque honorem funeris. Cum vero hortatore eodem Sedecia rege, Deo promissionem fecissent de manumittendis servis, et ancillis, genere Hebraeis, ut lex praecipiebat; hocque suum pactum postea revocavissent; denunciatur illis futurum, ut ipsi in manus, et potestatem hostium veniant. *Cap.* 35. Rechabitarum exemplo, qui propter praeceptum Jonadab patris sui semper abstinuerunt a vino, Deus redarguit Judaeos sub Joakim rege, quod minore ipsi observantia ferrentur erga

Deum, quam illi erga suum parentem. Rechabitis autem Deus promittit conservationem perpetuam familiae. *Cap.* 36. Jeremias sub Joakim rege clausus in carcere Barucho dictat librum, huncque, ut publice in templo legat, negotium ei committit. Qui liber cum ad regem perlatus fuisset; is illum conscidit, et combussit. Jeremias autem denuo eumdem librum pluribus etiam minis refertum per Baruchum, qui eius verba calamo excipiebat, scribendum curat. *Cap.* 37. Cum Chaldaei sub Sedecia rege iam obsidione cinxissent urbem Jerusalem, intermisissent autem eam, et adversus Pharaonem regem Aegypti profecti essent, qui in auxilium volebat venire Judaeorum, interrogatusque fuisset Jeremias de eventu istius negotii, respondit Chaldaeos omnino iterum esse reversuros, urbemque capturos. Cumque Jeremias in civitatem suam Anathoth voluisset ire, in porta urbis comprehenditur, et quasi transfugere voluisset, insimulatum, et verberibus affectum mittunt in carcerem. *Cap.* 38. Cum Jeremias svasor esset omnibus, ut si vitam suam salvam esse vellent, ultro se traderent Chaldaeis; a principibus regis permissu, in coenosam foveam demissus est, ut ibi fame enecaretur. Unde vero interventu Abdemelechi Aethiopis eunuchi eliberatus est. Adhibitus deinde a rege secreto, eidem confirmat captum iri urbem; et si se, suos, ipsamque urbem conservatam habere cuperet, se se dederet Chaldaeis. Tenetur deinde Propheta in vestibulo carceris, donec capta esset urbs. *Cap.* 39. Jerusalem ve-

nit in potestatem Chaldaeorum. Sedecias rex noctu elapsus, et in fuga comprehensus ducitur Reblatham in Syriam ad Nabuchodonosorem. Ubi postquam in eius oculis interfecti sunt eius filii, ipse luminibus privatur, et vinctus ducitur in Babyloniam. Urbem Chaldaei incendunt, et moenia evertunt. Jeremiam autem liberaliter habent. Item Abdemelechum Jeremias securum de vita facit. *Cap.* 40. Nabuzardan princeps exercitus Nabuchodonosoris optionem dat Jeremiae manendi in Judaea, vel veniendi in Babyloniam. Ille vero manet in Judaea, et se confert ad Godoliam. Item ad hunc conveniunt omnes, qui ex Judae is tempore belli ad loca deserta vel vicinas regiones se receperant. Johanan unus ex his certiorem facit Godoliam de insidiis, quae ei struerentur ab Ismahele quodam, qui pariter ex bello metu hostis profugerat, et nunc redierat. Sed cui delationi is fidem non adhibet. *Cap.* 41. Ismahel cum sociis cum venisset ad Godoliam, exceptusque ab eo esset convivio, hunc postea interficit, item Judaeos bellatores, et Chaldaeos omnes, qui cum eo erant in Masphath: reliquam turbam captivam duxit: insuper cum alios octoginta viros ex itinere in Masphath pertraxisset, septvaginta etiam ex illis occidit. Johanan Ismahelem persecutus captivos ei eripit, ipse vero Ismahel profugit. Judaei universi metu Chaldaeorum ob Godoliam occisum cogitant demigrare in Aegyptum. *Cap.* 42. Consulunt tamen Jeremiam. Qui eis nomine Dei respondet, si irent; perituros universos in Aegypto, velleque

Deum, ut maneant. *Cap.* 43. At illi nihilominus demigrant in Aegyptum, Jeremiamque mendacii insimulant, quasi quod illis responsum dederat, non a Deo accepisset, sed Baruch ad illud dicendum eum impulisset. Jeremiamque et Baruchum secum etiam ferunt. Ubi ad urbem Taphnim ventum est, prope muros palatii regii defodit lapides Jeremias, atque Judaeis vaticinatur futurum, ut super illos Nabuchodonosor in Aegyptum veniens sibi constituat solium. *Cap.* 44. Tum monet etiam illos Jeremias, ne idola colerent. Illi vero audacter, et impudenter respondent, se morem ei non gesturos, sed reginam caeli esse culturos. Quamobrem Deus quoque iurat se se illos pro suo populo numquam habiturum, nec quemquam illorum per eius nomen amplius esse iuraturum. *Cap.* 45. Oratio Jeremiae ad Baruchum, dum sub Joakimo rege propter periculum, in quod inciderat ob librum eius, quem vulgaverat, consternato esset animo, qua eum consolatur. *Cap.* 46. Deinceps ad ultimum usque caput graves, et vehementes ponuntur praedictiones adversus nationes alias, et primum adversus Aegyptios, deinde *Cap.* 47. contra Philisthaeos, Sidonios, Tyrios, *Cap.* 48. contra Moabitas, *Cap.* 49. contra Ammonitas, Idumaeos, Syros, Cedarenos, et Aelamitas, demum *Cap.* 50, et 51. contra Chaldaeos, et Babylonem. *Cap.* 52. Describitur status rerum sub Sedecia rege usque ad urbis depopulationem, templi eversionem, Judaeorumque in captivitatem abductionem.

CAPVT I.

Jeremiam Deus constituit Prophetam, eique sub imagine virgae, et ollae accensae demonstrat poenas, quas de Jerosolyma, Judaicoque populo desumpturus est.

1. *Verba Jeremiae, filii Helciae de sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth in terra Benjamin.* 2. *Quod factum est verbum Domini ad eum in diebus Josiae filii Amon regis Juda in tertio decimo anno regni eius.* Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum censuit hunc Helciam, Jeremiae patrem, eumdem esse cum eo, qui anno decimo octavo Josiae regis, huius eiusdem, sub quo Jeremias etiam, ut iam dictum in Praefatione est, propheticum munus exercere coepit, librum legis reperit in templo. 4. Reg. 22. v. 8. Sed ille summus fuit sacerdos; hic vero tantum unus erat de sacerdotibus in Anathoth. Sacerdotes enim minores in aliis etiam locis habitare poterant. At summus sacerdos, ut est apud Josephum Ant. l. 20. cap. 18. tantum Jerosolymae. 3. *Et factum est in diebus Joakim filii Josiae regis Juda usque ad consummationem undecimi anni Sedeciae filii Josiae regis Juda usque ad transmigrationem Jerusalem in mense quinto.* Exponit hoc, et superiore versu trium regum nomina Josiae, Joakimi, et Sedeciae, sub quibus munere ipso suo functus sit prophetico. Fuerunt autem interea duo praeterea reges Joachaz, qui Josiae patri proxime successerat

cesserat, 4. Reg. 23. v. 30. et Joachin, qui post Joakim patrem rex fuit 4. Reg. 24. v. 8. Istos autem commemorare praetermisit, quod tempus, quo regnarunt, notabile non fuerit, et tantummodo trium mensium.

4. *Et factum est verbum Domini ad me dicens:* Hoc nimirum verbum factum est decimo tertio Josiae regis anno. Redit enim ad exordium sui prophetici muneris. Hoc autem fuit isto decimo tertio anno Josiae. 5. *Priusquam te formarem in utero, novite, et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te.* Quamvis Interpretum pars quaedam existimet Jeremiam ita esse in materno utero sanctificatum, sicut hoc contigit Joanni Baptistae deleto peccato, quod a primo parente nostro omnes trahimus; tamen S. Hieronymus, in suo in hunc librum Commentario aliam proponit sententiam. „Quod autem, inquit, sanctifi„catur in utero, iuxta illud Apostoli debemus acci„pere: *Postquam autem placuit ei, qui me segre„gavit de utero matris meae, et vocavit per gra„tiam suam, ut revelaret Filium suum in me; ut „evangelizarem illum in gentibus.*" Gal. 1. v. 15. Nempe sanctificare in Scriptura non semper sumitur pro iustificare, sed etiam tantum pro destinare, praeparare. Ita vel de ipsis impiis ad caedem, et supplicium destinatis dicitur infra in eodem Jeremia cap. 12. v. 3. „Congrega eos quasi gregem ad vi„ctimam, sanctifica eos in die occisionis." Et rursus de hostibus a Deo ad vastandas Judaeae civi-

tates destinatos: „Sanctificabo super te interficien-„tem virum, et arma eius, et succident electas ce-„dros tuas, et praecipitabunt in ignem.“ Cap. 22. v. 7. Item sumitur etiam idem istud verbum pro segregare, separare, ut est Exodi 13. v. 2. „San-„ctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vul-„vam in filiis Israel tam de hominibus, quam de „iumentis.“ Nam hoc idem deinde eiusdem capitis versu 12. ita repetitur: „Separabis omne, quod „aperit vulvam Domino, et quod primitivum est „in pecoribus tuis.“ Atque ita Paulus quoque ad Apostoli munus se ex materno utero a Deo fuisse segregatum dicit, atque e numero reliquorum hominum a Deo secretum, et destinatum ad illud munus. Quid autem multis opus est, cum Ecclesiasticus, dum eius elogium facit cap. 49. v. 9. declaraverit sanctificationem hanc omnino non alio pertinuisse, quam ad propheticum eius munus? „Male „tractaverunt illum, inquit, qui a ventre matris „sanctificatus est Propheta.“ Non enim dicit sanctificatum simpliciter, sed sanctificatum prophetam. Propheticum autem munus fuit quibusdam commissum, qui dum etiam actu illud exercerent, interiore sanctitate caruerunt. Qualis Balaam fuit Num. 22. v. 5. et ipse Caiphas Joan. 11. v. 51. „Quod au-„tem dixit, verba sunt S. Hieronymi: *Prophetam in* „*gentibus dedi te*, illud vult intelligi, quod in ipso „postea Propheta lecturi sumus, quod non solum „Jerusalem, sed et multis in circuitu gentibus pro-„phetaverit.

6. *Et dixi: A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Loco trium *a* est in Hebraeo vox una *Ahah* (אהה) quae Latine potest verti: Ah, eheu. 7. *Et dixit Dominus ad me: noli dicere: puer sum, quoniam ad omnia, quae mittam te, ibis, et universa, quaecumque mandavero tibi, loqueris.* 8. *Ne timeas a facie eorum: quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus.* „Liberat autem Dominus, ait S. Hierony-„mus, non quo Propheta persecutionibus careat, et „angustiis, quippe, cum legamus eum multa per-„pessum; sed ut patiens omnia superet, nec cedat „angustiae.“ 9. *Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum, et dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo.* 10. *Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna; ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et aedifices, et plantes.* Hoc nimirum prophetando, et denunciando praestitit. „Legimus enim, ait S. Hie-„ronymus, in consequentibus, quod in manu acci-„piat calicem meri plenum, et propinare iubeatur „cunctis in circuitu nationibus.“ Sicut etiam infra cap. 15. v. 1. Judaeos iussus est eiicere. „Eiice, „inquit, illos a facie mea, et egrediantur.“ Nec tamen ipsos ille per se eiecit: sed tantum eiecit, sententiam Dei de eorum eiectione iis annunciando. Cum vero destruxerit tam Judaeam, quam alia regna, vastationem iis denunciando, quomodo illa rursus plantavit; et aedificavit? Nempe dissipati populi, et regni eversi restitutionem etiam annun-

clavit cap. 23. v. 3. Cumque in hac reaedificatione nationes omnes, et regna comprehenderentur, quae facta est per Christum; omnibus etiam ceteris regnis aedificationem hanc et plantationem praestitit.

11. *Et factum est verbum Domini ad me dicens: Quid tu vides Jeremia? Et dixi: virgam vigilantem ego video.* „Pro virga vigilante, ait S. „Hieronymus, Septvaginta *baculum nuceum* trans- „tulerunt. Laborandum igitur nobis est, ut brevi- „ter Hebraeam etymologiam Latinus lector intelli- „gat. *Seced* nux dicitur: vigilia autem, vel vigil, „sive vigilare adpellatur *Soced.* Unde et in poste- „rioribus pardus vigilans (Infra cap. 5. v. 6.) hoc „nomine ponitur. Ab eo igitur, quod dicitur *nux* „propter verbi similitudinem ad vigilis intelligen- „tiam nomen allusit. Quod quidem et in Daniele „iuxta Theodotionem scriptum est, ut ab arbori- „bus σχίνε, et πρίνε ilice videlicet, et lentisco „scissio, atque serratio adulteris presbyteris decer- „natur.“ Exhibita ergo fuit Prophetae virga, vel baculus nuceus Hebraice: *Makkel Schaked*, quam Theodotio, *virgam amygdalinam* etiam vertit; sed utique amygdalus quoque est ex genere nucum; et cum istud: nuceus, vel amygdalinus significaret etiam vigilantem; inde Deus idem deinde vocabulum assumpsit, sed in alia significatione, ut sequitur altero versu, et unde inferret illud, cuius causa ipsam hanc visionem baculi nucei in Jeremia instituerat.

12. *Et dixit Dominus ad me: bene vidisti: quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud.*

13. *Et factum est verbum Domini secundo ad me dicens: Quid tu vides? Et dixi: ollam succensam ego video, et faciem eius a facie Aquilonis:* hoc est, video illam ex plaga Aquilonari. Hostis autem inde venturus comparatur propter furoris sui, et impetus vehementiam ollae ferventi. Quamobrem Chaldaeus hoc ita vertit: *Regem ferventem quasi lebetem ego video.* 14. *Et dixit Dominus ad me: ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terrae.* 15. *Quia ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, ait Dominus, et venient, et ponent unusquisque solium suum in introitu portarum Jerusalem, et super omnes muros eius in circuitu, et super universas urbes Juda.* „Nulli dubium est, ait S. Hieronymus, multas gentes, et singularum gentium „reges Babylonio regi fuisse subiectos. Qui obsessa „Jerusalem posuerunt in circuitu, et maxime in „exitibus portarum thronum suum, atque tentoria, „ne quis eorum, qui clausi erant, posset erumpere, „et non solum Jerusalem, sed et omnes urbes Ju„dae simili obsidione vallatas.“ 16. *Et loquar iudicia mea cum eis super omnem malitiam eorum, qui dereliquerunt me, et libaverunt diis alienis, et adoraverunt opus manuum suarum.* 17. *Tu ergo accinge lumbos tuos, et surge, et loquere ad eos omnia, quae ego praecipio tibi. Ne formides a facie eorum. Nec enim timere te faciam vultum eorum.* 18. *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum ae-*

reum super omnem terram, regibus Juda, principibus eius, et sacerdotibus, et populo terrae. 19. *Et bellabunt adversum te, et non praevalebunt: quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.*

CAPVT II.

Insania, et furor, quo perpetuo ferebantur ad idololatriam, exprobratur Judaeis.

1. *ET factum est verbum Domini ad me dicens:* 2. *Vade, et clama in auribus Jerusalem, dicens: Haec dicit Dominus: recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuae, quando secuta es me in deserto, in terra, quae non seminatur.* Hebraice: *Recordatus sum tui, misericordiae adolescentiae tuae, charitatis desponsationis tuae* (זָכַרְתִּי לָךְ חֶסֶד נְעוּרַיִךְ אַהֲבַת כְּלוּלֹתָיִךְ) sive clarius: Recordatus sum, tibi, quam misericordiam exhibui in adolescentia tua; charitatis, qua te desponsavi mihi. „Plenius hoc „in Ezechiel (cap. 16.) dicitur, quando sibi Jerusalem in matrimonium Dominus copulat, et sub „persona uxoris suis iungit amplexibus, sive ut „ardentiorem monstret affectum, puellam eam, et „adolescentulam, et desponsatam vocat. Quo enim „necdum potiti sumus, magis, ut potiamur, appetimus. Quando, inquit, secuta es me in solitudine, et instar sponsaliorum, et dotis Legis tibi „ornamenta, et verborum distribui monilia. Totum-

„ que hoc non ad meritum eius refert, sed ad suam „ misericordiam, per quam et charitatem consecuta „ est.“ 3. *Sanctus Israel Domino, primitiae frugum eius. Omnes qui devorant eum, delinquunt, mala venient super eos, dicit Dominus.* Primitiae frugum erant Deo sacrae, et illi offerendae. Exod. 34. v. 26. Hinc ergo transsumpto vocabulo Israelem, qui Domino sit sanctus, et eius cultui consecratus; primitias vocat frugum illius. Continuandoque metaphoram, qui eum devorant, quasi fruges, delictum admissuros, et quod male illis sit casurum.

4. *Audite verbum Domini domus Jacob, et omnes cognationes domus Israel.* 5. *Haec dicit Dominus: Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt?* Vanitatis nomine idola intelliguntur, tamquam qui nulli sint dii: quomodo hoc vocabulum usurpatur alibi quoque in Scriptura Deut. 22. v. 21. 3. Reg. 16. v. 13. Quare Chaldaeus etiam istud hic: *Ambulaverunt post vanitatem* sic clarius vertit: *Erraverunt post idola.* 6. *Et non dixerunt: ubi est Dominus, qui adscendere nos fecit de terra Aegypti; qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem, et inviam, per terram sitis, et imaginem mortis; per terram, in qua non ambulavit vir, neque habitavit homo?* 7. *Et induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum eius, et optima illius: et ingressi contaminastis terram meam, et haereditatem meam posuistis in abominationem.*

Carmelus est montis nomen, qui amoenitate, et ubertate imprimis in Palaestina excellebat. Hoc ergo nomine tota Palaestina designatur a parte denominando totum per figuram orationis, quae saepissime, ut notum est, exhibetur ut lacte, et melle fluens regio. Rursus vero eamdem terram Deus haereditatem vocat suam. Quam sibi delegerit, ubi in medio populi sui, a quo vellet coli, habitaret. Quomodo etiam Moyses Exod. 15. v. 17. in Cantico suo cecinit post transitum maris Rubri. „Introduces „eos, et plantabis in monte haereditatis tuae, fir„missimo habitaculo tuo."

8. *Sacerdotes non dixerunt: ubi est Dominus? et tenentes legem nescierunt me, et pastores praevaricati sunt in me, et prophetae prophetaverunt in Baal, et idola secuti sunt.* Prophetae nomen etiam alibi reperitur ut Deut. 18. v. 20. 3. Reg. 22. v. 6. pseudoprophetis tributum. Qui enim in Baal prophetaverunt, certe non erant veri Dei prophetae. 9. *Propterea adhuc iudicio contendam vobiscum, ait Dominus, et cum filiis vestris disceptabo.* 10. *Transite ad insulas Cethim, et videte: et in Cedar mittite, et considerate vehementer, et videte, si factum est huiuscemodi.* Cethim eadem est, quae Graecia. Inde enim Alexander dicitur esse egressus rex Macedonum 1. Mach. 1. v. 1. Egressus autem est ex Macedonia quod regnum fuit Graeciae. Cedar esse nomen, quo Ismaelitae intelligantur, est demonstratum ad Isaiae cap. 21. v. 13. 11. *Si mutavit gens deos suos, et certe ipsi non sunt*

dii; populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum. 12. *Obstupescite caeli super hoc, et portae eius desolamini vehementer, dicit Dominus.* Hebraice: Obstupescite caeli super hoc, *et cohorrescite, et trepidate valde.* (וְשַׂעֲרוּ חָרְבוּ מְאֹד)

13. *Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.* 14. *Numquid servus est Israel, aut vernaculus? quare ergo factus est in praedam?* Verna, vel vernaculus vocatur servus domi, et ex domestico mancipio natus. Cum ergo Israel non esset servus, sed liber populus, nulliusque hominis servituti obnoxius, et sub Dei tantum positus imperio, ut mancipiorum more abstrahatur in servitutem, indignum esse. Quod tamen eis acciderit ideo, quod Deum dereliquerint, ut subsequetur. 15. *Super eum rugierunt leones, et dederunt vocem suam: posuerunt terram eius in solitudinem, civitates eius exustae sunt, et non est, qui habitet in eis.* „Leo„nes vocat, ait S. Hieronymus, principes Babylo„nis, qui terram eius posuerunt in solitudinem, et „civitates illius incendio deleverunt.“ 16. *Filii quoque Mempheos, et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem.* „Duas urbes maximas Aegypti „Memphim, et Taphnim nominat, ait iterum S. „Hieronymus, earumque dicit filios constupravisse „Israel usque ad verticem illo sensu, quo Isaias po„suit: *A planta pedis usque ad verticem non est* „*in eo sanitas.* (cap. 1. v. 6.) Juxta literam refer-

„tur ad idola Aegyptiorum.“ Non autem idola vocantur filii Mempheos, et Taphneos, sed hoc dicitur, quod filii, et incolae urbium Memphis, et Taphnes per sua idola constupraverint Israelem, eumque hac eadem sua idololatria polluerint totum, et in eamdem idololatriae impietatem traduxerint.

17. *Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam?* Via intelligitur vel determinate illa, per quam ducebantur a Deo, dum iter facerent per desertum; nam non tantum una adoratione vituli aurei, sed continua idololatria insanivisse ipsos per totos illos quadraginta annos, quibus peregrinabantur, est apud Amos cap. 5. v. 25. et in Actis Apostolorum 7. v. 42. vel vero viae nomine intelligitur Dei erga illos continuum studium, quo illos regeret, et ad recte agendum per Prophetas suos duceret. 18. *Et nunc, quid tibi vis in via Aegypti, ut bibas aquam turbidam? et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis?* Ubi Interpres Latinus: *turbidam* posuit, in Hebraeo est vocabulum *Sichor*. „Pro quo nos, ait S. Hie„ronymus, turbidam interpretati sumus, quod ver„bum Hebraicum significat. Quia ergo supra filios „Memphis, et Taphnis posuerat, qui constupra„verunt Israel usque ad verticem; nunc manifestius „ipsam Aegyptum nominat. Nullique dubium, quin „Nilus aquas turbidas habeat, et quod fluvium As„syriorum Euphratem significet.“ Nempe iam alias etiam demonstratum est generali nomine fluvii so-

lere in Scriptura designari Euphratem: tamquam, qui sic fluvius propter suam magnitudinem vocetur per excellentiam. Redarguuntur autem Israelitae, quod per viam Aegypti, et Assyriorum incederent sectando illorum idololatriam.

19. *Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito, et vide, quia malum, et amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum.* 20. *A seculo confregisti iugum tuum, rupisti vincula mea, et dixisti: non serviam.* Juxta Hebraeum est hoc in prima persona sic: *Quia a seculo confregi iugum tuum, avulsi vincula tua, et dixisti: non transibo* (כִּי עוֹלָם שָׁבַרְתִּי עֻלֵּךְ נִתַּקְתִּי מוֹסְרוֹתַיִךְ וַתֹּאמְרִי לֹא אֶעֱבוֹר) Deus autem hoc in prima persona ita loqueretur: Quia a seculo, et olim, confregi iugum tuum, iugum servitutis tuae in Aegypto, avulsi, et detraxi tibi vincula tua, quibus ad hoc iugum alligabaris: ideo dixisti, non te transiturum, a me videlicet ad deos colendos alios. Sicut autem nos Latine versum in secunda persona habemus, quae versio, ut notum est, facta est per S. Hieronymum, ita istud fecerunt etiam Septvaginta: et Massorethae notarunt, notas primae personae esse tantummodo paragogicas, et redundantes. Qua observatione facta lectio Vulgatae nostrae confirmatur. *In omni enim colle sublimi, et sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Vocula Hebraica *ki* (כִּי) locum adversativae particulae hic tenet. Attamen in omni colle sublimi, et

sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix. In excelsis videlicet, vel umbrosis locis consveverant idola erigere; illaque ibi venerari.

21. *Ego autem plantavi te vineam electam, omne semen verum; quomodo ergo conversa es mihi in pravum vinea aliena?* „Pro vinea electa in „Hebraeo *Sorec* habetur, ait S. Hieronymus, quae „in Isaiae cantico ponitur. (cap. 5. v. 2.) Est au- „tem genus vitis optimae. Quo surculo et Israelem „Dominus plantasse se dicit, et miratur, quomo- „do semen verum, electaque vinea conversa sit in „amaritudinem, et ideo facta sit vinea aliena.“ 22. *Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus.* „Pro herba borith, quam nos, ait „S. Hieronymus, ut in Hebraeo posita est, verti- „mus; Septvaginta transtulerunt πόαν, ut significa- „rent herbam fullonum, quae iuxta ritum provin- „ciae Palaestinae in virentibus, et humectis nasci- „tur locis, et ad lavandas sordes eamdem vim ha- „bet, quam et nitrum.“ 23. *Quomodo dicis: non sum polluta, post Baalim non ambulavi? Vide vias tuas in convalle.* Vallis haec erat, ubi liberos suos cremabant idolis. „Respice convallem filiorum En- „non, ait S. Hieronymus, quae Siloe fontibus irri- „gatur, et ibi cernes delubrum Baal, quem relicto „Deo venerata es.“ De hac valle Ennon, et impietate, qua suos ibi liberos mactabant, et cremabant, est etiam infra capite 19. v. 2.

Scito, quid feceris cursor levis explicans vias suas, 24. *onager adsvetus in solitudine, in desiderio animae suae attraxit ventum amoris sui: nullus avertet eam: omnes, qui quaerunt eam, non deficient: in menstruis eius ivenient eam.* ,, Quia ,, supra dixit, verba sunt S. Hieronymi, *Non sum* ,, *polluta*, et quasi ad mulierem, quae turpiter se ,, gesserat, loquebatur, describit fornicationem eius. ,, Quomodo, inquit, caprea levis, quam nos genere ,, communi *cursorem* diximus, significantiusque Aquila, Symmachus, et Theodotio vertere: δρομὰς ,, κέφη, explicat vias suas, et velox fertur ad pa- ,, bula; et sicuti onager assvetus in solitudine, tra- ,, hit in desiderio animae suae ventum, vel spiri- ,, tum amoris sui, uno enim apud Hebraeos nomi- ,, ne *Ruah* et *ventus* appellatur, et *spiritus;* sic ,, et Israel, sive Jerusalem toto impetu ad deside- ,, rium libidinis ferebatur, et omni idolorum amore ,, fervebat: nullusque est, qui eam suis monitis ,, possit ab hoc impetu avertere: non quo impossi- ,, bilitas hoc fecerit Prophetarum, sed malitia per- ,, versa cupientis. Quicumque, ait, eam quaesierint, ,, non magnopere laborabunt. In menstruis, et in ,, immunditia eius invenient eam.“ Onager est genus asini feri, qui se domari non sinit, et impediri in eo, quo illum naturalis impetus trahit. De femina onagro etiam tradunt esse admodum libidinosam, quaeque ex odore sentiat vestigia maris, ad eumque postea impetu summo feratur. Partim ergo, quod Jerusalem obstinata esset in sua idololatria;

partim, quod tanta propensione in eam ferretur, cum onagro comparatur. 25. *Prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti.* Pes, si nudus relinquatur, facile offendiculis laeditur. Quare posset videri, praeceptum hoc eo pertinere, ut sibi Israel, et Jerusalem caveat ab offendiculis, et transgressionibus. At quoniam superior sermo fuit de adulterio, et fornicatione; eo quoque haec nuditas pedum pertinet. Etiam infra capitis 13. v. 26. nudatio femorum posita est pro revelatione adulteriorum, et Genesis 49. v. 10. femur pro genitali membro, itemque pedes pro eodem membro Exod. 4. v. 25. modestiae servandae causa in sermone: et omnium manifestissime Judith de violata Dina Jacobi filia: „Denudaverunt, inquit, femur virgi-„nis.“ Judith 9. v. 2. Nuditatis ergo nomine intelligit sui prostitutionem. Et quoniam hic erga idola istud est, denotat idololatriam. Quo illud etiam pertinet de siti, a qua guttur suum prohibeat, hoc est, ab illo suo desiderio, quo aestuabat erga eadem idola, ut se contineat. *Et dixisti: desperavi. Nequaquam faciam. Adamavi quippe alienos, et post eos ambulabo.*

26. *Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur; sic confusi sunt domus Israel, ipsi et reges eorum, principes, et sacerdotes, et prophetae eorum,* 27. *dicentes ligno: pater meus es tu, et lapidi: tu me genuisti. Verterunt ad me tergum, et non faciem: et in tempore afflictionis suae dicent: surge, et libera nos.* Ad Deum scilicet tunc

se vertent, et eum invocabunt. Quibus vero ille responsurus est: 28. *Ubi sunt dii tui, quosfecisti tibi? surgant, et liberent te in tempore afflictionis tuae. Secundum numerum quippe civitatum tuarum erant dii tui, Juda.* 29. *Quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus.* 30. *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt: devoravit gladius vester prophetas vestros; quasi leo vastator generatio vestra.* 31. *Videte verbum Domini: numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? Quare ergo dixit populus meus: recessimus, non veniemus ultra ad te?* Terra serotina in Hebraeo est: *Terra tenebrarum Dei* (אֶרֶץ מַאְפֵּלְיָה) Dei autem nomen positum est per amplificationem pro tenebris maximis. In solitudine autem, et desertis locis non habitatur, item caliginosa loca vitantur. Quod vero eo pertinet, cur ipsi percussi etiam a Deo, et admoniti, nihilominus ad eum non redeant, atque eum, veluti tenebras quasdam horridas, et tamquam triste, et squallidum desertum fugiant.

32. *Numquid oblivíscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciae pectoralis suae? Populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris.* 33. *Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quaerendam dilectionem, quae insuper et malitias tuas docuisti vias tuas.* 34. *Et in alis tuis inventus est sangvis animarum pauperum, et innocentum?* „Frustra, „inquit, te cupis, verba sunt S. Hieronymi, ver-„borum arte defendere, et quasi bona ostendere

„ opera tua, ut merearis dilectionem: quae insuper „ etiam alios docuisti vias tuas, et exemplum fuisti „ omnibus malorum operum, et in alis tuis, in ma„ nibus tuis inventus est sangvis animarum paupe„ rum et innocentum.“ *Non in fossis inveni eos, sed in omnibus, quae supra memoravi.* „ Hos au„ tem, inquit, pauperes, et innocentes, verba sunt „ S. Hieronymi, non inveni in foveis interfectos, „ quod solet plerumque accidere latronum insidiis, „ sed in omnibus, quae supra memoravi.“ In Hebraeo istud: *sed in omnibus, quae supra memoravi* est sic: *sed super omnia haec.* (כִּי עַל־כָּל־אֵלֶּה) Est igitur sensus: pauperes, et innocentes a te occisos non reperi in foveis, et veluti clam, atque per insidias interfectos; sed super omnia haec, super omnes tuas videlicet alas. De his enim praecessit, horum sangvinem in illis esse inventum. Alae autem pertinent ad volatum. Volando in altum se se aves efferunt. Quod vero in alto est, conspicuum fit. Dicitur ergo, quod suas caedes, et innocentium sangvinem, quem crudeliter fudit, ne quidem conata sit occultare, sed aperte, et cum ostentatione grassata in caedibus pauperum, et innocentium sit.

35. *Et dixisti: absque peccato, et innocens ego sum, et propterea avertatur furor tuus a me. Ecce ego iudicio contendam tecum, et quod dixeris: non peccavi.* 36. *Quam vilis facta es nimis iterans vias tuas! Et ab Aegypto confunderis, sicut confusa es ab Assur.* „ Ut Aegyptiorum impetum

„tum declinarent, ait S. Hieronymus, confugiebant „ad Assyrios, quorum cassum fuit praesidium. Vi„ctos enim eos ab Aegyptiis legimus. Rursum, ut „iram Assyrii fugerent; Aegyptiorum adiutorio ute„bantur, quos ab Assyriis superatos narrat historia. „Increpantur ergo, quod omissa spe in Dominum, „hominum utantur auxilio. Quod omne contritum „est, et ita subversum, ut nihil in eo utilitatis va„leant reperire.“ 37. *Nam et ab ista egredieris, et manus tuae erunt super caput tuum: quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam, et nihil habebis prosperum in ea.* Nam et ab ista egredieris. „Hoc est, ait S. Hieronymus, ab Aegypto, sicut „egressa es ab Assyriis.“ Habitus manuum supra caput est gestus dolentis, et ad maximam consternationem, atque desperationem adacti. Quali habitu manuum incessisse legitur Thamar, violata a fratre suo Amnone. 2. Reg. 13. v. 19.

CAPVT III.

Ostendit se Deus paratum ad recipiendam in gratiam Jerusalem, tametsi ab ea fuisset desertus, et illa se per idololatriam tantopere contaminasset. Nihilominus paucos ex Judaeis futuros, qui a Deo assumantur: et ad eum convertantur.

1. *Vulgo dicitur: si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eam ultra? numquid non*

polluta, et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis. Tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te. Vulgo dicitur, Hebraice: *In dicendo* (לֵאמֹר) Et non tantum hoc vulgi fuit dictum, sed omnino Dei haec lex fuit de muliere, ne semel repudiata ab eo, qui eam repudiavit, rursus posset recipi. Deut. 24. v. 4. Illud ergo: vulgo dicitur, sic poterat etiam poni: Quamvis dicatur: si dimiserit vir uxorem suam. 2. *Leva oculos tuos in directum, et vide, ubi non prostrata sis. In viis sedebas, expectans eos, quasi latro in solitudine, et polluisti terram in fornicationibus tuis, et in malitiis tuis.* Istud: *Quasi latro* est in Hebraeo *sicut Arabs* (כַּעֲרָבִי) Quod et S. Hieronymus recognoscit in Commentario, Arabem omnino significare, quamvis ipse latronem verterit, quod Arabs nomen proprium, quae latrociniis dedita esset gens, propter hanc ipsam latrocinationem, similitudinis causa, cum Jerusalem insidiante iis, cum quibus posset coire, positum sit. Tantoque magis ista hic tenet comparatio, quod meretricum consvetudo fuerit in biviis se deponere, iterque facientes ad se attrahere: qualemque meretricium morem legitur imitata Thamar, ut Judae soceri sui frui posset complexu. Gen. 38. v. 14. De Jerusalem autem hoc cum erga idola sit positum, intelligitur illius lascivia ad recipiendos in sinum suum quoscumque falsos deos, sicut meretrix parata est omnibus, et ipsa quaerit insuper se se prostituere.

3. *Quamobrem prohibitae sunt stillae pluviarum, et serotinus imber non fuit.* Duae in Palaestina, quod iam alias etiam demonstratum est, consveverant statae esse pluviae: altera, quam temporaneam dicebant, in autumno, postquam semina erant terrae in agris mandata; altera in vere, quae serotina dicebatur. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* 4. *Ergo saltem amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meae tu es.* Dux virginitatis idem intelligitur, qui sponsus, quem ea, quae ad hoc tempus virgo est, virum, a quo regatur, accipit. Atque hoc modo Salomon quoque ducem pubertatis puellae vocat eius maritum, cui desponsata in iuventute est. Prov. 2. v. 17. 5. *Numquid irasceris in perpetuum, aut perseverabis in finem? Ecce locuta es, et fecisti mala, et potuisti.* Anterior pars versus nectitur cum eo, quod priore versu antecessit, atque hoc: Numquid irasceris in perpetuum, aut perseverabis in finem, intelligitur autem: iratus: Deus Jerosolymae in os collocat, ut postquam eum recognovisset Patrem suum, et ducem virginitatis, ne in perpetuum ei irasceretur, deprecaretur. Tum vero Deus arguens ipsam, quae non tantum istud ut eam poeniteat, non faciat, sed potius contrarium, dicit: *Ecce locuta es, et fecisti mala, et potuisti.* Quid locuta sit, demonstrat deinde illud: *et fecisti mala*, ut se verbis intelligatur insolenter primum gessisse, scelusque quod patratura esset, praedicasse. *Et potuisti* Syrus vertit: *Et praevaluisti*, Arabs: *Et invalui-*

sti. Quare sensus est, quod ad male agendum viribus valuerit, et omne, quod potuit, in hoc genere praestiterit. „Pro verbis poenitentiae, ait S. Hie-„ronymus, verbis superbiae blasphemasti, et im-„plesti cogitationem tuam malam, et ostendisti con-„tra virum fortitudinem tuam, ut possis facere, quod „sermone tractasti."

6. *Et dixit Dominus ad me in diebus Josiae regis: numquid vidisti, quae fecerit aversatrix Israel?* Regnum decem tribuum distincte ab Juda, et Jerusalem modo compellat: atque cum hac Judae regnum veluti sororem cum sorore comparat. *Abiit sibimet super omnem montem excelsum, et sub omni ligno frondoso, et fornicata est ibi.* 7. *Et dixi, cum fecisset haec omnia: ad me revertere. Et non est reversa. Et vidit praevaricatrix soror eius Juda,* 8. *quia pro eo, quod moechata esset aversatrix Israel, dimisissem eam, et dedissem ei libellum repudii: et non timuit praevaricatrix Juda soror eius: sed abiit, et fornicata est etiam ipsa.* 9. *Et facilitate fornicationis suae contaminavit terram, et moechata est cum lapide, et ligno.* 10. *Et in omnibus his non est reversa ad me praevaricatrix soror eius Juda in toto corde suo, sed in mendacio, ait Dominus.* Nam cum saepius reconciliata cum Deo fuisset, et emendationem promisisset, non servavit fidem. 11. *Et dixit Dominus ad me: iustificavit animam suam aversatrix Israel comparatione praevaricatricis Judae.* „Ju-„stior, inquit, est Israel, verba sunt S. Hieronymi

„ comparatione Judae: quia illa statim in principio „ periit; haec illius cruciatibus potuit emendari. „ Nec mirum hoc de unius gentis sororibus, cum „ Sodoma quoque collatione Jerusalem iustitiae no- „ men accipiat, dicente Domino per Ezechiel: Ju- „ stificata est Sodoma ex te, et publicanus phari- „ saei comparatione sit iustus." Ezech. 16. v. 52. Luc. 18. v. 14. In eo ergo consistit haec comparatio, qua Juda soror ab Israel sorore iustificata est, quod haec, et ipsa Sodoma prae illa malitiae minus habuerit. Quali modo Judas quoque Thamarem, nurum suam, iustiorem se confessus est, tametsi, idem crimen, secum admisissent. Gen. 38. v. 26.

12. *Vade, et clama sermones istos contra Aquilonem, et dices: revertere aversatrix Israel, ait Dominus, et non avertam faciem meam a vobis, quia sanctus ego sum, dicit Dominus, et non irascar in perpetuum.* Versus Babyloniam haec clamans, et annuncians Propheta iubetur se vertere. Jam enim sub Josia regnum illud Israel decem tribuum erat ibi in captivitate. Ideo autem, quod sanctus sit, dicit se non aversurum faciem suam ab eis, si se ad eum converterent. Vi enim sanctitatis suae amat id omne, quod iustum, et sanctum est. Dum ergo illi ad iustitiam, et sanctitatem se applicant convertendo ad Deum; aversari hoc Deus, cum ipse sanctus sit, non potest. 13. *Verumtamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum praevaricata es, et dispersiti vias tuas alienis sub omni ligno frondoso, et vocem meam non audisti,*

ait Dominus. Vias tuas dispersisti alienis, hoc est: Divini cultus officia, et actiones transtulisti, et adhibuisti erga deos alienos. 14. *Convertimini filii revertentes, dicit Dominus, quia ero vir vester. Et assumam vos unum de civitate, et duos de cognatione, et introducam vos in Sion.* Convertimini filii revertentes Hebraice *filii aversi*, refractarii. (בָּנִים שׁוֹבָבִים) Equidem in Hebraeo est verbum simplex, quod significat versum esse. Sed quoniam Deus illos hortatur, ut se ad eum vertant; sequitur, ut ipsi ab eo sint aversi. Unum de civitate, duos de cognatione, dum se Deus assumpturum ex illis dicit, cum positum sit per gradationem, ab eo, quod minus est, adscendendo ad id, quod plus est; sequitur cognationem etiam plus significare, quam civitatem. Tribus autem cognationis nomine solet appellari in Scriptura, ut sunt passim istiusmodi exempla Jud. 13. v. 2. cap. 17. v. 7. etc. Itaque tribus etiam hic intelligitur per cognationem. „Judaei hoc impletum esse putant, ait S. Hiero„nymus, post reversionem ex Babylone sub Cyro „Persarum rege, et Zorobabel filio Salathiel, etiam„si non omnes reversi sunt, hoc significari: *Ad„sumat unum de civitate, et duos de cognatione.* „Sed melius in adventu Christi, quando reliquiae „salvae factae sunt, dicente, et exponente Apo„stolo: *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis „semen, quasi Sodoma essemus, et similes Go„morrae fuissemus.* (Rom. 9. v. 29.) tunc intro„ducti sunt in Sion.“ Advertendum autem hic est,

quod cum esset a Deo ad illos dictum, ut ad eum convertantur, qui illorum rursus velit vir esse, atque illos sibi desponsare; deinde dicat, se assumpturum ex illis unum de civitate, et duos de cognatione, quo ostenderetur, illos quidem reverti ad Deum posse; sed tamen non esse reversuros. Qui autem reverterentur, istos hoc facturos per Divinam assumptionem, et electionem. Si enim omnes fuissent reversi; nullum respuisset; qui propter sanctitatem suam faciem suam non avertisset ab eis, ut fuit versu 12. Dum ergo dicit unum, et duos se se tantum assumpturum, declarat, quid ipse facturus sit per suam gratiam, et quam nisi exhibuisset etiam his, qui pauci conversi ad eum sunt, quid evenisset in omnibus. „Converte me, et convertar, „quia tu Dominus Deus meus:" est etiam infra capitis 31. v. 18. Sicut autem septenarius, vel maior numerus, tametsi determinatus, pro maiore indeterminato solet in Scriptura sumi; ita unus quoque, et duo non hunc numerum praecise, sed parvum tantum aliquem, idque etiam comparative tantum ad totam populi Israelitici frequentiam significat. Nam certe cum tria millia, et rursus quinque vel Jerosolymae in urbe una Judaeae binis concionibus Petri ad fidem conversa sunt, Act. 2. v. 41. cap. 4. v. 4. non unus, vel duo fuerunt, nec hi in se exiguo numero.

15. *Et dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia, et doctrina.* „Dati sunt „Pastores, ait S. Hieronymus, iuxta cor eius Apo-

„stoli, et Apostolici viri, et paverunt credentium „multitudinem non Judaicis in caerimoniis, sed in „scientia Christi, atque doctrina.“ 16. *Cumque multiplicati fueritis, et creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra: Arca testamenti Domini: neque adscendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra.* Cum multiplicati fueritis in diebus illis, ex illis paucis videlicet e civitatibus, et tribubus assumptis, cumque ex his, velut e semine multiplicati fuerint novi Israelitae secundum spiritum; hi non dicent ultra: *Arca testamenti Domini:* „In toto „orbe praedicatione Evangelii seminata, ait S. Hie„ronymus, nequaquam in arca Domini, quae cu„stos fuit legis Mosaicae, habebunt fiduciam.“ Neque haec illis iam adscendet ad cor: non illis in mentem veniet: neque recordabuntur illius, nec visitabunt ipsam, et non fiet ultra haec illius visitatio. Intelligitur autem visitatio, qua Deum adorandi causa coram illa ter singulis annis in praecipuis festivitatibus ad locum, ubi illa servabatur, convenire debebant.

17. *In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini, et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Jerusalem, et non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi.* Nova videlicet haec Jerusalem erit solium Domini. Est enim Ecclesia domus, et templum Dei. Hic ergo illius quoque solium est, super quo sedet habitans. „Nequaquam, ait S. Hieronymus, Dominus

„sedebit super arcam testamenti, et Cherubim, cui „prius ab illo populo dicebatur: *Qui sedes super* „*Cherubim, manifestare* (Psal. 79. v. 2.) sed omnes „perfecta mente credentes, erunt thronus Dei.“ 18. *In diebus illis ibit domus Juda ad domnm Israel, et venient simul de terra Aquilonis ad terram, quam dedi patribus vestris.* Domus Juda ibit ad domum Israel, et venient ambo ab Aquilone. Per domum Judam intelliguntur, qui ex Judaeis crediderunt; per Israel, qui ex gentilibus, et convenerunt in unam Ecclesiam. Quemadmodum est etiam apud Oseam cap. 1. v. 11. Ubi cum ostendisset Deus numerum filiorum Israel, quasi arenam maris, futurum, istosque eosdem esse, qui antea non fuerint populus Dei; dicit deinde: „Et congregabuntur filii Israel, et „ponent sibimet caput unum, et adscendent de ter„ra:“ eosdemque filios Israel vocat, qui antea non fuerunt eius populus. Qua de re sic est apud Joannem quoque cap. 11. v. 51. „Jesus moriturus erat „pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios „Dei, qui erant dispersi, congregaret.“ Gentisque nomine intelligitur Judaeorum populus, filii Dei dispersi vocantur, qui ex gentilibus ad hunc filiorum Dei numerum a Deo erant praedestinati. Ab Aquilone autem dicuntur venturi, tamquam ubi erant peregre, et extra Judaeae regionem, ubi coleretur Deus. Terra patribus eorum data est Jerusalem, et regio Judaeae: quae typum gessit illius regionis, in qua regnaturus erat Christus, hoc est Ecclesiae.

19. *Ego autem dixi: Quomodo ponam te in filios, et tribuam tibi terram desiderabilem, haereditatem praeclaram exercituum gentium?* Quomodo ponam te in filios? in filios videlicet multos. Terra desiderabilis est, quae significabatur per illam quoque, quae lacte, et melle erat manans regio. Haec haereditas erat exercituum gentium; quae nimirum in se complecteretur integros populorum exercitus. *Et dixi: Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis.* 20. *Sed quomodo, si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel, dicit Dominus.* 21. *Vox in viis audita est, ploratus, et ululatus filiorum Israel, quoniam iniquam fecerunt viam suam, obliti sunt Domini Dei sui.* Quomodo, si contemnat mulier amatorem suum, loquitur Deus de priore tempore, antequam domus Juda, ad domum Israel venisset. At vero, dum ad Deum redivissent, vox in eorum viis audita est, ploratus, et ululatus; quo deflerent, quod viam secuti fuissent iniquam, Deique obliti sint. 22. *Convertimini filii revertentes, et sanabo aversiones vestras.* Revertentes iidem intelliguntur, qui ante erant aversi, ut iam supra ad versum 14. demonstratum est. Est ergo vox Dei animantis illos, qui prius aversi erant, et nunc reverterentur, ad alacriter, et fidenter redeundum. Qua fiducia illi deinde respondent: *Ecce nos venimus ad te. Tu enim es Dominus Deus noster.* 23. *Vere mendaces erant colles, et multitudo montium: vere in Domino Deo nostro salus Israel.* Col-

les, et montes ponuntur pro idolis, quae ibi coluerunt.

24. *Confusio comedit laborem patrum nostrorum ab adolescentia nostra, greges eorum, et armenta eorum, filios eorum, et filias eorum.* Confusionis nomine iterum designatur idololatria. Sic namque etiam inferius cap. 11. v. 13. altaria idolorum, arae confusionis vocantur. Nam, qui colunt idola, confundentur. Baruch. 6. v. 38. Dicitur ergo, quod ad eorum cultum frustra, a quibus nullum fructum accepturi essent, et quae illis nihil possent praestare, res suas, laboreque suo partas facultates, pecora sua, et ipsos suos liberos, quos sacrificarent, perdiderint. Ab adolescentia autem sua: hoc est, ab eo tempore, quod aetatis ipsorum primum fuit, quando in deserto a Deo assumpti sunt, ut eius essent populus. Sic namque tempus illud adolescentiae nomine compellatur apud Ezechielem quoque cap. 16. v. 60. „Recordabor ego pacti mei tecum in „diebus adolescentiae tuae." 25. *Dormiemus in confusione nostra, et operiet nos ignominia nostra: quoniam Domino Deo nostro peccavimus nos, et patres nostri ab adolescentia nostra usque ad diem hanc, et non audivimus vocem Domini Dei nostri.* Eorumdem etiam hoc est, qui ad Deum revertuntur. Qui pudorem suum confitentur, quod Deum offenderint, illoque relicto inanes Deos semper coluerint. Quomodo et Romani erubescebant de vitiis, quibus, antequam Christiani facti essent, dediti erant. Ad quos ita S. Paulus scribit: „Quem ergo

„fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc „erubescitis?" Rom. 6. v. 21.

CAPVT IV.

Israeli, si se ad Deum converteret, promittit Deus pacem, et securitatem; sin minus, esse vastandum per hostes.

1. *SI reverteris Israel, ait Dominus, ad me convertere. Si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis.* Si reverteris, ad me convertere: in Hebraeo utrobique est idem verbum *Jaschub.* Est igitur sensus: si reverteris ad me Israel, istud omnino fac, nec tantum verbo, sed re. Non commotum iri, intelligitur ab illa adversitate hostili, quae deinde in hoc capite proponitur. 2. *Et iurabis: Vivit Dominus, in veritate, et iudicio, et in iustitia: et benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt.* Nectitur hoc quoque cum verbo antecedente: non commoveberis. Si iuraveris his verbis: Vivit Dominus, istudque vere, et non mendaciter feceris, non commoveberis. Una autem species invocationis per iuramentum est posita pro genere, et quasi ita esset: si Deum vere, sincereque invocaveris, atque eum colueris, tunc non commoveberis, teque Israelem aliae tum gentes laudabunt, et beatum praedicabunt, quem visurae sint omni rerum prosperitate cumulatum a Deo.

3. *Haec enim dicit Dominus viro Juda, et Jerusalem: novate vobis novale, et nolite serere super spinas.* Novale vocatur terra, quae quieta iacuit, et tantum post quietem rursus aratur, et seritur. Eiusmodi autem terra feracior deinde esse solet. Conversio ergo ad Deum, et observantia erga eum tali novali comparatur: e contrario autem super spinas seminare dicuntur, qui Deo relicto in alio aliquo spem suam collocarent. 4. *Circumcidimini Domino, et auferte praeputia cordium vestrorum, viri Juda, et habitatores Jerusalem: ne forte egrediatur, ut ignis, indignatio mea, et succendatur, et non sit, qui exstingvat propter malitiam cogitationum vestrarum.* Per praeputium ,,Peccatum, ait S. Augustinus contra Julian. l. 2. cap. 6. ,,significatur, maxime, quod originaliter trahitur:" Ideo autem, quod, ut Idem docet contra eumdem Julianum l. 6. c. 7. generatio fiat per genitale membrum: per generationem autem transfusio fiat peccati originalis. Ex originali autem peccato existit in nobis concupiscentia, quae nos ad malum inclinat. Dum ergo Deus iubet praeputia cordium auferrì; praeceptum dat de pravis cupiditatibus reprimendis, et suffocandis. 5. *Annunciate in Juda, et in Jerusalem auditum facite: loquimini, et canite tuba in terra, clamate fortiter, et dicite: congregamini, et ingrediamur civitates munitas.* Imminente hoste homines ex agris congregari, et confugere in civitates solent, et sua eo conferre, quae movere possunt securitatis causa propter hostem. Ad

hoc igitur Propheta hortatur, tamquam quibus iam impendeat hostilis adventus.

6. *Levate signum in Sion: confortamini, nolite stare, quia malum ego adduco ab Aquilone, et contritionem magnam.* Confortamini, nolite stare, est in Hebraeo: *Aufugite, ne stetis.* (הָעִיזוּ אַל־תַּעֲמֹדוּ) Quare levatio quoque signi, et in alto collocatio huc pertinet, ut de adventu hostes omnes in civitate admoneantur, ut suae saluti consulant. 7. *Adscendit leo de cubili suo, et praedo gentium se levavit: egressus est de loco suo, ut ponat terram tuam in solitudinem: civitates tuae vastabuntur remanentes absque habitatore.* Nabuchodonosor Chaldaeorum rex intelligitur. 8. *Super hoc accingite vos ciliciis, plangite, ululate, quia non est aversa ira furoris Domini a vobis.* 9. *Et erit in die illa, dicit Dominus: peribit cor regis, et cor principum, et obstupescent sacerdotes, et prophetae consternabuntur.* Peribit cor regis, et principum, hoc est; metu exanimabuntur. Prophetae autem rursus falsi, ut iam supra fuit, intelliguntur. Qui securitatis, et impunitatis falsa spe illos lactabant, et decipiebant adversus veras Jeremiae comminationes, ut hoc adhuc infra pluribus locis manifestius sequetur. 10. *Et dixi, heu, heu, heu, Domine Deus, ergone decepisti populum istum, et Jerusalem dicens: Pax erit vobis? Et ecce pervenit gladius usque ad animam.* Deus populo Israel promisit pacem, et omnem prosperitatem, si in observantia erga eum maneret, Levit. 26, v. 6. Huius tamen promissionis argumento,

licet factae sub conditione, utitur Propheta erga Deum, eiusque fidem implorat: quo modo Psaltes quoque cum commemorasset iuramentum Dei, Davidi datum, de perpetuitate regni; fuisset vero haec dignitas postea convulsa, atque confracta „Everti„sti, inquit, testamentum servi tui" et rursus: „Ubi sunt misericordiae tuae antiquae Domine, „sicut iurasti David in veritate tua?" Psal. 88. v. 40, 50.

11. *In tempore illo dicetur populo huic, et Jerusalem: Ventus urens in viis, quae sunt in deserto viae filiae populi mei, non ad ventilandum, et ad purgandum.* „Ventum urentem iuxta histori„am, ait S. Hieronymus, accipe Nabuchodonosor, „qui universa consumat." Filia populi mei est Jerusalem, ut illa hoc nomine saepissime compellatur. Qui ventus dicitur esse in viis, id est: tamquam in itinere, et profectione per viam deserti Jerusalem, sive quae via per desertum, ducit Jerosolymam, per desertum autem, quod ab Jerusalem respiceret Babyloniam versus. 12. *Spiritus plenus ex his veniet mihi.* Ex his nimirum viis. Deus autem hoc dicit, et sibi hunc ventum affuturum pronunciat, quo velut instrumento utatur ad puniendos Judaeos. *Et nunc ego loquar iudicia mea cum eis.* 13. *Ecce, quasi nubes adscendet, et quasi tempestas currus eius. Velociores aquilis equi eius. Vae nobis, quoniam vastati sumus.* 14. *Lava a malitia cor tuum Jerusalem, ut salva fias. Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiae?* 15. *Vox*

enim annunciantis a Dan, et notum facientis idolum de monte Ephraim. Pro idolo in Hebraeo est *Aven:* (אָוֶן) quo quamvis idola etiam compellentur, tamen significat etiam iniquitatem, vel etiam dolorem. Quasi autem iam nuntius afferretur de adventu Nabuchodonosoris, sic hoc proponitur. Dan enim erat extremus terminus Judaeae septemtrionem versus, qua iter erat ex Babylonia: indeque per tribum Ephraim eundum erat Jerosolymam. Vel ergo quasi iam adventantem dolorem Propheta describit, vel idolum: idolum autem, quod Chaldaei pro Deo coluerunt, quemque Bel appellarunt: per metonymiam ponendo Deum pro populo, cuius ille fuit Deus. Quomodo S. Hieronymus quoque licet in versione idolum posuerit, tamen in Commentario deinde alia tamen ratione, quam ego posui, hoc accipi posse docet. „Idolum autem Bel, „inquit, vel dolorem, vel iniquitatem de monte „Ephraim venire describit.“ De Propheta autem hoc dicit, qui de hoc adventu modo scribit.

16. *Dicite in gentibus: ecce auditum est in Jerusalem, custodes venire de terra longinqua, et dare super civitates Juda vocem suam.* 17. *Quasi custodes agrorum facti sunt super eam in gyro, quia me ad iracundiam provocavit, dicit Dominus.* 18. *Viae tuae, et cogitationes tuae fecerunt haec tibi: ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum.* Sensus est, malitiam ipsius esse in causa, quod amara haec illi acciderint, et haec illius cor attigerint, doloreque sauciaverint. 19. *Ventrem*

trem meum, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me: non tacebo, quoniam vocem buccinae audivit anima mea, clamorem praelii. „Vox Prophetae, et per Prophetam Dei lo„quentis inducitur, ait S. Hieronymus, quod doleat „super contritione populi sui, et instar hominis vi„scera eius interna lacerentur.“ 20. *Contritio super contritionem vocata est, et vastata est omnis terra: repente vastata sunt tabernacula mea, subito pelles meae.* 21. *Usquequo videbo fugientem, audiam vocem buccinae?* 22. *Quia stultus populus meus me non cognovit, filii insipientes sunt, et vecordes: sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.* 23. *Adspexi terram, et ecce vacua erat, et nihili: et caelos; et non erat lux in eis.* „Propheta, ait S. Hieronymus, cernit „in spiritu, quae ventura sunt, ut audiens populus „terreatur, et acta poenitentia nequaquam sustineat, „quae formidat. Vacua terra est habitatore deleto. „Caeli non habent lumen terroris magnitudine popu„lo non vidente.“ 24. *Vidi montes, et ecce movebantur, et omnes colles conturbati sunt.* Est haec orationis figura, quae prosopopoea vocatur, dum inanimis rebus, sensus, et actio tribuitur, simulque est hyperbole ad magnitudinem illius terroris exprimendam. Qui tantus fuerit; ut ipsi quoque montes, et colles percellerentur, et turbarentur. 25. *Intuitus sum, et non erat homo, et omne volatile caeli recessit.* Fugantur aves et belli tumultibus, et propter vastationem agrorum, ut si hi diutius sine

cultura relinquantur, quod ex his sibi escam petere soleant. 26. *Adspexi, et ecce Carmelus desertus:* Judaeae hunc montem longe pulcherrimum, et fertilissimum pro tota regione solere poni ad illius venustatem, et ubertatem significandam supra cap. 2. v. 7. iam etiam hoc libro exemplum fuit. *Et omnes urbes eius destructae sunt a facie Domini, et a facie irae furoris eius.*

27. *Haec enim dicit Dominus: Deserta erit omnis terra: sed tamen consummationem non faciam.* 28. *Lugebit terra, et moerebunt caeli desuper eo, quod locutus sum: cogitavi, et non poenituit me, nec aversus sum ab eo.* Lugebit terra, et moerebunt caeli desuper eo, quod locutus sim; istud videlicet, atque hoc decreverim, quod modo antecessit, ut desertam faciam terram. 29. *A voce aequitis, et mittentis sagittam fugit omnis civitas: ingressi sunt ardua, et adscenderunt rupes: universae urbes derelictae sunt, et non habitat in eis homo.* 30. *Tu autem vastata quid facies? cum vestieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, et pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris. Contempserunt te amatores tui, animam tuam quaerent.* Jerosolymae amatores intelliguntur Chaldaei, quorum amicitiam ante appetierat, idololatriamque erat imitata, ut fuit supra cap. 2. v. 18. et 36. Quare dicitur, quod etiamsi ad talem habitum se se composuerit, ut amatoribus placeat, tamen minime futurum, ut demulcere iam sibi possit illos, qui furore pleni erga eam non iam eius

blanditiis capiendi sint, sed vitam illius petant, et sangvinem. Stibium erat genus pigmenti ad colorem nigrum inducendum oculis, et in quibus talibus oculis venustas poneretur. 31. *Vocem enim quasi parturientis audivi, angustias ut puerperae: vox filiae Sion intermorientis, expandentisque manus suas. Vae mihi, quia defecit anima mea propter interfectos.* Exhibetur Jerusalem in vehementissima angustia, et quasi exhalans animam. Propter cuius hunc casum Propheta ipse linquitur animo.

CAPVT V.

Quaeritur in Jerusalem, an in ea aliquis sit iustus: et si fuerit, Deus se ei dicit propitium futurum. Omnibus autem corruptis, et depravatis pronunciat se eam hosti traditurum, sed non ad eius usque consumptionem.

1. *CIRCUITE vias Jerusalem, et adspicite, et considerate, et quaerite in plateis eius, an inveniatis virum facientem iudicium, et quaerentem fidem, et propitius ero ei.* Nimirum Jerosolymae. Est enim pronomen *ei.* Hebraice *lah* (לָהּ) in genere feminino. Fides in Hebraeo est *Emunah* (אֱמוּנָה) significatque veritatem, quatenus haec contraria est falsitati, et mendacio. 2. *Quod si etiam, vivit Dominus, dixerint: et hoc falso iurabunt.* „Quia „poterat fieri, ait S. Hieronymus, ut aliqui inve„nirentur in populo, qui simularent cultum Dei,

„et iurarent per Deum: hoc praevenit: quod ne-
„quaquam Deus vanis sermonibus, sed veritate fi-
„dei delectetur, et dicit: non eos diligo, qui iu-
„rant per me, et iurant in mendacio; sed quorum
„corda, labiaque consentiunt.“ 3. *Domine, oculi tui respiciunt fidem* hoc est: veritatem, ut iam demonstratum est, non fictam religionem. Respicere autem est positum pro adspicere libentibus oculis. *Percussisti eos, et non doluerunt; attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas, supra petram, et noluerunt reverti.* Percussos non doluisse, doloremque non sensisse, significat talem mentis insaniam, et alienationem, quando nec plagis quidem corpori inflictis sensatio excitari in stulto potest.

4. *Ego autem dixi: forsitan pauperes sunt, et stulti, ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui.* 5. *Ibo igitur ad optimates, et loquar eis. Ipsi enim cognoverunt viam Domini, iudicium Dei sui.* „Pauperes hic, et optimates, ait S. Hieronymus,
„non inopia dicit, et divitiis, sed populum prin-
„cipibus comparat. Et est sensus: Cernens infidelis
„populi pertinaciam, et quod indurata facie nolue-
„rint recipere disciplinam, hoc mecum ratione tra-
„ctabam: Forsitan vulgus ignobile Dei non potest
„nosse doctrinam, et idcirco excusabile est, quia
„propter imperitiam Dei non valet scire mandata.
„Pergam igitur ad sacerdotes, et eos, qui prae-
„sunt populo, et loquar eis. Ipsi enim voluntatem
„Domini cognoverunt, et sciunt iudicium Dei sui.

„Hoc autem dicit sermone dubitantis iuxta illud „Evangelicum: *Mittam filium meum, forsitan ipsum „reverebuntur.* (Matth. 21. v. 37.) ut ex ambi„guitate sententiae, et suspensione verborum libe„rum hominis monstraretur arbitrium.“ *Et ecce magis hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula.* 6. *Idcirco percussit eos leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum.* Lupus ad vesperam est saevior, postquam tota die in latibulo toleravit famem, et vesperi tantum prodit ad capiendam aliquam praedam. *Omnis, qui egressus fuerit ex eis, capietur, quia multiplicatae sunt praevaricationes eorum, confortatae sunt aversiones eorum.* 7. *Super quo propitius tibi esse potero? filii tui dereliquerunt me, et iurant in his, qui non sunt dii: saturavi eos, et moechati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur.* 8. *Equi amatores, et emissarii facti sunt. Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* 9. *Numquid super his non visitabo, dicit Dominus, et in gente tali non ulciscetur anima mea?* 10. *Adscendite muros eius, et dissipate: consummationem autem nolite facere. Auferte propagines eius, quia non sunt Domini.* Est Dei vox hortantis hostem adversus Jerusalem.

11. *Praevaricatione enim praevaricata est in me domus Israel, et domus Juda, ait Dominus.* 12. *Negaverunt Dominum, et dixerunt: non est ipse: neque veniet super nos malum: gladium, et famem non videbimus.* „Non est ipse, cuius iu-

„dicio fiunt omnia, verba sunt S. Hieronymi, in „illorum persona loquentis, sed fortuito haec omnia „acciderunt.“ 13. *Prophetae fuerunt in ventum locuti, et responsum non fuit in eis.* „Hoc est: ora- „culum, sive Dei sermo, ait S. Hieronymus, non „fuit in eis.“ In ventum loqui significat vana ipsos vaticinia protulisse. *Haec ergo evenient illis.* Gladius videlicet, et fames, quae sibi eventura negabat domus Israel, et domus Juda, ut antecessit, et quam hi falsi prophetae persvasionem suis vaticiniis aluerunt, et confirmaverunt. 14. *Haec dicit Dominus Deus exercituum: Quia locuti estis verbum istud; ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, et populum istum in ligna, et vorabit eos.* Ad Jeremiam hoc dicitur a Deo. 15. *Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, domus Israel, ait Dominus; gentem robustam, gentem antiquam, gentem, cuius ignorabis lingvam, nec intelliges, quid loquatur.* „Est enim malorum solatium, ait S. Hie- „ronymus, si illos habeas hostes, quos possis ro- „gare, et qui tuas intelligant preces.“

16. *Pharetra eius, quasi sepulchrum patens: universi fortes.* Intellige: in eius exercitu. 17. *Et comedet segetes tuas, et panem tuum; devorabit filios tuos, et filias tuas; comedet gregem tuum, et armenta tua; comedet vineam tuam, et ficum tuam, et conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam, gladio.* 18. *Verumtamen in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in consummationem.* 19. *Quod si dixeritis: quare fecit no-*

bis Dominus Deus noster haec omnia? dices ad eos: sicut dereliquistis me, et servistis deo alieno in terra vestra; sic servietis alienis in terra non vestra. „Si enim vos, ait S. Hieronymus Dei ver- „ba ista explicans, peregrina religio delectat, quid „necesse est longinquum errorem suscipere? Ha- „bitate cum talibus, imo servite his, quorum deos „colitis.“ 20. *Annunciate hoc domui Jacob, et auditum facite in Juda, dicentes:* 21. *Audi popule stulte, qui non habes cor; qui habentes oculos non videtis; et aures, et non auditis.* 22. *Me ergo non timebitis, ait Dominus, et a facie mea non dolebitis?* Hebraice: *Num coram me non trepidabitis?* (אִם מִפָּנַי לֹא תָחִילוּ) *Qui posui arenam terminum mari, praeceptum sempiternum, quod non praeteribit: et commovebuntur, et non poterunt, et intumescent fluctus eius, et non transibunt illud.* 23. *Populo autem huic factum est cor incredulum, et exasperans: recesserunt, et abierunt.* 24. *Et non dixerunt in corde suo: metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam, et serotinam in tempore suo, plenitudinem annuae messis custodientem nobis.* Duas pluvias, alteram in autumno, alteram in vere consvevisse in Palaestina esse, non multo etiam ante ad capitis 3. versum 3. memoratum est.

25. *Iniquitates vestrae declinaverunt haec, et peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis.* 26. *Quia inventi sunt in populo meo impii insidiantes, quasi aucupes laqueos ponentes, et pedicas ad capiendos*

viros. Insidiabantur autem aliis, ut fortunis ipsos suis everterent, indeque ipsi locupletarentur. Quod deinde subsequens versus declarat, quique ob hanc eamdem avaritiae causam eorum causas negligerent in iudicio, a quibus nihil sperarent, nec tenuiores, et infirmiores a potentiorum iniuriis, et oppressione vindicarent. 27. *Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenae dolo: ideo magnificati sunt, et ditati.* 28. *Incrassati sunt, et impingvati, et praeterierunt sermones meos pessime. Causam viduae non iudicaverunt, causam pupilli non direxerunt, et iudicium pauperum non iudicaverunt.* 29. *Numquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut super gentem huiuscemodi non ulciscetur anima mea?* 30. *Stupor, et mirabilia facta sunt in terra.* 31. *Prophetae prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in novissimo eius?*

CAPVT VI.

Idem continuatur argumentum de impendente clade, et vastatione hostili, quod nullis Dei monitis Jerusalem ad frugem reverti voluerit.

1. *CONFORTAMINI filii Benjamin in medio Jerusalem, et in Thecua clangite buccina, et super Bethacarem levate vexillum: quia malum visum est ab Aquilone, et contritio magna.* „Jerusalem in tribu Benjamin sitam nullus ignorat, (ait

„S. Hieronymus: nempe quoad unam eius partem:
„et quam ob causam eadem haec urbs et inter lo-
„ca tribus Juda, et Benjamin computatur Josue
„cap. 15. v. 8. cap. 18. v. 28.) Thecuam quoque
„viculum esse in monte situm, et duodecim milli-
„bus ab Jerosolymis separatum, quotidie oculis
„cernimus. Inter hos alius vicus est, qui lingva Syra,
„et Hebraica Bethacharma nominatur, et ipse in
„monte positus. Quod ergo dicit, hoc est: quia
„ab Aquilone iam iamque venturus est Nabucho-
„donosor, et imminet vicina captivitas, o habita-
„tores Jerusalem arma corripite, et in Thecua buc-
„cina concrepate, et in Bethacherem levate vexil-
„lum, ait, ut contra hostem valeatis resistere.“
Non poterant autem resistere. Quare eo istud tan-
tum pertinet, ut se comparent ad bellum, adver-
susque iam appropinquantem hostem.

2. *Speciosae, et delicatae assimilavi filiam Sion.* 3. *Ad eam venient pastores, et greges eorum; fixerunt in ea tentoria in circuitu, pascet unusquisque eos, qui sub manu sua sunt.* Est similitudo, quod quemadmodum ad speciosam mulierem proci, et amatores convenire solent; sic hostes, quos vero rursus, ut ostenderet non solitarios venturos, sed cum ingenti multitudine exercitus, pastores vocat, greges autem militum agmina, quae secum ducerent, sic inquam hostes ad obsidendam Jerusalem conventuri sint. „In pasto„ribus, et gregibus eorum,„ ait S. Hieronymus, „principes sentiamus, et exercitus Chaldaeorum.

„Figent autem tentoria sua in obsidione urbis in cir„cuitu, et pascet unusquisque eos, qui sub manu „sua sunt, suas videlicet turmas, et numeros. "
4. *Sanctificate super eam bellum:* Istorum hostium obsidentium Jerosolymam est haec adhortatio ad suos, ut oppugnationem adoriantur. Sanctificare, quod Hebraeis significet praeparare, et instruere se ad aliquid aggrediendum, iam etiam alias demonstratum est, et ex hoc ipso loco per seipsum perspicuum fit. *Consurgite, et adscendamus in meridie. Vae nobis, quia declinavit dies, quia longiores factae sunt umbrae vesperi.* 5. *Surgite, et adscendamus in nocte, et dissipemus domos eius.* „Illi dicunt, verba sunt S. Hieronymi, *Surgite,* „*et adscendamus in meridie,* et clara luce pugne„mus. Isti respondent: *Vae nobis, quia longio*„*res factae sunt umbrae vesperi.* Et est sensus: „si per diem haec patimur, quid patiemur in no„cte? Rursumque, qui supra dixerant: *Sanctifi*„*cate super eam bellum, et consurgite,* nunc „ipsi se provocant ad bellandum, dicentes: *Surgi*„*te, et adscendamus in nocte:* ut sciant adversa„rii, non temporis victoriam esse, sed virium, „et dissipemus domos, quae frustra murorum fir„mitate vallantur."

6. *Quia haec dicit Dominus exercituum: caedite lignum eius, et fundite circa Jerusalem aggerem: haec est civitas visitationis, omnis calumnia in medio eius.* Haec est civitas, quae visitanda est per plagas videlicet, et supplicia. Omnis

calumnia Hebraice *oppressio* (עֹשֶׁק) in medio eius. 7. *Sicut frigidam fecit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam.* Hebraice: *Sicut scaturire facit fons aquas suas, ita scaturire facit malitiam suam.* (כְּהָקִיר בַּוִר מֵימֶיהָ כֵּן הֵקֵרָה רָעָתָהּ) Ad hunc modum Arabs quoque hoc vertit: *Quemadmodum profert puteus aquam, ita profert scelus suum. Iniquitas, et vastitas audietur in ea, coram me semper infirmitas, et plaga.* Enallage, et permutatio temporis futuri pro praesenti est in verbo: *audietur.* Explicatur enim, quae praesens civitatis Jerusalem sit malitia. Infirmitas autem, et plaga illius, quae semper sit coram Dei facie, et illius obversetur oculis, eadem est, de qua sic etiam est in Isaia Cap. 1. v. 6. „A planta pedis usque „ad verticem non est in eo sanitas: vulnus, et li- „vor, et plaga tumens non est circumligata, nec „curata medicamine, neque fota oleo."

8. *Erudire Jerusalem, ne forte recedat anima mea a te, ne forte ponam te desertam, terram inhabitabilem.* 9. *Haec dicit Dominus exercituum: usque ad racemum colligent, quasi in vinea, reliquias Israel: converte manum tuam, quasi vindemiator, ad cartallum.* Sensus est, universos esse colligendos, et poena illa, quam Deus minaretur, comprehendendos, quemadmodum in vindemia botri omnes diligenter colliguntur, ita ut etiam ii, qui casu relicti sunt, adhuc quaerantur, atque adeo neminem poenam esse evitaturum. Quod omnino accidit illa in calamitate, quae Judaeis il-

lata per Chaldaeos est. Nam cum ceteris omnibus partim fame, vel gladio necatis, partim in captivitatem abductis, quidam fuissent relicti pauperes, tantum ne regio penitus ab omnibus incolis relinqueretur vacua; atque hi ipsi temere, contraque voluntatem Dei in Aegyptum se se contulissent, ut sequetur infra cap. 44. v. 27. ibi isti etiam per Chaldaeos perierunt. Fuit autem superioris capitis versu 10. quod Deus illos non faciet in consummationem. Quia nimirum ipsos, tametsi ductos in captivitatem, tamen conservavit, ex iisdemque eorum civitatem, et gentem rursus restauravit. Cartallus est Graecum vocabulum, et significat orbem.
10. *Cui loquar, et quem contestabor, ut audiat? Ecce incircumcisae aures eorum, et audire non possunt. Ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, et non suscipient illud.* 11. *Idcirco furore Domini plenus sum, laboravi sustinens.* „Ex persona Prophetae dicitur, ait S. Hierony-„mus, quod venientem iram Dei ante prospiciat, „et plenus sit furoris Domini, et iracundiae, et „ultra sustinere non possit, nec pro peccatoribus „audeat Dominum deprecari.“ Ipse ergo Propheta plenus Dei furore fuit, quem sibi a Deo haberet commissum, ut illum nomine Dei denunciet. Quare deinde sequitur: *Effunde super parvulum foris, et super consilium iuvenum simul.* Seipsum nimirum Propheta alloquitur, ut hanc iram effundat, quam retinere intra se non possit. Parvulus foris, intelliguntur parvuli discursantes per plateam: con-

silium iuvenum; idem est, qui coetus iuvenum; robusti autem, et apti bello intelliguntur. Memoranturque illi, velut imbelles, hi tamquam fortes, et eo magis, dum ponuntur esse inter se uniti. Super quos utrosque Dei furor venturus sit. *Vir enim cum muliere capietur, senex cum pleno dierum.* „ Vir cum uxore capietur, ait S. Hieronymus, dulcissima inter se nomina pariter sentient „captivitatem: senex cum pleno dierum. Ergo se„nectus non est aetas ultima, sed eorum, qui ple„ni sunt dierum, quos nostro sermone appellamus „depositos, sive decrepitos. " 12. *Et transibunt domus eorum ad alteros; agri, et uxores pariter: quia extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus.*

13. *A minore quippe usque ad maiorem omnes avaritiae student, et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.* 14. *Et curabant curationem filiae populi mei cum ignominia dicentes: pax, pax, et non erat pax.* 15. *Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quin potius confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt. Quamobrem cadent inter ruentes, in tempore visitationis suae corruent, dicit Dominus.* 16. *Haec dicit Dominus: state super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris.* Ubi Latinus epithetum: *antiquis* posuit, in Hebraeo est *Olam:* quod verti etiam solet *aeternus*. Eaedem ergo intelliguntur semitae aeternae. Has vero semi.

tas aeternas tamquam contrarias semitis iniquitatis Psaltes memorat. „Et vide, inquit, si via iniqui-„tatis in me est, et deduc me in via aeterna.“ Psal. 138. v. 24. Intelligitur enim illa via antiqua, et aeterna via mandatorum Dei. Haec vero via veritatis, via Domini est, via ad aeternam vitam ducens. De illa vero altera e contrario est: „Iter im-„piorum peribit.“ Psal. 1. v. 7. *Et dixerunt: non ambulabimus.* 17. *Et constitui super vos speculatores. Audite vocem tubae. Et dixerunt: non audiemus.* Prophetae intelliguntur speculatorum nomine. Quo modo ad Ezechielem dictum est a Deo cap. 3. v. 17. „Fili hominis, speculatorem dedi te „domui Israel:“ et quibus a Deo esset commissum, ut futuras poenas populo denunciarent, si sibi non caverent: quemadmodum speculatoris hoc officium esset, ut de hostis adventu signum tuba det, quo sibi quisque cavere ab eo posset.

18. *Ideo audite gentes, et cognosce congregatio, quanta ego faciam eis.* „Cognosce congre-„gatio, nequaquam Judaica, ait S. Hieronymus, „sed omnium nationum.“ 19. *Audi terra: Ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum eius: quia verba mea non audierunt, et legem meam proiecerunt.* 20. *Ut quid mihi thus de Saba affertis, et calamum svaveolentem de terra longinqua? Holocautomata vestra non sunt accepta, et victimae vestrae non placuerunt mihi.* 21. *Propterea haec dicit Dominus: Ecce ego dabo in populum istum ruinas, et ruent in eis patres*

et filii simul; vicinus, et proximus peribunt. 22. *Haec dicit Dominus: Ecce populus venit de terra Aquilonis, et gens magna consurget a finibus terrae.* 23. *Sagittam, et scutum arripiet: crudelis est, et non miserebitur: vox eius quasi mare sonabit, et super equos adscendent, praeparati quasi vir ad praelium, adversum te filia Sion.* 24. *Audivimus famam eius, dissolutae sunt manus nostrae: tribulatio apprehendit nos, dolores ut parturientem.* 25. *Nolite exire ad agros, et in via ne ambuletis, quoniam gladius inimici pavor in circuitu:* hoc est, quoniam undique gladius inimici pavorem affert.

26. *Filia populi mei accingere cilicio, et conspergere cinere: luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum: quia repente veniet vastator super nos.* 27. *Probatorem dedi te in populo meo robustum, et scies, et probabis viam eorum.* Hoc vero memorat Propheta sibi dictum a Deo. „Datur Propheta, ait S. Hieronymus, populo incredulo pro„bator robustus; quod Hebraice dicitur *Mabsar* „(מִבְצָר) quod vel *munitum* iuxta Aquilam; vel „*clausum*, atque *circumdatum* iuxta Symmachum, „et Septvaginta sonat instar urbis firmissimae, ut „nullas populi pertimescat insidias; et cum pro„baveris, ait, et scieris viam populi delinquentis, „tunc intelligas argentum aere commixtum nulla „ratione posse purgari.“ 28. *Omnes isti principes declinantes, ambulantes fraudulenter; aes, et ferrum; universi corrupti sunt.* 29. *Defecit*

sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, et frustra conflavit conflator. Malitiae enim eorum non sunt consumptae. Aurifices plumbo utuntur ad aurum, et argentum a scoria, admixtaque alia materia liberandum, et purgandum. Illi, de quibus est sermo, aeri, atque ferro comparati sunt, quo nimirum mixtum, atque corruptum sit argentum. In his igitur sufflatorium defecit, quod nulla tanta vis ignis fuerit, quae hoc illorum aere, atque ferro corruptum argentum potuisset purum efficere. Et cum in igne omne ab artifice adhibitum plumbum esset consumptum, hoc est: opera omnis illis exhibita, qua ad frugem revocarentur, fuisset perdita, et in fumum, prout illud plumbum, conversa; frustra conflavit conflator, frustra in illis ad frugem revocandis laboravit Propheta. Malitia enim ipsorum non est consumpta. 30. *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.* Argentum reprobum intelligitur illud, quod cum impurum sit, artifex tamen illud purum efficere non possit: nec in quo amplius mundando laborem aliquem velit insumere, qui spem, ut purum efficiatur, nullam habeat.

CAPUT

CAPVT VII.

Jeremias iussu Dei in foribus templi stans denunciat omnibus, qui templum ingrederentur, ne spe illase lactent, fore ut Deus urbi propter templum parcat, sed illud ipsum esse a se proiecturum, nisi ipsi mores suos corrigant.

1. *VERBUM, quod factum est ad Jeremiam a*
Domino dicens: 2. Sta in porta domus Domini,
et praedica ibi verbum istud, et dic: audite ver-
bum Domini omnis Juda, qui ingredimini per por-
tas has, ut adoretis Dominum. 3. Haec dicit Do-
minus exercituum Deus Jsrael: Bonas facite vias
vestras, et studia vestra, et habitabo vobiscum
in loco isto. 4. Nolite confidere in verbis mendacii
dicentes: templum Domini, templum Domini,
templum Domini est. Nempe dementabant eos sui
pseudoprophetae fore, ut Deus urbi non noceat,
propter suum in ea templum: istaque vocat verba
mendacii. 5. *Quoniam, si bene direxeritis vias ve-*
stras, et studia vestra, si feceritis iudicium inter
virum, et proximum eius: 6. Advenae, et pupillo,
et viduae non feceritis calumniam, nec sangvinem
innocentem effuderitis in loco hoc, et post deos alie-
nos non ambulaveritis in malum vobismet ipsis: 7.
habitabo vobiscum in loco isto, in terra, quam de-
di patribus vestris a seculo, et usque in seculum.
Hoc est: semper. Quamdiu enim mundus stetisset,

tamdiu nec temporali suo regno privati fuissent, si in observantia erga Deum perseverassent, siquidem et haec per Chaldaeos, quae tam saepe in hoc libro commemoratur calamitas: et illa per Romanos illorum expulsio, et in omnes mundi partes dissipatio non eis accidisset. 8. *Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis.* 9. *Furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baalim, et ire post deos alienos, quos ignoratis.* Subintelligitur verbum: furari, occidere soletis. Septvaginta hoc in praesenti tempore posuerunt, *furamini, occiditis*, κλέπτετε, φονεύετε, itemque reliqua sic sunt accipienda, quae criminum genera memorantur. 10. *Et venistis, et stetistis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum, et dixistis: liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas:* Hebraice: *ad faciendas* (לְמַעַן עֲשׂוֹת) *omnes abominationes istas.* Sensus igitur est, illos sibi persvasisse, quod ubi venissent ad templum, atque ei quamtumvis vacuum interiore pietate cultum exhibuissent, iam furta, adulteria, homicidia, aliaque enormia flagitia impunita ipsis sinerentur.

11. *Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris? Ego, ego sum: ego vidi, dicit Dominus.* Ego, ego sum, quem sic dehonoratis, ego vidi occulta vestra flagitia. Qui dum pleni flagitiis ad templum se inferrent, et se insuper etiam protectum iri putarent a Deo propter idem templum,

tametsi ad illud ita indigne venissent; templum hoc idem ipsis videri, quod sua spelunca latronibus, quo suas rapinas conferunt, quaeque illos tegit, ne facile reperiantur, ad suppliciumque rapiantur. 12. *Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio, et videte, quae fecerim ei propter malitiam populi mei Jsrael.* Ibi enim in Silo, qui locus fuit tribus Ephraim, erat Dei tabernaculum constitutum. 1. Reg. 1. v. 3. Quem tamen locum postea deseruit. „Repulit tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus." Psal. 77. v. 60. Idemque locus, vastata iam tum regione tota regni Jsraelitici, quod constabat ex decem tribubus, eamdem sortem subiit. Ideo eo illos mittit, ut adspiciant, quid ei loco acciderit, idemque discerent metuere Jerosolymae, etiamsi in ea existeret templum. 13. *Et nunc, quia fecistis omnia opera haec dicit Dominus, et locutus sum ad vos mane consurgens, et loquens, et non audistis, et vocavi vos, et non respondistis; 14. faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, et in qua vos habetis fiduciam, ex loco, quem dedi vobis, et patribus vestris, sicut feci Silo.* Mane, et mature consurgere ad aliquam actionem, significat diligentiam, quae ad eam adhibetur. Quod ab hominibus per metaphoram translatum ad Deum, significat eam, quam is de eorum conversione, et resipiscentia habuerit semper voluntatem. 15. *Et proiiciam vos a facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros, universum semen Ephraim.* Sexto anno Ezechiae re-

gis, qui proavus fuit Josiae, sub quo Jeremias prophetias suas edere coepit, regnum illud decem tribuum desiit esse. 4. Reg. 18. v. 10.

16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, et orationem, et non obsistas mihi: quia non exaudiam te.* Per laudem vel ipsa etiam oratio intelligitur, ita ut utrumque nomen ad eamdem rem significandam pertineat; vel vero laudis vocabulum adhibitum hic est pro significanda oblatione muneris: et ne sacrificatione etiam, et oblatione hostiae Deum conetur placare populo Propheta, ei interdicitur. Utroque enim modo idem illud vocabulum: *laus* consvevit in Scriptura usurpari. Prioris modi exemplum est Psalmo 49. v. 14. „Immola Deo sacrificium laudis, „et redde Altissimo vota tua, et invoca me in „die tribulationis, eruam te, et honorificabis me;" alterius modi est. Jsaiae 60. v. 6. „Omnes de Saba „venient aurum, et thus deferentes, et laudem „Domino annunciantes." Ubi, quae oblatio munerum fuit, eadem Dei laudatio vocatur. „Quod autem di„cit, verba sunt S. Hieronymi, *Et non resistas* „*mihi*, illud ostendit, quia Sanctorum preces Dei „irae possint resistere. Unde et Dominus loquitur „ad Moysen: *Dimitte me, ut percutiam popu-* „*lum istum, et faciam te in gentem magnam.* „(Exod. 32. v. 10.) Et in Psalmis legitur: *Et* „*stetit Phinees, et cessavit quassatio, et repu-* „*tatum est ei ad iustitiam.* (Psal. 105. v. 30.) „Aaron quoque arrepto thuribulo inter ignem, ar-

„ surumque populum medius stetit, et Dei ira cessa-
„ vit. Num. 16. v. 48. Ac ne putemus crudelitatem
„ Dei, qui ne rogari quidem se permittat, reddit
„ causas, cur non exaudiat.

17. *Nonne vides, quid isti faciunt in civitatibus Juda, et in plateis Jerusalem?* 18. *Filii colligunt ligna, et patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginae caeli, et libent diis alienis, et me ad iracundiam provocent.* Regina caeli gentilibus vulgo habita fuit Juno, sed hanc saepe etiam cum Diana confundebant. Septvaginta autem pro regina caeli militiam caeli (τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ) posuerunt. Chaldaeus *Sidus caeli.* Item de sidere aliquo caelesti Arabs, et Syrus hoc acceperunt. Quare S. Hieronymus ad hunc locum „Lunam, inquit, debe-
„ mus accipere." Nempe inter sidera sol cum excelleret, et esset quasi rex; lunam, quae proximum esset ei sidus, et mundo lumen praebendi imperium quasi partitum cum eo habet, reginam caeli appellaverunt. 19. *Numquid me ad iracundiam provocant, dicit Dominus? nonne semetipsos in confusionem vultus sui?* Subintelligitur praecedens verbum: provocant. „Nec intelligunt mise-
„ ri, ait S. Hieronymus, quia ista contentio non me
„ laedat, quem numquam ira commutat, sed semet-
„ ipsos in confusionem vultus sui, et in ignominiam
„ sempiternam. Quidquid igitur facimus, non Deum
„ laedimus, qui laedi numquam potest; sed nobis

„interitum praeparamus thesaurizantes iram in „die irae.“ -

20. *Ideo haec dicit Dominus Deus: Ecce furor meus, et indignatio mea conflatur super locum istum, super viros, et super iumenta, et super lignum regionis, et super fruges terrae, et succendetur, et non exstingvetur.* 21. *Haec dicit Dominus Deus exercituum, Deus Jsrael: Holocautomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes.* 22. *Quia non sum lucutus cum patribus vestris, et non praecepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocautomatum, et victimarum.* 23. *Sed hoc verbum praecepi eis, dicens: Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus, et ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis.* „Quo„rum reprobavit templum, ait S. Hieronymus, „consequenter reprobat et sacrificia, et oblique ar„guit eos, quod non veneratione sui, sed epularum „desiderio immolent victimas. (Nam ex victimis „deinde institui consveverant epulae. 1. Reg. 1. „v. 4.) Quod autem ait: *Non sum locutus cum „patribus vestris, et non praecepi eis in die, qua „eduxi eos de terra Aegypti super verbo holocau„sti, et victimarum*, manifeste intelligitur, quod „primum decalogum dederit in tabulis lapideis scri„ptum digito Dei, et post offensam idololatriae, „caputque vituli, postea iusserit sibi magis fieri, „quam daemonibus auferens puram religionem man„datorum Dei, et concedens sangvinem victima-

„rum, carniumque desiderium.“ In cultu erga Deum pars illa, quae consisteret in observantia ipsius mandatorum, cum partem teneret praecipuam; illud alterum longe inferius positum in victimarum adipibus, et sangvine, ita proponitur, tamquam nullum esset, nec a Deo imperatum, illa loquendi consvetudine Scripturae, quae rem nonnumquam negat non simpliciter, et absolute, sed tantummodo comparatione alterius, si haec multo excellentior res sit. „Numquid vult Dominus holocausta, et victimas, „aiebat Samuel Sauli, et non potius, ut obediatur „voci Domini? Melior est enim obedientia, quam „vitimae, et auscultare magis, quam offerre adi„pem arietum.“ 1. Reg. 15. v. 22. Item apud Oseam dicit Deus: „Quia misericordiam volui, et „non sacrificium, et scientiam Dei plusquam holo„causta.“ cap. 6. v. 6. Advertendum deinde est, cum ex monte Sinai, tota multitudine populi circumsistente, lex Dei voce fuisset pronunciata, et promulgata, nullam ibi fieri mentionem de sacrificio sibi victimarum exhibendo, sed sola decalogi lex est illis proposita, quaeque eadem lex est naturalis, et quam Deus ante omnia voluit ab iis observari. Quod ergo legum illarum observantiam prae sacrificiis exigeret ab illis Deus, et quod ideo ne mentionem quidem de his fecerit, cum suam legem sua voce illis tradidisset; idcirco dicit se de his sacrificiis non esse locutum eorum patribus in die, qua eduxit illos ex Aegypto loquendo praecise de

illo tempore, quando lex Dei voce est illis pronunciata ex monte Sinai. Exod. 20. v. 1.

24. *Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, sed abierunt in voluntatibus, et in pravitate cordis sui mali, factique sunt retrorsum, et non in ante,* 25. *a die, qua egressi sunt patres eorum de terra Aegypti usque ad diem hanc. Et misi ad vos omnes servos meos prophetas per diem* id est: per quamlibet diem *consurgens diluculo, et mittens.* 26. *Et non audierunt me, nec inclinaverunt aurem suam, sed induraverunt cervicem suam, et peius operati sunt, quam patres eorum.* 27. *Et loqueris ad eos omnia verba haec, et non audient te; et vocabis eos; et non respondebunt tibi.* 28. *Et dices ad eos: Haec est gens, quae non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam: periit fides, et ablata est de ore eorum.* Fides Hebraice *Emunah* Veritas. 29. *Tonde capillum tuum, et proiice, et sume in directum planctum* Hebraice: *et tolle in loca excelsa planctum:* (וּשְׂאִי עַל שְׁפָיִם קִינָה) sensus igitur est, ut elata voce plangat, quo eius planctus longissime in altum exaudiatur: *quia proiecit Dominus, et reliquit generationem furoris sui:* hoc est: generationem, cui irasceretur, et erga quam fureret. „Haud dubium, „ait S. Hieronymus, quin populum significet Ju„daeorum." 30. *Quia fecerunt filii Juda malum in oculis meis, dicit Dominus. Posuerunt offendicula sua in domo, in qua invocatum est nomen meum, ut pollucrent eam,* 31. *et aedificaverunt ex*

celsa Topheth, quae est in valle filii Ennon, ut incenderent filios suos, et filias suas igni, quae non praecepi, nec cogitavi in corde meo. Tophet tympanum significat: cumque filios, et filias suas sacrificarent, atque igne vivas cremarent, impietatemque gentilium imitarentur, qui tympanorum etiam sonitum in crematione prolium, quam Saturno faciebant, adhibebant; verisimillimum est, et tympana Judaeos etiam inter haec sacrificia pulsasse, et ab hac pulsatione illi loco nomen etiam Topheth factum esse. Moloch autem idolo, qui putatur idem esse cum Saturno, immolationem hanc prolium suarum nefariam, et execrandam exercebant. Ex valle filii Ennon Hebraice: *Ge ben Hinnom* (גֵיא בֶן־הִנֹּם) per contractionem ortum est nomen Gehennae, quod deinde in Evangelio saepius recurrit. Ennon autem nomen proprium est cuiusdam personae, et a cuius filio deinde denominationem vallis acceperit. 32. *Ideo ecce dies venient, dicit Dominus, et non dicetur amplius Topheth, et vallis filii Ennom, sed vallis interfectionis, et sepelient in Topheth, eo quod non sit locus.* Alibi nimirum humandi locus propter cadaverum multitudinem; atque adeo cogerentur humationem etiam in Topheth instituere: tametsi iste illis fuisset in honore locus, et quo proinde cadavera propter loci superstitiosam reverentiam non intulissent antea. 33. *Et erit morticinum populi huius in cibos volucribus caeli, et bestiis terrae, et non erit, qui abigat.* 34. *Et quiescere faciam de urbibus Juda, et de plateis Jerusalem*

vocem gaudii, et vocem laetitiae vocem sponsi, et vocem sponsae. In desolationem enim erit terra.

CAPVT VIII.

In calamitate, quae ventura per Chaldæos esset, eiectum iri ossa regum, Juda et eius principum e sepulchris, viventium autem tantam futuram desperationem, ut mori praeoptent, quam ulterius vivere.

1. *IN illo tempore, ait Dominus, eiicient ossa regum Juda, et ossa principum eius, et ossa sacerdotum, et ossa prophetarum, et ossa eorum, qui habitaverunt Jerusalem de sepulchris suis, 2. et expandent ea ad solem, et lunam, et omnem militiam caeli, quae dilexerunt, et quibus servierunt, et post quae ambulaverunt, et quae quaesierunt, et adoraverunt: non colligentur, et non sepelientur, in sterquilinium super faciem terrae erunt. 3. Et eligent magis mortem, quam vitam omnes, qui residui fuerint de cognatione hac pessima in universis locis, quae derelicta sunt: ad quae eieci eos, dicit Dominus exercituum.* In universis locis, quae derelicta sunt, quo hi residui eiicientur, praeoptabunt mori, quam miseram vitam diutius telerare, intelliguntur loca, quae illis relicta sunt, et concessa adhuc, ut possint in iis vitam trahere. Chaldaeus totum hoc sic clarius posuit: *Et eligetur mors magis, quam vita omnibus reliquiis, quae remanse-*

rint de cognatione hac pessima in omnibus locis, in quibus remanserint, ad quae transmigrare eos feci, dicit Dominus. „Solebant autem, ait S. Hie-„ronymus, iuxta antiquum morem aurum, et quae-„dam ornamenta vel mulierum, vel virorum in se-„pulchris condere, ideo ossa e tumulis profere-„bantur.“

4. *Et dices ad eos: haec dicit Dominus: Numquid, qui cadit, non resurget? et qui aversus est, non revertetur?* „Post tanta mala, ait S. Hiero-„nymus, ad poenitentiam provocat eos, qui potu-„erint remanere; sive prius, quam veniant, quae „minatus est, hortatur ad conversionem, et dat lo-„cum poenitentiae.“ 5. *Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem aversione contentiosa? Apprehenderunt mendacium, et noluerunt reverti.* 6. *Attendi, et auscultavi: nemo, quod bonum est, loquitur; nullus est, qui agat poenitentiam super peccato suo, dicens: quid feci? Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad praelium.* 7. *Milvus in caelo cognovit tempus suum; turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit iudicium Domini.* 8. *Quomodo dicitis: sapientes nos sumus, et lex Domini nobiscum est? Vere mendacium operatus est stilus mendax scribarum.* Scribae illi dicebantur, qui legis peritiam profitebantur. 9. *Confusi sunt sapientes, perterriti, et capti sunt. Verbum enim Domini proiecerunt, et sapientia nulla est in eis.* 10. *Propterea dabo*

mulieres eorum exteris, agros eorum haeredibus: exterorum videlicet, quod modo nomen antecessit, haeredibus: *quia a minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur, a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium.* 11. *Et sanabant contritionem filiae populi mei ad ignominiam dicentes: pax, pax, cum non esset pax.* Ad ignominiam, sive ad suam confusionem, cum eorum asseverationi, et pollicitationi de pace eventus contrarius responderet.

12. *Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quin imo confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt: idcirco cadent inter corruentes, in tempore visitationis suae corruent, dicit Dominus.* 13. *Congregans congregabo eos, ait Dominus, non est uva in vitibus, et non ficus in ficulnea, folium defluxit, et dedi eis, quae praetergressa sunt.* Congregans congregabo eos, ex subsequente deinde intelligitur, quomodo haec eorum congregatio, et collectio facta sit per modum scilicet vindemiae, et ficuum, ita ut non remaneat in vite racemus, neque ficus ulla in ficulnea, folia quoque ipsa decidant illis. *Et dedi eis, quae praetergressa sunt,* Hebraice: *Et dedi eis, qui transibunt illos:* (וָאֶתֵּן לָהֶם יַעַבְרוּם) Qui transibunt, sicuti nimirum per vites, et ficulneas iri solet, dum fructus ex illis colliguntur. 14. *Quare sedemus? convenite, et ingrediamur civitatem munitam, et sileamus ibi: quia Dominus Deus noster silere nos fecit, et potum dedit nobis aquam fellis. Peccavi-*

mus enim Domino. Quare sedemus? cur moramur, cur non imus? Imminente autem hoste, et cum fremitum equorum hostilis exercitus, ut deinde sequetur, iam exaudirent, hortantur se, ut ad munitas urbes se ipsos conferant, et in silentio ibi sint, hoc est: deplorent, et ferant eam, qua ipsos Deus calamitate affecit, siquidem ei peccaverint. 15. *Exspectavimus pacem, et non erat bonum; tempus medelae, et ecce formido.* 16. *A Dan auditus est fremitus equorum eius; a voce hinnituum pugnatorum eius commota est omnis terra. Et venerunt, et devoraverunt terram, et plenitudinem eius, urbem, et habitatores eius.* 17. *Quia ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, et mordebunt vos ait Dominus.* De incantatione erga sapientes, cum illa quoque ibi memoraretur, dictum est ad Psalmi 57. v. 6.

18. *Dolor meus super dolorem, in me cor meum moerens.* „Emphatice haec, ait S. Hierony-„mus, ex persona Dei legenda sunt, plangentis „eversionem Jerusalem, et eius miserias non fe-„rentis.“ 19. *Ecce vox clamoris filiae populi mei de terra longinqua: numquid Dominus non est in Sion, aut rex eius non est in ea? Quare ergo me ad iracundiam concitaverunt in sculptilibus suis, et in vanitatibus alienis?* Filia populi est Jerusalem. Huius ergo vocem se exaudisse dicit Deus, nimirum dum iam circumdata esset ab hostibus, et se premi graviter sentiret. De terra autem longinqua dicitur eius vox venisse ad Deum. „Causa, ait

„S. Hieronymus, manifeste est, quod Dominus „non sit in ea, et Rex illius recesserit ab ea.“ Ipse autem Dominus etiam Rex illius compellatur, qui quaerit, num illa ergo non sibi haberet praesto Dominum, et Regem suum, a quo auxilium ei feratur? Respondetque ad interrogationem iterum ipse Deus: cur ergo ad iracundiam ipsum concitavissent praeferendo ei idola, vanosque deos? 20. *Transiit messis, finita est aestas, et nos salvati non sumus.* „Rursum populus loquitur, ait S. Hieronymus, qui „in Jerusalem diuturna obsidione conclusus est, „quia mutata sint tempora, et anni circulus evolu„tus sit, et omnis eorum spes irrita fuerit, atque „transierit.“

21. *Super contritione filiae populi mei contritus sum, et contristatus, stupor obtinuit me.* „Re„spondit Deus, ait S. Hieronymus, quod in affli„ctione Jerusalem ipse videatur afflictus, et in hu„manam similitudinem stupore conteratur.“ 22. *Numquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix filiae populi mei?* „Non solum in praesenti loco, „ait S. Hieronymus, sed et in multis aliis testimo„niis Scripturarum, invenimus resinam Galaad pro „poenitentia poni, atque medicamine, mirarique „nunc Deum, quare vulnera Jerusalem nequaquam „curata sint, et necdum cicatrices obduxerint cu„tem, et quod non desint Prophetae, nec sacerdo„tes, quorum debeant curari medicamine.“ De resina, quod pro curandis vulneribus, medicamentis-

que adhiberetur, est etiam infra Jeremiae 51. v. 8. erga Babylonem: „Subito cecidit Babylon, et con„trita est, ululate super eam, tollite resinam ad „dolorem eius, si forte sanetur.“ Galaad fuit regio trans Jordanem sita, et de qua saepe iam hactenus facta est mentio, et ex qua mercatores illi etiam resinam in Aegyptum ferebant, qui emerunt Josephum. Genes. 37. v. 25.

CAPVT IX.

Jerosolymae sortem deflet ipse Deus: docet deinde, nemini in re alia gloriandum, quam si sciat, et noscat Deum: alias gentes esse carne incircumcisas, Israelitas autem corde.

1. *QUIS dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontes lacrimarum? et plorabo die, ac nocte interfectos filiae populi mei?* „Hoc autem, ait S. Hie„ronymus, tam ex Prophetae, quam ex Domini „persona intelligi potest.“ 2. *Quis dabit me in solitudine diversorium viatorum? Et derelinquam populum meum, et recedam ab eis: quia omnes adulteri sunt, coetus praevaricatorum.* „Melius est, „inquit, verba sunt S. Hieronymi, habitare in extre„ma solitudine, quam inter tanta hominum scelera „commorari.“ 3. *Extenderunt lingvam suam, quasi arcum mendacii, et non veritatis: confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, et me non cognoverunt, dicit Dominus.* Cum et hoc,

ut aperte demonstratur per ipsum Prophetam, sit dictum ab ipso Deo, itemque, quod initium huius capitis antecessit in fine superioris capitis sit ab eodem Deo pronunciatum; illud quoque: *Quis dabit capiti meo*, et *Quis dabit me in solitudine diversorium*, magis videtur de Deo, in cuius persona Propheta hoc dixerit, accipiendum. Nam et Christus „Videns civitatem flevit super illam" Luc. 19. v. 41. De malo ad malum egredi significat, ad ulteriora semper flagitia esse progressos, nec ad terminum aliquem flagitiose vivendi illos venisse. Confortati autem sunt, nimirum in perversitate.

4. *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet.* 5. *Et vir fratrem suum deridebit, et veritatem non loquetur. Docuerunt enim lingvam suam loqui mendacium: ut inique agerent, laboraverunt.* 6. *Habitatio tua in medio doli.* Hoc ad Jeremiam a Deo loquente est directum. *In dolo renuerunt scire me, dicit Dominus.* 7. *Propterea haec dicit Dominus exercituum: Ecce ego conflabo, et probabo eos. Quid enim aliud faciam a facie filiae populi mei?* „Sive, quid faciam, ait S. Hieronymus, a facie malitiae filiae „populi mei?" 8. *Sagitta vulnerans lingva eorum, dolum locuta est: in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias.* 9. *Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in gente huiusmodi non ulciscetur anima mea?* 10.

Super

Super montes assumam fletum, ac lamentum, et super speciosa deserti planctum, quoniam incensa sunt, eo quod non sit vir pertransiens, et non audierunt vocem possidentis: a volucre caeli usque ad pecora transmigraverunt, et recesserunt. 11. *Et dabo Jerusalem in acervos arenae, et cubilia draconum.* Hebraicum *Tannim*, pro quo in Latina Scripturae versione plerumque draco solet poni; Hebraeis cetum marinum, vel terrestrem etiam belluam, et feram animantem significat: *et civitates Juda dabo in desolationem, eo quod non sit habitator.* 12. *Quis est vir sapiens, qui intelligat hoc, et ad quem verbum oris Domini fiat, ut annunciet istud, quare perierit terra, et exusta sit, quasi desertum, eo quod non sit, qui pertranseat?* „Interrogat Propheta, ait S. Hieronymus, si quem sapientium in Jerusalem valeat reperire, et eorum, ad quos fiat sermo Dei, et qui possint annunciare Domini voluntatem, et causas reddere; cur Judaea redacta sit in solitudinem, et omnibus interfectis nullus remanserit, qui per eam transeat.“

13. *Et dixit Dominus: Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, et non audierunt vocem meam, et non ambulaverunt in ea.* 14. *Et abierunt post pravitatem cordis sui, et post Baalim, quod didicerunt a patribus suis.* 15. *Idcirco haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego cibabo populum istum absynthio, et potum dabo ei aquam fellis.* 16. *Et dispergam eos in gentibus, quas non noverunt ipsi, et patres eorum, et*

mittam post eos gladium, donec consumantur. 17. *Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Contemplamini, et vocate lamentatrices, et veniant: et ad eas, quae sapientes sunt, mittite, et properent.* Contemplatio, quae dicitur, eo pertinet, ut videant, et inquirant, quaenam lamentatrices tales sint, quae naeniarum faciendarum officium suum scite, et dextre exsequi sciant. 18. *Festinent, et adsumant super nos lamentum; deducant oculi nostri lacrimas, et palpebrae nostrae defluant aquis.* 19. *Quia vox lamentationis audita est de Sion: Quomodo vastati sumus, et confusi vehementer? Quia dereliquimus terram, quoniam deiecta sunt tabernacula nostra.* Dereliquisse se terram queruntur, utpote, qui captivi ducti peregre sunt. 20. *Audite ergo mulieres verbum Domini, et adsumant aures vestrae sermonem oris eius, et docete filias vestras lamentum, et unaquaeque proximam suam planctum.* 21. *Quia adscendit mors per fenestras nostras, ingressa est domus nostras, disperdere parvulos de foris, iuvenes de plateis.* „Quod quam-„quam et spiritualiter possit intelligi, ait S. Hie-„ronymus, eo quod per omnes sensus ad animae „interitum mors introeat peccatorum; tamen et de „Babyloniorum impetu intelligi potest, quod tan-„ta sit fortitudo, et velocitas praeliandi, ut non „exspectent reserare fores, sed et per fenestras, „et tecta conscendant, ut domos vastent Jerusalem.“

22. *Loquere: haec dicit Dominus: Et cadet morticinum hominis quasi stercus super faciem re-*

gionis, et quasi foenum post tergum metentis, et non est, qui colligat. 23. *Haec dicit Dominus: Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis:* 24. *Sed in hoc glorietur, qui gloriatur: scire, et nosse me. Quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, et iudicium, et iustitiam in terra. Haec enim placent mihi, ait Dominus.* 25. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et visitabo super omnem, qui circumcisum habet praeputium:* 26. *super Aegyptum, et super Juda, et super Edom, et super filios Ammon, et super Moab, et super omnes, qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto: quia omnes gentes habent praeputium. Omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde.* ,,Multarum ex quadam parte gen-,,tium, ait S. Hieronymus, et maxime, quae Ju-,,daeae, Palaestinaeque confines sunt, usque hodie ,,populi circumciduntur, et praecipue Aegyptii, et ,,Idumaei, Ammonitae, et Moabitae, et omnis re-,,gio Saracenorum, quae habitat in solitudine, et ,,de quibus dicitur: *super omnes, qui attonsi sunt ,,in comam, habitantes in deserto.* Non igitur glo-,,riari debet Juda, qui mixtus est cum gentibus su-,,pradictis, eo quod praeputium non habeat, sed ,,ex lege Dei circumcisus sit, cum et alii haec fa-,,ciant, qui legis mandata non servant, et ignorant ,,Deum Israel. Non prodest circumcisio, quae in ,,signum data est, nisi mandata Domini comple-,,antur, sicut et comae, quae gentem significant,

„non robora corporum, et fortitudinem pugnato-
„rum. Quodque sequitur: *Omnes gentes habent*
„*praeputium: omnis autem domus Israel incir-*
„*cumcisi sunt corde*, hunc habet sensum: „Quum
„praeter Aegyptios, Idumaeos, Ammonitas, et
„Moabitas, Ismaelitas in solitudine commorantes,
„quorum plerumque pars circumcisa sit, omnes
„aliae nationes in toto orbe incircumcisae sint car-
„ne; omnis domus Israel incircumcisa sit corde,
„non carne: quae incircumcisio ducit ad mortem.
„Illa enim carnis, haec spiritus est"

CAPVT X.

Ne a signis caelestibus metuant, vanitas idololatriae, eiusque stultitia proponitur: futuraque vastatio Jerosolymae iterum praedicitur.

1. *AUDITE verbum, quod locutus est Dominus*
super vos domus Israel. 2. *Haec dicit Dominus:*
iuxta vias gentium nolite discere, et a signis caeli
nolite metuere, quae timent gentes. „Proprie ad-
„versus eos loquitur, ait S. Hieronymus, qui ve-
„nerantur caelestia, et quae in signa posita sunt
„annorum, temporum, mensium, et dierum; ab
„his aestimant regi humanum genus, et ex causis
„caelestium terrena moderari." 3. *Quia leges po-*
pulorum vanae sunt. Est positum instar causae prio-
ris de vanis observationibus siderum: quod tametsi
eae observationes decretae essent populorum statu-

tis; tamen ipsas has leges, et haec statuta non niti aliqua veritate. Atque hoc deinde, ut confirmet, profert in exemplum leges quoque de colendis statuis, a se factis, pro Deo, ut sequitur. *Quia lignum de saltu praecidit opus manus artificis in ascia.* Hoc nomen: *manus* est in genitivo casu. Quare S. Hieronymus clarius istud sic in Commentario posuit: *Opus manuum artificis.* 4. *Argento, et auro decoravit illud: clavis, et malleis compegit, ut non dissolvatur.* 5. *In similitudinem palmae fabricata sunt*, status eorum erectus in altum cum arbore palma, quae directe solet crescere, confertur: *et non loquentur: portata tollentur, quia incedere non valent. Nolite ergo timere ea, quia nec male possunt facere, nec bene.*

6. *Non est similis tui Domine: magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine.* 7. *Quis non timebit te, o Rex gentium? Tuum est enim decus: inter cunctos sapientes gentium, et in universis regnis eorum nullus est similis tui.* 8. *Pariter insipientes, et fatui probabuntur: doctrina vanitatis eorum lignum est.* Omnes stulti, et insipientes esse demonstrantur, quorum doctrina, eruditio, et sapientia de ligno, ligneisque diis colendis sit. 9. *Argentum involutum de Tharsis affertur, et aurum de Ophaz: opus artificis, et manus aerarii: hyacinthus, et purpura indumentum eorum: opus artificum universa haec.* Argentum involutum Hebraice: *Argentum extensum* (כֶּסֶף מְרֻקָּע) hoc est, malleo diductum. Tharsis vel generatim pro mari solet

usurpari, vel est Tharsus Ciliciae urbs mercatu, et emporio antiquitus clara. Aurum de Ophaz est idem illud aurum, quod Genesis 2. v. 12. laudatur. In Hebraeo autem ibi illud aurum *Paz* vocatur, quodque in ea regione nascatur, quam fluvius Phison alluit. De qua regione ibi ad illum locum dictum est.

10. *Dominus autem Deus verus est: ipse Deus vivens, et rex sempiternus; ab indignatione eius commovebitur terra, et non sustinebunt gentes comminationem eius.* 11. *Sic ergo dicetis eis: dii, qui caelos, et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his, quae sub caelo sunt.* 12. *Qui facit terram in fortitudine sua, praeparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit caelos.* Intelligitur antecedens illud: Deus verus, et ipse est Deus vivens. Est autem in praeterito hoc accipiendum: Qui fecit terram per suam fortitudinem, praeparavit, Hebraice *stabilivit* (מֵכִין) orbem per suam sapientiam, et prudentia sua extendit caelos, id est: firmamentum; et aereum hoc caelum. 13. *Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in caelo, et elevat nebulas ab extremitatibus terrae: fulgura in pluviam facit, et educit ventum de thesauris suis.* Fulgur antecedit tonitru, cuius vi commoventur nubes. Quo motu agitatae effundunt deinde copiosiorem imbrem. Id quod in fulmineis tempestatibus, dum nobis imminent nimbiferae nubes, semper experimur. Atque hoc est, quod modo dicitur, Deum fulgura in pluviam facere. Thesaurus Hebraeis *Otzar* (אוֹצָר) dicitur: et quod idem significat absconditum, atque

reconditum: quod istud cum thesauris fieri soleat, ne rapinae pateant, si multum ostententur. De ventis ergo hoc dicitur, quorum ciendorum solus Deus sibi habeat reservatam facultatem. Qua de re iam etiam ad Jobi 38. v. 22. dictum est.

14. *Stultus factus est omnis homo a scientia, confusus est artifex omnis in sculptili: quoniam falsum est, quod conflavit, et non est spiritus in eis.* 15. *Vana sunt, et opus risu dignum: in tempore visitationis suae peribunt.* Visitatio, hoc est, si quae plaga, et adversitas illa tangat; neque enim defendere se possunt verbi gratia adversus ignem. 16. *Non est his similis pars Jacob. Qui enim formavit omnia, ipse est: et Israel virga haereditatis eius: Deus exercituum nomen illi.* Pars Jacob: pars pro haereditate est posita iuxta illud Psalmi 72. v. 26. „Deus cordis mei, pars mea Deus in aeternum.“ Dum ergo dicitur Deus pars Jacob; perinde est, atque si diceretur Jsraelitis in Deo esse suam haereditatem. Non est ergo similis his sculptilibus is, qui est Israelitarum haereditas: Nam hic est ille, qui formavit omnia: rursumque Israel est huic Deo virga haeriditatis eius: id est, uno verbo, est Dei haereditas ponendo virgam haereditatis, qua mensio fundorum fieri solet, et partitio, inter haeredes pro ipsa haereditate. Sic namque etiam est dictum a Moyse Deut. 32. v. 9. „Pars autem Domini populus eius: Jacob funiculus haereditatis eius.“ Jgitur et populi Israel haereditas est Deus, et Dei idem populus. 17. *Congrega de terra confusionem tuam,*

quae habitas in obsidione. „Praecipitur Jerusalem, „ait S. Hieronymus, ut quidquid habet foris sub„stantiae, in urbem munitissimam congreget, et „longae obsidioni paret alimenta. Se enim, nequa„quam ut prius de futuro, et longo tempore com„minari, sed iam de vicina captivitate, quae iam, „iamque ventura sit. Congrega, inquit, et de fo„ris, et de terra, hoc est, ex agris substantiam „tuam, sive confusionem. Quae licet praepares haec, „super his Domini dicta cognosce.“ In Hebraeo; *confusionem tuam* est *kineathech* (כִּנְעָתֵךְ) significatque proprie id, quod alicui charum, et desiderabile est, atque adeo pretiosam substantiam. De qua servanda solliciti ii solent esse, illumque recondunt, qui metuunt hostis adventum, irruptionemque in urbem. Dicitur ergo, ut se praeparent ad excipiendum hostem in urbe, in qua obsidentur.

18. *Quia haec dicit Dominus: Ecce ego longe proiiciam habitatores terrae in hac vice, et tribulabo eos, ita ut inveniantur.* In Hebraeo active est; *ut inveniant.* (לְמַעַן יִמְצָאוּ) Quod Chaldaeus sic plenius posuit: *ut recipiant tribulationem peccatorum suorum*, Septvaginta: *Ut inveniatur plaga tua* ὅπως εὑρεθῇ ἡ πληγή σου. 19. *Vae mihi super contritione mea, pessima plaga mea.* „Ipsa Jeru„salem loquitur“ ait S. Hieronymus. *Ego autem dixi: plane haec infirmitas mea est, et portabo illam.* „Ipsa loquitur Jerusalem, iterum dicit S. Hie„ronymus; Quidquid patior, mea culpa patior, „intelligo vulnus meum, quod apprehendit me,

„sive : iram Dei sustinebo, quoniam peccavi ei.“ 20. *Tabernaculum meum vastatum est: omnes funiculi mei dirupti sunt, filii mei exierunt a me, et non subsistunt: non est, qui extendat ultra tentorium meum, et erigat pelles meas.* Tentorii pelles. „Subversionem urbis suae tam facilem plangit Jerusalem, ut nequaquam muros, et moenia funditus eruta, sed tabernaculi, atque tentorii ablationem „putes. Tabernaculum, inquit, hoc est, habitatio „mea repente sublata est. Non est, qui extendat „ultra tentorium meum, non est, qui me instauret.“ 21. *Quia stulte egerunt pastores, et Dominum non quaesierunt, propterea non intellexerunt, et omnis grex eorum dispersus est.* „Per translationem pastorum, atque ovium, ait S. Hieronymus, principum culpa, et dispersio populi describitur.“

22. *Vox auditionis ecce venit, et commotio magna de terra Aquilonis, ut ponat civitates Juda in solitudinem, et habitaculum draconum.* Non multo ante capitis 9. versu 11. fuit etiam hoc vocabulum, et ibi explicatum est. 23. *Scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est, ut ambulet, et dirigat gressus suos.* „Erubescant novi praedicatores, (ait S. Hieronymus, Pelagianos autem „intelligit) qui aiunt, unumquemque suo arbitrio „regi, (dicebant autem ita suo hominem arbitrio „regi, ut ad fidem et salutaria opera sibi ipsi sufficientem esse docerent etiam absque Christi gratia) „cum et hic Propheta dicat: *Non est hominis via*

„*eius*, et David in lyrico canat carmine: *A Domino* „*gressus hominis dirigentur, et viam eius volet* „*nimis*. Psal. 36. v. 23. Sive hic sensus est: quod „a Babyloniis sustinemus, non est eorum fortitudi- „nis, sed nostri meriti, et indignationis tuae.“ Atque huc omnino istud Prophetae dictum spectare, non posse ipsos effugere, atque evitare hanc plagam, quam illis Deus decrevisset, ex eo perspicuum fit, quod deinde e vestigio Deum oret, ne saltem in furore ipsos puniat, moderationemque in puniendo adhibeat. Hoc vero, quod in hominis facultate non sit, si Deus decrevit illum plectere, ut possit effugere plagam illam, et poenam, Quis enim illi resistet Job. 9. v. 4. aut quis se subducere potest illius omnipotentiae? adhibent Protestantes eo, ut ex hoc conentur probare homini non esse liberum arbitrium. De poenis ergo, atque suppliciis, dum ea Deus alicui irrogat, quod ex illis non possit effugere, qualis haec est consequentia ad ipsam facultatem in homine agendi liberam, cum ne punire quidem iuste Deus aliquem posset, nisi in eo, quem punit antecessisset culpa, et peccatum; neque vero peccatum illius aliquod esse possit, qui caret libero arbitrio? „Si enim non sponte, ait S. Chrysostomus homil. „13. in Epist. ad Rom. sed ex necessitate pecca- „mus; certe supplicia pro factis illata non ratione „nituntur.“ „Cum ergo sis iustus, ait Sapiens, iuste „omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet „puniri; condemnare exterum aestimas a tua vir- „tute.“ Dum ergo liberum arbitrium homini aufe-

runt, liberant illum etiam omni peccato; et dum nihilominus Deus punit, ut eum punivisse est in hoc praesenti capite; sequitur ex illorum sententia, ut Deus iniustus sit. De libertate autem, quae relicta sit homini etiam post originale peccatum, quoniam alibi iam dictum est supervacaneum esset, illa hic iterum repetere. 24. *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, et non in furore tuo.* „Ut „me emendes, ait S. Hieronymus, quasi filium, et „non punias, quasi inimicum.“ Judicium igitur positum est pro animi moderatione, pacataque mente in iudicando. Quae si desit, et irae affectus dominetur in iudice; is modum in puniendo servare non soleat. Itaque David quoque ad hunc modum Deum obsecravit: „Domine ne in furore tuo arguas me, „neque in ira tua corripias me.“ Psal. 6. v. 1. 25. *Effunde indignationem tuam super gentes, quae non cognoverunt te, et super provincias, quae nomen tuum non invocaverunt; quia comederunt Jacob, et devoraverunt eum, et consumpserunt illum, et decus eius dissipaverunt.* Decus eius Hebraice *habitaculum eius* (נָוֵהוּ) dissipaverunt.

CAPVT XI.

Monentur Judaei, ut observent pactum, quod Deus pepigit cum eorum patribus. Quod dum facere nolunt, monet Deus prophetam, ne vel pro illis oret; eique demonstrat, machinationes eorum, et studia ad perdendum eum.

1. *VERBUM, quod factum est a Domino ad*
Jeremiam dicens: 2. *Audite verba pacti huius, et*
loquimini ad viros Juda, et ad habitatores Jeru-
salem, 3. *et dices ad eos: Haec dicit Dominus*
Deus Israel: maledictus vir, qui non audierit ver-
ba pacti huius, 4. *quod praecepi patribus vestris*
in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de forna-
ce ferrea dicens: Audite vocem meam, et facite
omnia, quae praecipio vobis, et eritis mihi in po-
pulum, et ego ero vobis in Deum, 5. *ut suscitem*
iuramentum, quod iuravi patribus vestris, datu-
rum me eis terram fluentem lacte, et melle, sicut
est dies haec. „Terram lacte, et melle manantem
„debemus accipere, ait S. Hieronymus, pro rerum
„omnium abundantia." Sicut est dies haec: „Sic-
„ut rebus ipsis hodie comprobatur" ait idem S.
Hieronymus. Nimirum cum Deus promisisset se
hanc terram illis daturum; omnino hanc illis esse
datam, illos ipsos videre, seque in hac terra col-
locatos esse, quasi testes appellat. Quod tamen
iuramentum, ut suscitet, adhuc dicit: quatenus ni-
mirum, ut deinceps quoque stet, et ne Deus ex

hac terra illos exturbet, et eiiciat. *Et respondi, et dixi: Amen Domine.* „Pro quo Septvaginta, ver-
„ba sunt S. Hieronymi, Fiat Domine, hoc enim
„Amen significat, transtulerunt."

6. *Et dixit Dominus ad me: vociferare omnia verba haec in civitatibus Juda, et foris Jerusalem* in plateis Jerusalem (בְּחֻצוֹת יְרוּשָׁלִַם) *dicens: audite verba pacti huius, et facite illa.* 7. *Quia contestans contestatus sum patres vestros in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, usque in diem hanc: mane consurgens contestatus sum, et dixi: audite vocem meam.* Matura surrectione significari actionis diligentiam iam alias declaratum etiam est. 8. *Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam: sed abierunt unusquisque in pravitate cordis sui mali. Et induxi super eos omnia verba pacti huius, quod praecepi, ut facerent, et non fecerunt.* Induxit Deus super illos omnia verba sui pacti, hoc est, poenarum comminationes, quas ipsis fecerat, si foedus hoc Dei non observarent. Chaldaeus vertit: *Adduxi super eos ultionem.* 9. *Et dixit Dominus ad me: Inventa est coniuratio in viris Juda, et in habitatoribus Jerusalem.* „Pro coniuratione, ait S.
„Hieronymus, quam nos iuxta Symmachum inter-
„pretati sumus; Aquila, et Septvaginta, et Theo-
„dotio συνδεσμὸν transtulerunt, quam nos *Colliga-*
„*tionem* possumus dicere. Unde et Athalia, cum
„in templo sibi parari insidias deprehendisset, eo-
„dem verbo locuta est: *Coniuratio, coniuratio.*
„(4. Reg. 11. v. 14.) Proprie autem hoc verbo

„Scriptura utitur, quando non subito, fortuitoque „peccato, sed paratis insidiis, et coniuratione tenditur ad delictum, et pari mente, unoque studio „id agunt, ut Dei mandata contemnant."

10. *Reversi sunt ad iniquitates patrum suorum priores, qui noluerunt audire verba mea: et hi ergo abierunt post deos alienos, ut servirent eis: irritum fecerunt domus Israel, et domus Juda pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum.*
11. *Quamobrem haec dicit Dominus: Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt: et clamabunt ad me, et non exaudiam eos.*
12. *Et ibunt civitates Juda, et habitatores Jerusalem, et clamabunt ad deos, quibus libant, et non salvabunt eos in tempore afflictionis eorum.* 13.
Secundum numerum enim civitatum tuarum erant dii tui Juda, et secundum numerum viarum Jerusalem posuisti aras confusionis, aras ad libandum Baalim. 14. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, et ne adsumas pro eis laudem, et orationem: quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum.* Jam supra etiam cap. 7. v. 16. hoc idem monuerat Deus Jeremiam, ne se interponeret pro populo, quem exauditurus non sit. 15. *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Numquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es?*
„Dilectum, et amantissimum vocat, ait S. Hiero„nymus, populum Juda, qui in templo eius posuit, „et veneratus est idola, et in eo se putat iram Dei

„„placare; si multas hostias immolet, et gloriatur „in sacrificiorum multitudine, quae malitias peccatorum auferre non possunt.“ 16. *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelae, grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt fruteta eius.* „Comparat autem Jerusalem, ait S. Hieronymus, sive omnem populum Judaeorum olivae „pulchrae, atque fructiferae, quae exaltata per superbiam nequaquam egit humiliter, nec intellexit Creatorem, et Dominatorem suum: sed elata „per superbiam, et locuta granditer, Domini igne „succensa est, ita ut comburerentur, et redigerentur ad nihilum rami, sive fruteta eius, id est, „omnis populus adversariorum gladio deleretur. Hic „sensus et in alio loco est, ubi dicitur ad Jerusalem: Ego te plantavi vineam frugiferam, omnem „veram: quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliena?“ supra cap. 2. v. 21.

17. *Et Dominus exercituum, qui plantavit te, locutus est super te malum pro malis domus Israel, et domus Juda, quae fecerunt sibi ad irritandum me, libantes Baalim.* 18. *Tu autem Domine demonstrasti mihi, et cognovi: tunc ostendisti mihi studia eorum.* 19. *Et ego quasi agnus mansvetus, qui portatur ad victimam: et non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: mittamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium, et nomen eius non memoretur amplius.* „Omnium Ecclesiarum iste est, ait S. Hieronymus,

„consensus, ut sub persona Jeremiae a Christo haec „dici intelligant, quod ei Pater monstraverit, quo„modo eum oporteat loqui, et ostenderit illi stu„dia Judaeorum, et ipse, quasi agnus, ductus ad „victimam non aperuerit os suum, et non cognove„rit, subauditur: peccatum, iuxta illud, quod ab „Apostolo dicitur: *Qui cum non cognovisset pec„catum, pro nobis peccatum factus est:* (2. Cor. „5. v. 21.) et dixerint: *Mittamus lignum in panem „eius*, Crucem videlicet in corpus Salvatoris. Ipse „est enim, qui ait: *Ego sum panis vivus, qui de „caelo descendi.*“ Joan. 6. v. 31. Omnino hoc de nece, et crucifixione Christi interpretantur Justinus contra Tryphonem, Tertullianus libri contra Judaeos cap. 10. et contra Marcionem l. 3. c. 19. S. Cyprianus lib. 2. contra Judaeos cap 15. S. Ambrosius in Titul. Psal. 35. S. Gregorius l. 3. Moral. cap. 12. pluresque alii. Commune, et usitatissimum vitae sustentaculum est panis. Quod ergo dicitur in panem mittere lignum, significat panis loco ei porrigere lignum, quo pascatur, hoc est, interimatur. Neque enim, si alicui lignum panis loco pro cibo detur, vivere potest. Chaldaeus apertius adhuc istum posuit sensum: *Mittamus venenum mortiferum in cibo eius, et disperdamus eum de terra Israel.* Juxta vero Hebraeum presse est hoc sic: *Perdamus lignum cum pane eius.* (נַשְׁחִיתָה עֵץ בְּלַחְמוֹ) Nam litera *Beth* vocabulo *panis* praefixa, quamque Latinus praepositione Latina *in* expressit, etiam pro praepositione *cum* adhiberi ab Hebraeis saepissime solet,

solet. Ligni autem eodem vocabulo Hebraei intelligunt arborem etiam virentem, cuius deinde fructus panis vocatur generico nomine alimenti, quod ex arborum etiam fructibus peti solet. Sensus proinde est: Perdamus arborem cum fructu illius. Arbor igitur intelligitur Jeremias, sicque, ut typum gesserit Salvatoris nostri, quod, quemadmodum olim Jeremiam sui populares persecuti sunt, perdereque destinatum habuerunt, cuius monita, et obiurgationes ferre noluerint; sic hoc idem deinde erga Christum sui Judaei, qui eum non receperunt, fecerint, effectumque dederint: fructum autem arboris istius Judaei persequentes Jeremiam vocarunt illas conciones, et prophetias, quas illis quasi ad manducandum proposuit: sicuti rursus in Christo haec eius fuit doctrina, ob quam eum Judaei persecuti sunt. Vel vero panis relate ad arborem potest intelligi humor etiam, et succus, quem e terra ad suum nutrimentum trahit. Qua ratione perdere arborem cum eius pane, significat evellere ipsam, ut arefiat. Et ita non re, sed verbis hae omnes expositiones tantum differunt, semperque hoc Judaeorum eo pertineat dictum, ut invisum sibi Jeremiam propter graves, et molestas vaticinationes e medio submoveant. Quod deinde manifestius adhuc ponitur in verbis subsequentibus: *Eradamus eum de terra viventium, et nomen eius non memoretur amplius.* Illud autem: *Non cognovi*, quod S. Hieronymus sic interpretatus est, ut voluerit subintelligi peccatum; presse magis, quin in subsidium debeat aliunde advocari

aliquod vocabulum, quo quasi sarciatur incompleta oratio, potest etiam ita intelligi, ut sicut Jeremias, antequam hoc ei a Deo esset demonstratum, non cognoverit Judaeorum erga se machinationes; ita ad Christum etiam eatenus hoc spectet, non eum cognovisse, quae in eius exitium Judaei consilia agitaverint, quatenus se ita inter eos gesserit mansvete, atque illorum furori se commiserit, quasi quod necem ei molirentur, ignoravisset, sicutque agnus, qui portatur ad victimam, et quomodo in Persona illius etiam Psaltes cecinit: „Factus sum sicut homo non „audiens, et non habens in ore suo redargutiones.“ Psal. 37. v. 15.

20. *Tu autem Domine Sabaoth, qui iudicas iuste, et probas renes; et corda, videam ultionem tuam ex eis. Tibi enim revelavi causam meam.* „Juxta assumpti corporis sacramentum, ait S. Hieronymus, loquitur Filius ad Patrem, et imprecatur iudicium eius, dum laudat iustitiam, et inspectorem „renis, et cordis invocat Deum, ut ipse reddat populo, quod meretur, et dicit: *Videam ultionem „tuam ex eis*, eorum videlicet, qui in scelere perseverant, et non eorum, qui convertuntur ad poenitentiam. De illis ait in Cruce: *Pater ignosce „illis, quod enim faciunt, nesciunt.* Revelatque „Patri, et aperit causam suam, quia nullo suo merito, sed scelere populi crucifixus est.“ Iterum autem Jeremias de se, et erga suos adversarios hoc dixit, sed in quo personam figuraverit Christi. Ultionemque si expetiisset propter se, et sui animi cau-

sa ex adversariorum supplicio, reprehendi posset haec illius postulatio. „Qui enim vindicari vult, a „Domino inveniet vindictam, et peccata illius ser„vans servabit.“ Eccli. 28. v. 1. At vero laesi Divini honoris studio illam expetere, tantum abest, ut malum sit, ut Phinees propterea etiam, quod hanc repetierit ipse suis manibus a flagitioso, laudatus a Deo, et factum illud imputatum ei ad iustitiam sit. Psal. 105. v. 31. Sabaoth est ipsum Hebraicum nomen, quodque alias Latinus Interpres vertit: *Exercituum*. Deusque exercituum vocatur, cuius potentia quasi similis sit multis exercitibus. 21. *Propterea haec dicit Dominus ad viros Anathoth, qui quaerunt animam tuam, et dicunt: non prophetabis in nomine Domini, et non morieris in manibus nostris.* Hoc est; non prophetes in nomine Domini, et ita intactum te relinquemus, nec manus tibi afferemus. 22. *Propterea haec dicit Dominus exercituum: Ecce ego visitabo super eos: iuvenes morientur in gladio, filii eorum, et filiae eorum morientur in fame.* 23. *Et reliquiae non erunt ex eis. Inducam enim malum super viros Anathoth, annum visitationis eorum.* Annum, hoc est: tempus inducam, quo eos ob sua peccata visitem, atque puniam.

CAPVT XII.

Vult Propheta scire ex Deo, cur impiis rerum prosperitatem concedat, a quibus ipse exagitaretur: docet vero Deus, eum esse experturum ab adversariis adhuc graviora: demonstrat se haereditatem suam esse derelicturum, hostibusque traditurum, sed a quibus eam rursus vindicaturus in libertatem sit.

1. *JUSTUS quidem tu es Domine, si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui praevaricantur, et inique agunt?* Dicit Propheta iustum esse Deum, etiamsi adversus eum disputaret: et tamen idem etiam iustum illud, quod diceret, Deoque opponeret, profitetur. Quomodo ergo haec inter se consentiunt? Neque enim adversus iustitiam iustae querimoniae locus esse potest. Quare, ne putemus Jeremiam vel sibi contraria, vel praepostere etiam aliquid contra Deum esse locutum; istud: *Justa loquar ad te* non sic sumi debet, quasi Propheta Deo, eiusque iustitiae suas aliquas rationes sic opponere voluisset; ut has cum Dei iustitia contenderet quasi ei contrarias; sed qui ex Deo tantummodo illud quaesiverit, in quo mens ipsius adhaereret, quomodo impiorum tanta prosperitas cum Dei iustitia consisteret. Quare Chaldaeus hoc ita apertius vertit: *Interrogationem iudicii interrogo a facie tua.* Et in Hebraeo loco huius: *Justa loquar ad te*, est: *Judicia loquar tecum.* (מִשְׁפָּטִים

אֲדַבֵּר אוֹתָךְ) Hoc est ergo de iudiciis locuturum cum eo se dicit, deque ratione illa ipsius iudiciorum, qua impiis tantam rerum suarum prosperitatem concedit.

2. *Plantasti eos, et radicem miserunt: proficiunt, et faciunt fructum: prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum.* Quem Deum illi impii tantum in suo ore habeant; longe autem ex suo corde amoverint. Notat igitur illos esse hypocritas. 3. *Et tu Domine nosti me, vidisti me, et probasti cor meum tecum.* Tacite intelligitur: Cur ergo tantas adversitates ab impiis patior? *Congrega eos quasi gregem ad victimam, sanctifica eos in die occisionis.* Praepara eos ad diem occisionis. Sanctificare sumi pro praeparare iam in hoc etiam libro demonstratum est. 4. *Usquequo lugebit terra, et herba omnis regionis siccabitur propter malitiam habitantium in ea? Consumptum est animal, et volucre, quoniam dixerunt: Non videbit novissima nostra.* Dum dicitur: terra lugere, et regionis omnem herbam esse exsiccatam; intelligitur Deus sterilitate terram affecisse, et ex qua defectu pabuli perierint animantia tam quadrupedia, quam volucria, propter malitiam autem hominum habitantium in eadem terra. Qui nihilominus non desisterent a sua malitia, et pergerent iactare Deum non visurum illorum novissima. Novissimum autem in hominis vita est mors. De quibus ergo Deus curaturus non sit sumere poenas in eorum morte: et qua fiducia non moverentur illis plagis, quibus Deus propter ipsos afficeret terram, et animantia. Cur ergo Deus, dicit

Propheta, terram puniret, quae nocens non esset, et non potius illos.

5. *Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis? Cum autem in terra pacis securus fueris, quid facies in superbia Jordanis?* Est Dei ad Jeremiam responsum animantis eum, et praenunciantis ei maiores, quas adhuc laturus esset adversitates. Istas, quas ad hoc tempus in Anathoth a cognatis, et concivibus suis pertulisset iniurias, et acerbitates, comparat contentioni cursus cum peditibus; illas, quas adhuc Jerosolymae experturus esset adversitates, cursui cum equitibus: et si iam lassus esset currendo cum peditibus; quomodo sufficiat deinde currere cum equitibus. Cursurum autem illum etiam cum his; tanto minus ergo cursus iste remissior movere illius animum, et perturbare debeat. Itemque anteriores illas insectationes cum quieta habitatione in terra; illas alteras, quae illum adhuc exspectarent, cum fluctibus, aquisque exundantibus Jordanis confert. Confirmavit igitur Prophetam Deus, ne iam levioribus rebus perturbaretur, et concideret animo, quem ipse missurus adhuc sit ad subeundas graviores pugnas. 6. *Nam et fratres tui, et domus patris tui etiam ipsi pugnaverunt adversum te, et clamaverunt post te plena voce: Ne credas eis, cum locuti fuerint tibi bona.* Quod eo pertinet, ut mirum ei non videatur, quod alii ipsum persequerentur, cum hoc ipsi eius cognati faciant: et quibus fidere non debeat, etiamsi se simulent bene erga eum affectos.

7. *Reliqui domum meam, dimisi haereditatem meam: dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius.* 8. *Facta est mihi haereditas mea quasi leo in silva: dedit contra me vocem, ideo odivi eam.* „Qui in Evangelio locutus est: *Relinque-„tur vobis domus vestra deserta* (Luc. 13. v. 35.) „hic etiam in Propheta, ait S. Hieronymus, eadem „comminatur, et quod facturus est, fecisse se di-„cit. Haereditas enim Domini Israel, et funiculus „haereditatis eius. Quod autem ait: *Dedi dilectam „animam meam in manum inimicorum eius*, illud „est: *Potestatem habeo ponendi animam meam, „et potestatem habeo resumendi illam.* (Joan. 10. „v. 18.) Facta est autem haereditas quondam Do-„mini populus Judaeorum contra eum, quasi leo in „silva, quando pari adversus illum in Passione vo-„ce clamavit. Et quia dedit contra eum vocem su-„am, ideo eam odio habuit, et abiecit, et quae „quondam fuit dilecta, atque carissima, nunc ap-„pellatur odiosa." 9. *Numquid avis discolor haereditas mea mihi? numquid avis tincta per totum? Venite, congregamini omnes bestiae terrae, properate ad devorandum.* „Avem discolorem, ait S. Hierony-„mus, tinctamque per totum iuxta literam pavum vo-„cat." Aves autem pulchrae oblectamento esse solent. Non fuit autem talis erga me mea haereditas, sed quae more leonis contra me rugiit. „Quia igitur mihi facta „est haereditas quondam mea, id est, populus Jsrael, „verba sunt S. Hieronymi, quasi leo in silva, et „dedit contra me vocem suam, et eam omni odio

„detestatus sum; idcirco venite, et congregamini „contra eam omnes bestiae terrae, diversarum gen„tium multitudo, et devorate eam, quae suum Do„minum non cognovit.“

10. *Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam: dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis.* Iam etiam supra cap. 6. versu 3. duces hostium in exercitu pastores vocati sunt. Pars, et portio pro haereditatis parte, et portione, sive pro ipsa haereditate est posita. 11. *Posuerunt eam in dissipationem, luxitque super me: desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.* Haereditas mea luxit super me: „Meo, ait S. „Hieronymus, auxilio destituta.“ Nullus est, qui recogitet corde: „Qui corde recogitet Deum.“ Ait idem S. Hieronymus. 12. *Super omnes vias deserti venerunt vastatores: quia gladius Domini devorabit ab extremo terrae usque ad extremum eius: non est pax universae carni.* Per omnes vias deserti, intelligitur vero hoc desertum, quod ab Judaea spectaret Babyloniam versus, ut iam fuit etiam supra cap. 4. versu 11. veniet hostilis exercitus ad vastandam eamdem haereditatem. 13. *Seminaverunt triticum, et spinas messuerunt: haereditatem acceperunt, et non eis proderit. Confundemini a fructibus vestris propter iram furoris Domini.* Seminaverunt triticum, et spinas messuerunt: „Meliora „inquit, verba sunt S. Hieronymi, exspectaverunt,

„ et venerunt pessima: sperabant prospera, et ad„versa perpessi sunt."

14. *Haec dicit Dominus adversum omnes vicinos meos pessimos, qui tangunt haereditatem, quam distribui populo meo Israel: Ecce ego evellam eos de terra sua, et domum Juda evellam de medio eorum.* Vicini pessimi, iuxta literam, ait S. Hieronymus, sunt Idumaei, Philisthaei, Moab, et Ammon. Vicinae nimirum nationes designantur, quae infestae consveverant esse Judaeis. De quibus semper iterum solitus esset Deus desumere poenas, cum adversus Israelitas pugnassent, tametsi hos propter sua peccata illorum potestati permisisset, et ex quibus rursus deinde suum populum liberaret, et quibus ob hanc etiam causam apud Jsaiam capite 13. et sequentibus, quod infestae fuissent Israelitis, excidium denunciatur. Spectabat vero res haec ad illum typum, quod et perditurus, atque repudiaturus a se esset eos, qui secundum carnem tantum essent Israelitae, et ex his tamen conservaturus, et e servitute liberaturus illos esset, quos ipse elegisset, ut ex illo ipsius popolo sint, qui spiritu fidei sunt Israelitae. Atque huc modo respicitur, dum domus Juda de medio hostium dicitur a Deo evellenda, et in libertatem asserenda, ad suamque haereditatem revocanda. 15. *Et cum evulsero eos, convertar, et miserebor eorum, et reducam eos, virum ad haereditatem suam, et virum in terram suam.* Virum ad haereditatem, virum ad terram suam, est idiotismus lingvae Hebraeae pro eo, quod Latine diceremus: unumquem-

que ad haereditatem suam, ad terram suam. Jerusalem autem, et regio illa typum gessit Ecclesiae nec tantum, ut haec in terris peregre adhuc posita est, sed dum collocatur in caelo: ubi nostra haereditas est, qui sumus haeredes Dei, cohaeredes autem Christi; Rom. 8. v. 17. et propter quam saltem typicam, et in umbra assimilationem regio illa Judaeis data ad habitandum, cum essent educti ex Aegypto, melle et lacte manans fuit dicta regio.
16. *Et erit: si eruditi didicerint vias populi mei, ut iurent in nomine meo: Vivit Dominus, sicut docuerunt populum meum iurare in Baal, aedificabuntur in medio populi mei.* De illis, Israelitis contrariis, et infestis popolis hoc est, quod si vias populi Israel, hoc est legem Evangelii receperint, ut iurent per nomen Dei, hoc est, ut Deum invocent, posita una specie invocationis, quae fit testem Deum appellando per iuramentum, pro genere omni invocationis, futurum, ut ipsi quoque aedificentur, et in unum corpus coalescant cum Dei populo. 17.
Quod si non audierint, evellam gentem illam evulsione, et perditione, ait Dominus. Qui legem Evangelii noluerint recipere, peribunt. „Qui non crediderit, „condemnabitur." Marc. 16. v. 16.

CAPVT XIII.

Cingulo lineo se praecingit Propheta, et illud gestat, postea vero depositum defodit ad Euphratem, ita ut computresceret. Quo facto Deus declarat, se quoque populum, tametsi illum sibi ante adiunxisset, proiecturum a se, qui iam nulli sit usui, ut illud cingulum, quod computruit.

1. Haec dicit Dominus ad me: vade, et posside tibi
lumbare lineum, et pones illud super lumbos tuos,
et in aquam non inferes illud. 2. Et possedi lum-
bare iuxta verbum Domini, et posui circa lumbos
meos. 3. Et factus est sermo Domini ad me se-
cundo dicens: 4. Tolle lumbare, quod possedisti,
quod est circa lumbos tuos, et surgens vade ad
Euphratem, et absconde ibi illud in foramine pe-
trae. 5. Et abii, et abscondi illud in Euphrate,
sicut praeceperat mihi Dominus. 6. Et factum est
post dies plurimos, dixit Dominus ad me: Surge,
vade ad Euphratem, et tolle inde lumbare, quod
praecepi tibi, ut absconderes illud ibi. 7. Et abii
ad Euphratem, et fodi, et tuli lumbare de loco,
ubi absconderam illud. Et ecce computruerat lum-
bare, ita ut nulli usui aptum esset. 8. Et factum
est verbum Domini ad me dicens: 9. Haec dicit
Dominus: Sic putrescere faciam superbiam Juda,
et superbiam Jerusalem multam: 10. populum istum
pessimum, qui nolunt audire verba mea, et ambu-
lant in pravitate cordis sui, abieruntque post deos

alienos, ut servirent eis, et adorarent eos: et erunt sicut lumbare istud, quod nulli usui aptum est. 11. *Sicut enim adhaeret lumbare ad lumbos viri; sic agglutinavi mihi omnem domum Israel, et omnem domum Juda, dicit Dominus, ut essent mihi in populum, et in nomen, et in laudem, et in gloriam: et non audierunt.*

12. *Dices ergo ad eos sermonem istum: haec dicit Dominus Deus Israel: Omnis laguncula implebitur vino. Et dicent ad te: Numquid ignoramus, quia omnis laguncula implebitur vino?* Pro laguncula in Hebraeo est vocabulum *Nebel*, quod utrem significat. 13. *Et dices ad eos: haec dicit Dominus: Ecce ego implebo omnes habitatores terrae huius, et reges, qui sedent de stirpe David super thronum eius, et sacerdotes, et prophetas, et omnes habitatores Jerusalem ebrietate.* Intelligitur autem ebrietas per calicem irae furoris Domini: de quo sic est etiam apud Jsaiam: ,, Elevare, elevare, consurge Jerusalem, quae ,, bibisti de manu Domini calicem irae eius." 14. *Et dispergam eos, virum a fratre suo, et patres, et filios pariter, ait Dominus: non parcam, et non concedam, neque miserebor, ut non disperdam eos.*

15. *Audite, et auribus percipite. Nolite elevari, quia Dominus locutus est.* Ne eleventur, eos monet adversus hanc Divinae irae comminationem, et illam contemnant, sed se humiliter potius erga Deum gerant, reosque agnoscant, et suppliciter veniam petant. Quod deinde clarius versu sequente dicit, ut dent Deo gloriam; ut nimirum recognoscant

solius Dei misericordiae erga se hoc esse, si conserventur, et non pereant. Sic enim et Paulus Dei misericordiam, qua peccatori veniam concedit, qui ex se non aliud, quam supplicium merebatur, Dei gloriam vocat. „Omnes, inquit, peccaverunt, et egent „ gloria Dei. “ Rom. 3. v. 23. 16. *Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos: exspectabitis lucem, et ponet eam in umbram mortis, et in caliginem.* „ Eos, quibus dixe- „ rat sermo Divinus: *Audite, et auribus percipite,* „ *et nolite elevari*, nunc provocat ad poenitentiam, „ ut priusquam ducantur Babylonem, et offendant „ pedes eorum ad montes caliginosos, sive tenebro- „ sos, dent gloriam Deo. Quod autem Babylon, et „ omnis regio Chaldaeorum montes caliginosi, sive „ tenebrosi appellentur, in principio visionis Jsaiae „ (cap. 13. v. 2.) contra Babylonem legimus, ubi „ scriptum est: *Super montem caliginosum levate* „ *signum.* Hoc itaque praecepit, ut antequam ducan- „ tur in captivitatem, et servitutis mala sentiant, „ agant poenitentiam. Quumque exspectent lucem, „ sessuri sint in tenebris. “ 17. *Quod si hoc non audieritis, in abscondito plorabit anima mea a facie superbiae: plorans plorabit, et deducet oculus meus lacrimam, quia captus est grex Domini.* In abscondito se deploraturum eorum captivitatem dicit Propheta. „ Ut ne gemitus quidem, ait S. Hie- „ ronymus, et ploratus liber sit, ne victorum offen- „ dantur oculi.“

18. *Dic regi, et dominatrici: humiliamini, sedete: quoniam descendit de capite vestro corona gloriae vestrae.* „Prophetae praecipitur, ait S. Hie„ronymus, ut loquatur regi Jechoniae, et matri „eius, quam dominam, et dominatricem, sive re„ginam appellat, ut humilientur, et in pulvere „sedeant: perdidisse enim eos regiam dignitatem, „et regi tradendos Babylonio.“ Jechoniam, et matrem illius esse hos, ad quos modo fuit sermo, perspicuum fit etiam ex capitis 22. v. 26.
19. *Civitates Austri clausae sunt, et non est, qui aperiat: translata est omnis Juda transmigratione perfecta.* Translata est omnis domus Juda: Chaldaeus: *Migraverunt omnes de domo Juda migratione perfecta.* „Civitates Austri clausae sunt, id est, tri„bus Judae, et Jerusalem, ait S. Hieronymus, quae „iuxta solitudinem ad Austrum versa est, et non „est, qui aperiat obsidione circumdatus.“
20. *Levate oculos vestros, et videte, qui venitis ab Aquilone, ubi est grex, qui datus est tibi? pecus inclytum tuum?* Hoc, quod sic in Latino est, quasi ii, qui ab Aquilone veniunt, iuberentur adspicere, et videre, est in Hebraeo sic: *Et videte venientes ab Aquilone.* (וּרְאוּ הַבָּאִים מִצָּפוֹן) „Praecipitur ha„bitatoribus Jerusalem, ait S. Hieronymus, ut ele„vent oculos suos, et videant Chaldaeos ab Aqui„lonis parte venientes, interrogaturque ipsa civi„tas, et dicitur ei: *Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?*

21. *Quid dices, cum visitaverit te? Tu enim docuisti eos adversum te, et erudisti in caput tuum. Numquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem?* ,, Quid dices, cum te visita-
,, verit Dominus virga sua, ait S. Hieronymus, et
,, Babylonis tradiderit hostibus. Quos adversum te,
,, vel in caput tuum, vel a principio ipsa docuisti, ut
,, ad eorum auxilia confugeres, et ipsorum idola se-
,, ctareris, qui sub occasione amicitiae tuae didice-
,, runt, per quod iter ad te venire deberent." 22. *Quod si dixeris in corde tuo: quare venerunt mihi haec? Propter multitudinem iniquitatis tuae revelata sunt verecundiora tua, pollutae sunt plantae tuae.* Qui captivi ducebantur, nudis pedibus cogebantur incedere, et vix ea parte etiam, quam pudor, et vecundia abscondit, aliquatenus contecti propter victorum insolentiam, et rapinam. Quare in captivitatis futurae signum Isaias quoque iussu Dei incesserat nudus, ut est apud eum cap. 20. v. 2.

23. *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* ,, Hoc testimonio
,, utuntur adversus Ecclesiam, ait S. Hieronymus,
,, qui diversas cupiunt asserere naturas, et tantam di-
,, cunt esse vel nigredinem, vel varietatem pecca-
,, torum; ut in candorem, et unius coloris pulchri-
,, tudinem transire non possint, non attendentes hoc,
,, quod sequitur: *Et vos poteritis benefacere, cum*
,, *didiceritis, malum.* Quidquid enim discitur, non
,, naturae est, sed studii, et propriae voluntatis, quae

„ nimia consvetudine, et amore peccandi quodam„modo in naturam convertitur. Sed hoc, quod ho„minibus impossibile est, Deo possibile est, ut ne„quaquam Aethiops, et pardus suam videantur mu„tare naturam; sed ille, qui in Aethiope operatur, „et pardo, dicente Apostolo: *Omnia possum in „eo, qui me confortat Christo.* Phil. 4. v. 13. Unde „et in alio loco: *Amplius*, inquit, *illis omnibus „laboravi: non ego autem, sed gratia Dei, quae „est in me.* 1. Cor. 15. v. 10. Quas ob causas non „glorietur sapiens in sapientia sua, neque fortis in „fortitudine sua, nec dives in divitiis suis, nec pu„dicus in sua pudicitia, sciens, quod in omnibus his „Christi virtus sit, non eorum, qui in suis virtu„tibus gloriantur." Non tantum autem iis, apud quos per consvetudinem inveteravit peccatum, sed prorsus omnibus, etiam iustis hominibus, et ad singulas actiones bonas necessaria est Dei gratia. „Quia „sine me nihil potestis facere." Joan. 15. v. 5. dixit Christus discipulis suis. De his autem, ad quos hoc dictum est a Propheta, non posse bene agere, dicitur hoc, postquam didicerunt malum: tamquam qui non per inconsiderantiam, et imbecillitatem peccent, sed qui de industria ingenium suum conferant ad agendum perverse. In quibus igitur malitiae profunditas est maior, ipsaque voluntas in illis intelligitur fortius esse pravae peccandi consvetudini alligata. Comparate ergo ad ipsam voluntatem etiam est hoc dictum, non posse eos benefacere, postquam didicerunt malum: quamque talem voluntatem

vincere

vincere illis possibile non sit, non absoluta impossibilitate, sed quod admodum hoc illis difficile, et vix superabile sit propter obstinationem malae voluntatis, non relate ad gratiam. „Quae, ut S. Augustinus inquit de Praedestinatione Sanctorum cap. „8. a nullo duro corde respuitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.“ Est ergo hoc sic accipiendum, ut spes nulla sit de eorum resipiscentia, et emendatione considerata ipsorum ingenii, et mentis de industria ad male agendum applicatione: quemadmodum apud Oseam quoque capitis 5. versu 4. de Israelitis est: „Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum „suum, quia spiritus fornicationis in medio eorum,“ et Christus Judaeis dixit: „Quomodo vos potestis „credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis? Joan. 5. v. 44. ut sicut illi propter spiritum fornicationis, quo impellerentur, dicti sunt non esse reversuri ad Deum, et hi non posse credere propter aucupium vanae gloriae; ita et illi intelligantur non posse benefacere ob studium male agendi, cui se penitus tradidissent.

24. *Et disseminabo eos, quasi stipulam, quae vento raptatur in deserto.* „Quia nimia consuetudine malorum, ait S. Hieronymus, non potuerunt „mutare naturam non vitio Conditoris, sed studio „inoliti sceleris, propterea quasi stipulam vento „raptatam dispergam eos.“ 25. *Haec sors tua, parsque mensurae tuae a me dicit Dominus, quia*

oblita es mei, et confisa es mendacio. Hoc est, in idolis, utpote, qui dii appellentur, cum non sint dii. 26. *Unde et ego nudavi femora tua contra faciem tuam, et apparuit ignominia tua: 27. adulteria tua, et hinnitus tuos, scelus fornicationis tuae.* Quam denudationem femorum prius dixit, haec deinde apertius vocat adulteria, et fornicationes cum falsis scilicet diis. Sensus igitur est Deum in faciem illi obiecturum esse ea, quae cum idolis patravit flagitia. Quos hinnitus etiam vocat ,,ut non solum li-
,,bidinem, sed insaniam ostendat libidinis, ait S.
,,Hieronymus, equarum more, quae ad coitum ge-
,,stiunt.“ *Super colles in agro vidi abominationes tuas. Vae tibi Jerusalem! non mundaberis post me usquequo adhuc?*

CAPVT XIV.

Cum siccitatem Deus immissurus esset, docet Propheta id futurum propter peccata, quibus eum offenderunt: et falsis prophetis, qui spe impunitatis decipiebant populum, denunciantur poenae.

---

1. *QUOD factum est verbum Domini ad Jeremiam de sermonibus siccitatis.* Nempe hoc verbum nunc proponitur. Censuit S. Hieronymus haec Prophetam dixisse, cum iam esset illa siccitas, et pluvias Deus illis denegavisset e caelo, unde exorta deinde est fames, istudque factum, cum iam Chaldaeis etiam obsidione cincta fuisset civitas. At Pro-

phetam de futura adhuc tantum famea loqui perspicuum fit inde, quod infra versu 15. dicatur pseudoprophetas eodem tempore, quo de hac siccitate Jeremias verba ad populum faciebat, contrarium esse locutos, et populum, ne timerent famem, dementasse. Jam vero si illa fames iam tum fuisset, nec lactare populum contraria spe potuissent. De futura ergo tantummodo adhuc fame hoc et Prophetae a Deo ostensum est, et is hoc populo denunciavit. Quandonam autem fames illa acciderit, tempus ipsum nusquam in Scriptura designatur. Hebraei tradunt id accidisse sub Sedecia, ante adventum Chaldaeorum. Et omnino sic praeparabantur, ut obsidionem deinde magis sentirent, cum non haberent, quod pararent ad illam sustinendam, quam tantam fuisse, ut inedia consumerentur proles in sinu matrum suarum, est etiam Threnorum 2. v. 12. cum nec ista plaga adhuc admoniti se se vellent a suis flagitiis revocare. 2. *Luxit Juda, et portae eius corruerunt, et obscuratae sunt in terra, et clamor Jerusalem adscendit.* Quandoquidem hic non de expugnatione urbis sit sermo, sed de plumiarum defectu, et fame, quae agere in ipsas portas non solet; portarum nomine illi, qui in portis esse solebant, magistratus autem hi erant, qui ibi iudicia, et publicos conventus instituebant, intelliguntur, eoque magis, quod eaedem hae portae inedia, et fame dicantur obscuratae esse. Hoc enim hominibus accidit, qui famem tolerant, quibus ob defectum succi facies, et corpus nigrescit. Quare etiam infra Thre-

norum 5. v. 10. ita apud eumdem Jeremiam est: „Pellis nostra quasi clibanus exusta est a facie tem„pestatum famis.“ Portae ergo corruerunt, hoc est, primores ipsi civitatis fame, et siti contabuerunt. Vel vero latius portarum nomine tota etiam ipsa civitas potest intelligi, solet enim metonymice pars poni pro toto; item portae pro iis, qui intra illas portas continentur. Atque ita hoc sumpsit Chaldaeus: qui hoc ita vertit: *Luxerunt viri domus Juda, et civitates eorum desertae sunt, et coopertae sunt facies eorum nigredine, atrae, quasi olla, proiecti sunt in terram, et clamor habitatorum Jerusalem adscendit.*

3. *Maiores miserunt minores suos ad aquam: venerunt ad hauriendum, non invenerunt aquam, reportaverunt vasa sua vacua: confusi sunt, et afflicti, et operuerunt capita sua.* Docet S. Hieronymus urbem totam Jerusalem usam fuisse aquis ex uno fonte Siloe, et nec hunc fuisse perpetuum, et perennem. Itaque si pluviae deficerent, non tantum frugum, verum etiam bibendi inopiam esse factam. 4. *Propter terrae vastitatem, quia non venit pluvia in terram, confusi sunt agricolae, operuerunt capita sua.* Vastitas terrae, sive eius vastatio intelligitur illa eius plaga, qua affecta est, dum nullam acciperet pluviam. 5. *Nam et cerva in agro peperit, et reliquit: quia non erat herba.* Foetum videlicet suum reliquit, oblita illius, magnitudine famis, quae illam stimularet ab abeundum longius, herbae, et graminis quaerendi causa. 6. *Et onagri*

steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba. Ventum, hoc est: aerem attraxerunt: Feruntur enim teste Plinio l. 8. c. 12. calidioris esse naturae: quo calore magis uruntur in fame, et siti. Item dracones, quo nomine vastior quaedam species serpentium debet intelligi, quae cum ipsis elephantis solet congredi, frigus, et aerem captant. Scribit Aelianus l. 2. c. 19. illos quotidie per aliquot horas erecto capite stare, et hiante ore non tantum aerem, sed praetervolantes etiam in eo aviculas ad se attrahere. Iisdem onagris oculi defecerunt ob famem. Sicut enim reliquum corpus, ita et oculos necesse est, et eorum vigorem deficere ex alimenti defectu, unde vires subministrantur corpori. 7. *Si iniquitates nostrae responderint nobis, Domine, fac propter nomen tuum, quoniam multae sunt aversiones nostrae: tibi peccavimus:* Si iniquitates nostrae responderint nobis, si vicem, quam meremur, ex eis receperimus, fac propter nomen tuum, ut miserearis: quoniam multae sunt aversiones nostrae, et poenam nos commeruisse agnoscimus: Tibi peccavimus „Non secundum opera nostra, ait S. Hieronymus, sed secundum sanctum Nomen tuum vince multas aversiones nostras. Tibi enim peccavimus, quem cordis secreta non fallunt, et te praestolamur, qui vera spes, et exspectatio es Israel.“ 8. *Exspectatio Israel, Salvator eius in tempore tribulationis.* Nectitur hoc adhuc cum illo, quod antecessit in antecedente versu: Tibi peccavimus,

Quare, quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? Nec viator de rebus, quae in illis locis geruntur, per quae peregrinatur, multum curat, utpote quae ad eum non spectent; nec colonus mercede conductus ea diligentia curat agrum, qua illum coleret, si proprius esset. Orat ergo Propheta Deum, ne ita populum suum negligeret, et ab eo se averteret, quasi non illius esset. 9. *Quare futurus es velut vir vagus, ut fortis, qui non potest salvare?* Ut fortis, hoc est: ut vir eius tantum fortitudinis, qui salvare, et ferre salutem non possit. Quasi ergo esset: Quare eris, quasi imbecillus? *Tu autem in nobis es Domine, et nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos.* Tu autem in nobis es, hoc est: in nobis habitas, non es tantum velut viator, aut vir vagus apud nos. Nomen tuum invocatum est super nos. Illud autem infinitae est potentiae. Ex quo deinde inducit: ne ergo eos derelinqueret.

10. *Haec dicit Dominus populo huic, qui dilexit movere pedes suos, et non quievit, et Domino non placuit. Nunc recordabitur iniquitatum eorum, et visitabit peccata eorum.* Qui dilexit movere pedes: intelligitur motus talis pedum, de quali est apud Psaltem Proverb. 1. v. 16. „Pedes illorum ad malum currunt" et cui cursui e contrario dicitur Isaiae 1. v. 16. „Quiescite agere perverse." 11. *Et dixit Dominus ad me: noli orare pro populo isto in bonum.* Arabs: *Ne preceris huic populo prospera* a Deo nimirum. 12. *Cum ieiunave-*

rint, non exaudiam preces eorum; et si obtulerint
holocautomata, et victimas, non suscipiam ea:
quoniam gladio, et fame, et peste consumam eos.
13. *Et dixi: A, a, a Domine Deus* Hebraice rur-
sus, ut fuit primo capite est una vox *Ahah* (אֲהָהּ)
Est autem vox cum dolore suspirantis, et admiran-
tis. *Prophetae dicunt eis: Non videbitis gladium,*
et fames non erit in vobis, sed pacem veram da-
bit vobis in loco isto. 14. *Et dixit Dominus ad*
me: falso prophetae vaticinantur in nomine meo.
Non misi eos, et non praecepi eis, neque locutus
sum ad eos: visionem mendacem, et divinationem,
et fraudulentiam, et seductionem cordis sui pro-
phetant vobis. 15. *Idcirco haec dicit Dominus de*
Prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego
non misi, dicentes: gladius, et fames non erit in
terra hac: In gladio, et fame consumentur pro-
phetae illi. 16. *Et populi, quibus prophetant, erunt*
proiecti in viis Jerusalem prae fame, et gladio, et
non erit, qui sepeliat eos, ipsi, et uxores eorum,
filii, et filiae eorum, et effundam super eos malum
suum. 17. *Et dices ad eos verbum istud: Dedu-*
cant oculi mei lacrimam per noctem, et diem, et
non taceant, quoniam contritione magna contrita
est virgo filia populi mei, plaga pessima vehemen-
ter. 18. *Si egressus fuero ad agros, ecce occisi*
gladio: et si introiero in civitatem, ecce attenuati
fame. Propheta quoque, et sacerdos abierunt in ter-
ram, quam ignorabant. 19. *Numquid proiiciens ab-*
iecisti Judam? aut Sion abominata est anima tua?

Quare ergo percussisti nos, ita ut nulla sit sanitas? Exspectavimus pacem; et non est bonum: et tempus curationis; et ecce turbatio. 20. *Cognovimus Domine impietates nostras, iniquitates patrum nostrorum, quia peccavimus tibi.* 21. *Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam solii gloriae tuae: recordare, ne irritum facias foedus tuum nobiscum.* Solium gloriae Dei vocat templum, ubi Deus inter illos habitans haberet sedem. Quod ne illis verteretur in contumeliam, qui a Deo suo relicti sint, rogat Propheta, 22. *Numquid sunt in sculptilibus gentium, qui pluant, aut caeli possunt dare imbres? Nonne tu es Dominus Deus noster, quem exspectavimus? Tu enim fecisti omnia haec.* „Post multos, variosque „sermones redit, ait S. Hieronymus, ad titulum „prophetiae, in quo scriptum est: *Quod factum „est verbum Domini ad Jeremiam de sermonibus „siccitatis.* Ergo, quod dicit, hoc est: quia dae„monum simulacra non possunt pluere, nec caeli „per se dare imbrem suum; ideo tu Domine Deus „noster, quem semper exspectavimus, in quem spes „nostras convertimus, et vota, tu da pluviam tuam.“ Orat nimirum Propheta, ne illos Deus siccitatis illa plaga feriat. Sed cui dixerat, ne oraret, supra versu 11, hunc non exaudivit.

CAPVT XV.

Dicit Deus se non parsurum populo, etiamsi Moyses et Samuel pro eo intercederent. Gemit Propheta, quod omnes ei maledicant, quem Deus confirmat, et velut murum aereum facit adversus omnes adversariorum impetus.

1. Et *dixit Dominus ad me: si steterit Moyses, et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Eiice illos a facie mea, et egrediantur.* Intercesserat Jeremias. Quare Deus dicit, etiamsi Moyses, et Samuel intercederent, tamen se non esse parsurum. Syrus vertit: *Etiamsi Moyses, et Samuel starent coram me, nequaquam placaretur animus meus erga populum istum.* Eiice illos a facie mea. Non ipsos autem Jeremias eiecit. Dum ergo Deus iubet Prophetam eiicere illos, eo tantum hoc pertinet, ut Dei sententiam certam de eorum eiectione illis exponat, et annunciet. 2. *Quod si dixerint ad te: quo egrediemur? dices ad eos: haec dicit Dominus: Qui ad mortem, ad mortem; et qui ad gladium, ad gladium; et qui ad famem, ad famem; et qui ad captivitatem, ad captivitatem.* 3. *Et visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus: gladium ad recisionem, et canes ad lacerandum, et volatilia caeli, et bestias terrae ad devorandum, et dissipandum.* Quatuor species plagarum sunt eae, quae superiore versu positae sunt: Mors, gladius, fames et captivitas. Hoc autem

versu una plaga de his gladii magis declaratur, ut ostendatur, quid futurum sit de illorum cadaveribus, qui hostili gladio perierint.

4. *Et dabo eos in fervorem universis regnis terrae propter Manassem filium Ezechiae regis Juda super omnibus, quae fecit in Jerusalem.* In fervorem Hebraice *in commotionem.* (לְזַוְעָה) Itaque eorum eiectionem eo significat, et ubi, ob metum, consistendi securum locum non reperiant. Manassis flagitia 4. Reg. 21. v. 2. memorantur. Ille autem poenitentiam postea egit, et Deus illum deprecantem exaudivit. 2. Par. 33. v. 12. Ex quo vero quid consequens est? nimirum hoc, quod etiamsi Deus eum, qui peccavit, in gratiam recipiat, tamen poenas saltem temporales adhuc propter eius peccata repetat. Quid igitur? quae hinc consequentia est? Nempe in sola resipiscentia non esse totum situm, ut Deus nobis placatus fiat, sed requiri satisfactionem, quam vel peccator ipse suis operibus exhibeat, vel certe Deus ab eo exigat, et desumat. Non sensit autem iam ipse captivitatis illa incommoda, qui ante mortuus est, quam illa facta sit. „Sed quo„modo Sanctorum merita, ait S. Hieronymus, de„scendunt ad posteros, sicut David, et ceterorum: „sic peccatorum flagitia, si liberi, nepotesque si„milia gesserint, ad posteros perveniunt."

5. *Quis enim miserebitur tui Jerusalem? aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?* 6. *Tu dereliquisti me, dicit Dominus, retrorsum abiisti, et extendam ma-*

num meam super te, et interficiam te: laboravi rogans. Hebraice *lassus sum poenitendo:* (נִלְאֵיתִי הִנָּחֵם) Poenitere autem Deus dicitur, dum ad misericordiam vertitur, illisque, quos paratus erat punire, parcit, vel saltem ab ulteriore poena desistit. 7. *Et dispergam eos ventilabro in portis terrae.* Hoc est; usque ad fines terrae. Qui enim aliquo intrare vult, necesse est, ut per fines illius transeat, qui proinde fines portae vocantur orbis terrarum. Extra quas portas, et fines si iretur, exiretur ex orbe. *Interfeci, et disperdidi populum meum, et tamen a viis suis non sunt reversi:* 8. *Multiplicatae sunt mihi viduae eius super arenam maris, induxi eis super matrem adolescentis vastatorem meridie, misi super civitates repente terrorem.* „Viduae multi-„plicatae sunt, ait S. Hieronymus, super arenam „maris interfectis viris; matres perditis liberis sen-„sere vastantem non in nocte, et per insidias, sed „clara luce, ut ostendat apertam vim adversarii for-„tioris.“ 9. *Infirmata est, quae peperit septem: defecit anima eius; occidit ei sol, cum adhuc esset dies: confusa est, et erubuit: et residuos eius in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum, ait Dominus.* Infirmata est, quae peperit septem: hoc est, quae filiorum numero erat dives, et robusta, orbitate eorum facta est tenuis, et infirma. Septenarius autem numerus quod soleat pro indeterminato maximo aliquo numero usurpari, iam saepe demonstratum est. Quare Symmachus pro septem hic posuit *plurimos.* Huic vero, cum linqueretur ani-

mo, defecit sol clara die ob caliginem offusam oculis ex moerore. Residuos eius, civitatis videlicet Jerusalem residuos, de cuius viduis modo etiam antecessit sermo, Deus dicit se daturum in gladium coram eorum inimicis.

10. *Vae mihi! Mater mea, quare genuisti me, virum rixae, virum discordiae in universa terra? Non foeneravi, nec foeneravit mihi quisquam: omnes maledicunt mihi.* Propheta suspirat, adversus quem omnes insurgant, probraque, et maledicta in eum iaciant. Qui non foeneraverit, nec foenus ab alio acceperit. Talia tamen experiatur, qualia ii, qui foenerant. Solet enim foeneratio litium esse, et dissensionum seminarium. 11. *Dicit Dominus: Si non reliquiae tuae in bonum, si non occurri tibi in tempore afflictionis, et in tempore tribulationis adversus inimicum.* „Respondit Do„minus, ait S. Hieronymus: Noli considerare prae„sentia, sed futura. Reliquiae enim tuae, et no„vissima erunt in bonum. (Chaldaeus posuit: *Fi„nis tuus erit in bonum.*) Denique et in praesen„tiarum, cum te cuperent opprimere inimici, ad„fui tibi, et meo es protectus auxilio.“ Fuit iam supra cap. 1. v. 19. sic ad eum a Deo dictum: „Bellabunt adversum te, et non praevalebunt: quia „ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.“ 12. *Numquid foederabitur ferrum ferro ab Aquilone, et aes?* „Sic intelligendum, ait S. Hierony„mus, : Ne doleas, quod populus inimicus tuus „sit. Te enim dura nunciante non potest te amare,

„ qui durus est. Sive Babylonii, qui ab Aquilone ve„ niunt, suntque ferrum durissimum, huic populo du„ riori, et in aeris similitudinem indomito non pote„ runt amicitia copulari.“

13. *Divitias tuas, et thesauros tuos in direptionem dabo gratis in omnibus peccatis tuis, et in omnibus terminis tuis.* Ad Jerusalem versus est sermo. „ Omnem, inquit, substantiam tuam, verba „ sunt S. Hieronymi, tradam inimicis tuis absque „ ullo pretio propter peccata, quae fecisti in cun„ ctis terminis tuis.“ 14. *Et adducam inimicos tuos de terra, quam nescis: quia ignis succensus est in furore meo: super vos ardebit.* 15. *Tu scis Domine, recordare mei, et visita me, et tuere me ab his, qui persequuntur me: noli in patientia tua suscipere me: scito, quoniam sustinui propter te opprobrium.* Orat haec Jeremias Deum. Petit autem, ne Deus in patientia eum suscipiat, hoc est, ne patiatur illas iniurias, quae ei ab adversariis inferuntur, sed illas velociter depellat, et inhibeat. 16. *Inventi sunt sermones tui, et comedi eos, et factum est mihi verbum tuum in gaudium, et in laetitiam cordis mei, quoniam invocatum est nomen tuum super me Domine Deus exercituum.* Inventioni contrarium est perdere. Perduntur autem Dei sermones, dum non custodiuntur. Ex quo, quid sit inventos esse Dei sermones apud Jeremiam, perspicuum fit, quos scilicet Dei sermones is custodiverit, cuiusque mandata, et legem diligenter observaverit. Comedere autem significat suscepisse illos ad cor, et ani-

mum suum. Ibi enim deinde ex illis excitatum ei est gaudium. *Quoniam nomen tuum invocatum est super me:* quod significat subiectum ei esse, tamquam Deo suo, quemque ipse coleret. Sic enim etiam superioris capitis versu 9. de universo populo fuit: „Et nomen tuum invocatum est super nos, ne de„relinquas nos.“ Proponit autem Jeremias Deo suam erga eum Religionem, et observantiam.

17. *Non sedi in concilio ludentium, et gloriatus sum a facie manus tuae: solus sedebam, quoniam comminatione replesti me.* Non sedi in concilio ludentium, Chaldaeus vertit: *Non sedi cum turba cantantium.* Coetus igitur intelligitur hominum impiorum, qui sibi iucunditatem parant ex illicitis voluptatibus, et quorum consortium se profitetur fugisse, *Et gloriatus sum a facie manus tuae.* Respicit illam impiorum iucunditatem glorians in eo, quod accepturus esset a manu Dei. Qualiter de Moyse quoque est a Paulo dictum ad Hebraeos 11. v. 25. „Elegisse eum magis affligi cum popolo Dei, „quam temporalis peccati habere iucunditatem, ma„iores divitias aestimans thesauro Aegyptiorum im„properium Christi; adspiciebat enim remuneratio„nem.“ *Solus sedebam, quoniam comminatione replesti me.* Intelligitur autem terror, et metus, in quo erat, et ob quam causam moerebat. Quod exprimitur per illud: solum sedisse. Nam qui in luctu, et lacrimis sunt, adspectum aliorum fugiunt, et latebras quaerunt, quo liberius dolori, qui illos premit, se tradere possint.

18. *Quare factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea desperabilis renuit curari? Facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium.* Aquae infideles dicuntur scaturientes ex talibus fontibus, qui perennes non sunt, et quorum aquae siccitate deficiunt. Talibus igitur aquis spem suae curationis ex malis, quae pateretur, comparat, quaeque spes eum desereret. 19. *Propter hoc haec dicit Dominus: Si converteris, convertam te, et ante faciem meam stabis: si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris: convertentur ipsi ad te, et tu non conveteris ad eos.* Erat Jeremias in deiectione animi propter adversa, ex quibus emergendi sibi videret nullam esse spem. Quare Deus ad illum dicit: *Si converteris*, te nimirum, et tuam fiduciam si verteris ad me; *convertam te;* hoc est; afflictum rerum tuarum statum mutabo, atque te hostibus tuis omnibus superiorem faciam. Et ob quam causam sequente versu idem Deus ad eum dicit: *Bellabunt adversum te, et non praevalebunt.* Quo istud quoque pertinet, quod sequitur: *Ante faciem meam stabis:* tamquam in quem Deus semper habiturus oculos, cuique vultus sui benevolentiam, et favorem exhibiturus sit. *Et si separaveris pretiosum a vili: quasi os meum eris.* Haec altera pars indicat, quidnam illud sit pretiosum, quod separare a vili debeat. Os enim instrumentum est loquendi. In loquendo igitur ad populum, et perferendo ad eum Dei sermones, et mandata, si caveret, ne aliquod vile verbum admisceat, hoc est: de suo, et

solummodo illud loqueretur, quod Divinum, ideo etiam pretiosum esset; futurum ipsum veluti os Dei. Ex quo nimirum nihil aliud procederet, quam ipsum verbum Dei. *Convertentur ipsi ad te: et tu non conveteris ad eos.* Hoc est: illorum, ad quos verba faciet, erit se se conformare, et componere ad eius dicta, et orationem; non ipse in dicendo, et agendo illorum voluntati, et moribus se debebit similem praebere. Quod faciebant pseudoprophetae, qui ea, quae dicebant, palato audientium adcommodabant. 20. *Et dabo te populo huic in murum aereum, fortem: et bellabunt adversum te, et non praevalebunt: quia ego tecum sum, ut salvem te, dicit Dominus.* 21. *Et liberabo te de manu pessimorum, et redimam te de manu fortium.*

CAPVT XVI.

Prohibet Deus Prophetae, ne uxorem ducat, ne ad convivium accedat, aut in luctu consolationem alicui afferat, quod universis impendeat exitium. Futurum autem rursus, ut redeat Israel ex captivitate, docet.

1. *ET factum est verbum Domini ad me dicens:*
2. *Non accipies uxorem, et non erunt tibi filii, et filiae in loco isto.* 3. *Quia haec dicit Dominus super filios, et filias, qui generantur in loco isto, et super matres eorum, quae genuerunt eos, et super patres eorum, de quorum stirpe sunt nati in terra hac.* 4. *Mortibus aegrotationum morientur. Non plangentur, et non sepelientur, in sterquilinium super faciem terrae erunt, et gladio, et fame*

me consumentur, et erit cadaver eorum in escam volatilibus caeli, et bestiis terrae. 5. *Haec enim dicit Dominus: Ne ingrediaris domum convivii, neque vadas ad plangendum, neque consoleris eos: quia abstuli pacem meam a populo isto, dicit Dominus, misericordiam, et miserationes.* 6. *Et morientur grandes, et parvi in terra ista: non sepelientur, neque plangentur, et non se incident, neque calvitium fiet pro eis.* Gentilium iste erat ritus in funeribus, sed quem Judaei imitarentur, quamvis hoc eis fuisset prohibitum. „Non vos incidetis „nec facietis calvitium super mortuo." Deut. 14. v. 1. 7. *Et non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo, et non dabunt eis potum calicis ad consolandum super patre suo, et matre.* Apud Christianos etiam fuisse in more, ut iis, qui in luctu essent, eorum propinqui cibum praeberent consolandi causa, et ex Clementis Constitutionum l. 8. cap. 24. et ex S. Chrysostomi homil. 37. in Matth. intelligitur. 8. *Et domum convivii non ingrediaris, ut sedeas cum eis, et comedas, et bibas.* 9. *Quia haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego auferam de loco isto in oculis vestris, et in diebus vestris vocem gaudii, et vocem laetitiae, vocem sponsi, et vocem sponsae.* 10. *Et cum annunciaveris populo huic omnia verba haec, et dixerint tibi: Quare locutus est Dominus super nos omne malum grande istud? quae iniquitas nostra? et quod peccatum nostrum, quod peccavimus Domino Deo nostro?*

11. *Dices ad eos: quia dereliquerunt me patres
vestri, ait Dominus, et abierunt post deos alienos,
et servierunt eis, et adoraverunt eos, et me dere-
liquerunt, et legem meam non custodierunt.* 12. *Sed
et vos peius operati estis, quam patres vestri. Ecce
enim ambulat unusquisque post pravitatem cordis
sui mali, ut me non audiat.* 13. *Et eiiciam vos de
terra hac in terram, quam ignoratis vos, et pa-
tres vestri, et servietis ibi diis alienis die, ac nocte,
qui non dabunt vobis requiem:* Hebraice: *quia non
dabo vobis misericordiam.* (אֲשֶׁר לֹא־אֶתֵּן לָכֶם חֲנִינָה)

14. *Propterea ecce dies veniunt, dicit Domi-
nus, et non dicetur ultra: Vivit Dominus, qui
eduxit filios Israel de terra Aegypti,* 15. *sed vi-
vit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aqui-
lonis, et de universis terris, ad quas eieci eos, et
reducam eos in terram suam, quam dedi patribus
eorum.* Sub typo revocationis Judaeorum ex capti-
vitate Babylonica, de iis, qui spiritu fidei, et non
secundum carmen futuri erant Israelitae, quique ad
tempus illud usque dispersi per omnes nationes erant,
est hoc modo. Illis enim eiectis, et quorum se mi-
serturum negat, sed quos permissurus sit, ut diis
alienis, quos sibi elegerunt, serviant die ac nocte;
dicit Deus ideo venturos dies, ut filios Israel e Ba-
bylonis, reliquisque omnibus terris reducat. „Illo-
„rum enim delicto, ut S. Paulus inquit ad Rom.
„11. v. 11. salus est gentibus" et cum illi essent
reprobati, Deus sibi vocavit, et instituit alium no-
vum Israeliticum populum. Et idcirco istud quoque

futurum dicitur, ut iam deinde non iuretur per Deum, qui eduxit Israel ex Aegypto, sed ex terra Babylonis, sub hoc typo intelligendo iterum redemptionem, quae facta est per Christum ex servitute peccati, quaeque redemptio iam tunc futura sit in ore Israelitis, ut per Deum, qui hanc illis salutem praestitit, potius iurent. Quod omnino tenet. Nam nunc Christiani iuramus per nomen Christi.

16. *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos: et post haec mittam eis multos venatores, et venabuntur eos de omni monte, et de omni colle, et de cavernis petrarum.* Hoc de Chaldaeis, et Judaeorum hostibus esse accipiendum, duo versiculi subsequentes declarant. In quibus hoc, quod modo de piscatione, et venatione est, poenae nomine dicitur illis factum esse. Post piscatores autem, deinde primum venatores illis venisse dicuntur, assimilando obsidionem, qua Chaldaei cinctam tenebant urbem, piscationi, fugam vero illorum, cum capta esset urbs, et in qua ipse rex Sedecias etiam fuit comprehensus, et reductus, venationi. 17. *Quia oculi mei super omnes vias eorum: non sunt absconditae a facie mea, et non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis.* 18. *Et reddam primum duplices iniquitates, et peccata eorum, quia contaminaverunt terram meam in morticinis idolorum suorum, et abominationibus suis impleverunt haereditatem meam.* Duplex iniquitas eadem intelligitur, quae duplicata, aucta, atque cumulata est. Quomodo de gravi, et vehe-

menti contritione etiam subsequentis capitis versu 18. est: „Duplici contritione contere eos." Morticinorum autem nomine idola compellantur, quod similia sint cadaveribus, vita et sensu carentibus. Terram, quam incolendam illis dedit, quamque prius memoraverat, iterum deinde haereditatis suae nomine appellat: Quomodo etiam vocata iam fuit supra capitis 2. v. 7.

19. *Domine fortitudo mea, et robur meum, et refugium meum in die tribulationis, ad te gentes venient ab extremis terrae, et dicent: Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem, quae eis non profuit.* Propheta in sua persona hoc dicit ad Deum. „Postquam eiectus est Israel, ait „S. Hieronymus, et a piscatoribus, venatoribusque „translatus, consequenter vocatur ad fidem gentium „multitudo, et confitetur se, sive patres suos in „priore errore versatos." 20. *Numquid faciet sibi homo deos, et ipsi non sunt dii?* 21. *Idcirco ecce ego ostendam eis per vicem hanc; ostendam eis manum meam, et virtutem meam, et scient, quia nomen mihi Dominus.*

CAPUT XVII.

Propter malitiam profundissime cordi insculptam Deus Judam se traditurum dicit hostibus, et perituros universos, qui eum derelinquerent. In portis Jerusalem iubet Jeremiam Deus stare, et populo praedicare, ut diem sabbati religiose observent, secus ignem se esse succensurum, quo civitas tota conflagret.

1. PECCATUM *Juda scriptum est stilo ferreo in ungve adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, et in cornibus ararum eorum.* Non in ungve adamantino fuit exaratum peccatum Juda, quod exaratum dicitur super latitudinem cordis eorum. Sed in ungve est hoc more loquendi Hebraeorum, quod a nobis Latine absque praepositione diceretur: ungve adamantino, significando instrumentum, quo scriptio, et exaratio facta est. Istud ergo: in ungve adamantino, est nonnisi per amplificationem orationis positum, ut qui prius stilus ferreus fuit nominatus, quo incisio super latitudinem cordis eorum, tamquam in tabula, dicebatur esse facta, idem hoc deinde repeteretur, et idem stilus vocaretur ungvis adamantinus, ut intelligeretur peccati incisio in eorum corde facta esse fortissime, et quae proinde scriptura talis sit, quae non sit delenda. Obstinatio autem cordis eorum in suis peccatis, et perpetua permansio denotatur. Idem vero suum peccatum Judas dicitur insculpsisse etiam ararum cornibus, sive quod arae ubique prostantes, quas

idolis sacraverant, monumenta exhiberent ipsorum peccati, sive etiam, quod fortasse ipsis altarium cornibus inciderint idolorum figuras, et nomina. 2. *Cum recordati fuerint filii eorum ararum suarum, et lucorum suorum, lignorumque frondentium in montibus excelsis* 3. *sacrificantes in agro; fortitudinem tuam* Hebraice *facultates tuas* (חֵילְךָ *et omnes thesauros tuos in direptionem dabo: excelsa tua* etiam hic antecedens idem verbum intelligitur: in direptionem dabo, *propter peccata in universis finibus tuis.* Initium etiam huius versus est adcurate iuxta Hebraeum sic: *secundum recordari filios eorum ararum suarum* (כִּזְכֹּר בְּנֵיהֶם מִזְבְּחוֹתָם) Si autem filii eorum sunt recordati ararum, sequitur non esse earum oblitos. Si obliti non sunt, intelliguntur idem hac in re tenuisse, quod eorum maiores. Quare sensus est, quod cum hi idem fecerint, quod eorum parentes, et antecessores; Deus deinde hanc poenam, quae hic modo proposita est, in eorum capita effuderit. Chaldaeus ita totum hunc versum vertit: *Pro eo, quod coluistis idola super montes in agro; substantiam vestram, et omnem domum thesaurorum vestrorum direptioni tradam in peccatis, quibus coluistis idola in omnibus terminis vestris.* 4. *Et relinqueris sola ab haereditate tua, quam dedi tibi, et servire te faciam inimicis tuis in terra, quam ignoras, quoniam ignem succendisti in furore meo: usque in aeternum ardebit.* Haereditas, quam Deus dedit Judaeis, intelligitur regio, quam illis possidendam tradidit. Si

soli autem dicuntur ab ea relinquendi, intelliguntur absque hac futuri, sive quod idem est, esse illos hac privandos. Eiectio autem illorum, et expulsio in peregrinas oras designatur.

5. *Haec dicit Dominus: maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor eius.* Hoc quem nexum habet cum oratione antecedente? Judaei in iisdem, quorum idola adamaverunt, etiam spem suam, et perfugium posuerunt, dum ex alia parte ab hoste premerentur. Qua de re iam fuit supra capitis 2. v. 36. et de qua spe auxilii in Aegypto contra Assyrios etiam apud Isaiam est cap. 31. v. 1. „Vae, „ qui descendunt in Aegyptum ad auxilium! — — — „ Aegyptus homo, et non Deus.“ Redarguuntur itaque, quod cum propter sua crimina vindicem Dei manum supra se sentirent; non tamen ad Deum, sed ad auxilium hominum recurrerent. 6. *Erit enim quasi myricae in deserto, et non videbit, cum venerit bonum; sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis, et inhabitabili.* Myrica est genus fruticis, quod in sterili tantum solo crescit, in desertisque locis tantummodo reperitur. Huic ergo comparantur, qui deserto Deo in alio spem suam defigerent. „Et non videbit, cum venerint bona: „ quae visura est, ait S. Hieronymus, gentium mul„ titudo. *Sed habitabit in siccitate in deserto.* Hoc „ dicitur de populo Judaeorum, qui habitant in de„ serto, fructusque non faciunt, et sunt in terra „ salsuginis, quae nullos fructus faciat, et inhabi-

„tabili, quae hospitem non habet Deum, nec An„gelorum praesidia, nec Spiritus sancti gratiam, „nec scientiam magistrorum.“ Exclusio nimirum illorum a bonis, quae venerunt per Christum, significatur. 7. *Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius.* 8. *Et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit, cum venerit aestus. Et erit folium eius viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.* 9. *Pravum est cor omnium, et inscrutabile: quis cognoscet illud?* „Quod nul„lus cogitationum secreta, ait S. Hieronymus, cog„noscat, nisi solus Deus. Dixerat enim supra: *Ma„ledictus homo, qui spem habet in homine*, et e „contrario: *Benedictus vir, qui confidit in Domi„no.* Unde, ne hominum putaremus certum esse iu„dicium; intulit omnium propemodum corda es„se perversa.“ Est hoc instar causae positum, cur fidendum non sit in homine, cuius cor pravum, et tectum esse soleat, atque adeo cui fidi non possit. In Hebraeo hoc adhuc luculentius est. Ubi loco: *pravum*, est vocabulum *Akeb* (עָקֹב) quod dolosum, et fraudulentum significat.

10. *Ego Dominus scrutans cor, et probans renes, qui do unicuique iuxta viam suam, et iuxta fructum adinventionum suarum.* 11. *Perdix fovit, quae non peperit. Fecit divitias, et non in iudicio: in dimidio dierum suarum derelinquet eas, et in novissimo suo erit insipiens.* „Aiunt scripto-

„res naturalis historiae, ait S. Hieronymus, quo„rum principes sunt apud Graecos Aristoteles, et „Theophrastus, apud nos Plinius secundus, hanc „perdicis esse naturam, ut ova alterius perdicis, „id est, aliena furetur, et eis incubet, foveatque: „cumque foetus adoleverit, avolare ab eo, et alie„num parentem relinquere.“ Itaque huic perdici comparatur etiam Judas: *Fecit*, inquit, *divitias, et non in iudicio*, has non iuste sibi comparavit, sed per rapinam, et alterius iniuria. *In dimidio dierum suorum relinquet eas*, hoc est, antequam ad maturam aetatem perveniat, dum adhuc in medio cursu vitae suae esset, relinquet eas, celeri morte sublatus: *Et in novissimo erit insipiens:* tumque apparebit ad extremum eius insipientia, qui sibi in corradendis opibus tantum studium sumpsisset, quae nihil ei profuerunt, et ex quibus fructum non percepit, et a quibus tunc sentiat male affectam conscientiam, quarumque impietas, quam in illis vi, et fraude comparandis exercuit, eum ad Dei tribunal comitetur. Quemadmodum Christus quoque divitem stultitiae arguit. „Stulte, inquit, hac nocte repetent „animam tuam, et quae parasti, cuius erunt?“ Luc. 12. v. 20. 12. *Solium gloriae altitudinis a principio, locus sanctificationis nostrae:* 13. *Exspectatio Israel Domine.* Hebraice: *Solium gloriae, altitudo a principio.* (כִּסֵּא כָבוֹד מָרוֹם מֵרִאשׁוֹן) Solium gloriae autem caelum intelligitur, et ubi Deus thronum suum habeat, quaeque altitudo est a principio constituta, inde scilicet ab origine mundi: quique

idem locus sanctificationis nostrae est, hoc est: quique locus a nobis sanctificandus sit: caelum autem pro ipso Deo inhabitatore caeli est positum, ac proinde, qui sanctificandus a nobis sit. Quorsum vero hoc pertinet? Eo, quod deinde in principio alterius versus est: *Exspectatio Israel Domine.* Quod nimirum Israel, si vere colat Deum, non in mundo, et fluxis illius rebus haerere debeat, sed suspicere caelum, in Deoque omnem suam exspectationem habere. *Omnes, qui te derelinquunt, confundentur: recedentes a te in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.* In terra scribi est contrarium illi, quod a Christo est dictum, Luc. 10. v. 20. „Gaudete, „quod nomina vestra scripta sunt in caelis.“ Quod in terra scribitur, stabiliter id scriptum non est. Vel enim siccitate terra in pulverem vertitur, literaeque incedentium pedibus atteruntur, vel delentur per pluviam. Qui ergo aliunde, quam a Deo felicitatem suam exspectarent, hos spe sua deceptum iri. Deum esse venam aquarum viventium, hoc est: fontem, ex quo petendum, et hauriendum sit id omne, quod desideratur bonum.

14. *Sana me Domine, et sanabor: salvum me fac, et salvus ero, quoniam laus mea tu es.* „Pro„pheta, ait S. Hieronymus, a populo passus op„probria, et crebro insidiis circumventus, ab eo „curari, et salvus fieri cupit, cuius vera laus, vera„que medicina est.“ 15. *Ecce ipsi dicunt ad me: ubi est verbum Domini? veniat.* „Qui non putant ven-

„tura, quae dicta sunt, ait S. Hieronymus, lo-
„quuntur ad Prophetam: *Ubi est verbum Domini? veniat.* Dissimulationem sententiae dilationem ar-
„bitrantur." 16. *Et ego non sum turbatus te Pastorem sequens, et diem hominis non desideravi, tu scis. Quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit.* „Illis autem ista dicentibus „(quae fuerunt superiore versu) ego, inquit, non „sum turbatus, (S. Hieronymus sic facit Prophe-„tam loquentem) nec laboravi te Pastorem sequens, „sive post tua ingrediens vestigia. Nec hoc fui fine „contentus, sed diem hominis non desideravi, vel „vitam longiorem, vel prospera quaeque huius se-„culi." 17. *Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis.* Deum metuendum haberet, si aliquid adversus eum committeret, quo eum offenderet. Hoc ergo Deum tantum deprecatur. Alia mala, quae ei possunt contingere, et quibus eum appetebant adversarii, despicit. 18. *Confundantur, qui me persequuntur, et non confundar ego: paveant illi, et non paveam ego: induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos.* Quod duplicatur, fit fortius, et vehementius. Duplicatio igitur haec contritionis istius significationem auget, et intendit, atque eius vehementiam significat.

19. *Haec dicit Dominus ad me: Vade, et sta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur reges Juda, et egrediuntur, et in cunctis portis Jerusalem.* Porta filiorum populi intelliguntur

ea, per quam maxime intrarent, et exirent ii, qui
erant de populo: et quae propterea porta populi
vocaretur, ab eius apud se maxima frequentia. 20.
Et dices ad eos: Audite verbum Domini reges Juda, et omnis Juda, cunctique habitatores Jerusalem, qui ingredimini per portas istas. 21. *Haec dicit Dominus: custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die sabbati, nec inferatis per portam Jerusalem.* 22. *Et nolite eiicere onera de domibus vestris in die sabbati, et omne opus non facietis: sanctificate diem sabbati, sicut praecepi patribus vestris.* 23. *Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, sed induraverunt cervicem suam, ne audirent me, et ne acciperent disciplinam.* 24. *Et erit, si audieritis me, dicit Dominus, ut non inferatis onera per portas civitatis huius in die sabbati, et si sanctificaveritis diem sabbati, ne faciatis in eo omne opus;* 25. *ingredientur per portas civitatis huius reges, et principes, sedentes super solium David, et adscendentes in curribus, et equis, ipsi, et principes eorum, viri Juda, et habitatores Jerusalem, et habitabitur civitas haec in sempiternum.* 26. *Et venient de civitatibus Juda, et de circuitu Jerusalem, et de terra Benjamin, et de campestribus, et de montuosis, et ab Austro portantes holocaustum, et victimam, et sacrificium, et thus, et inferent oblationem in domum Domini.* 27. *Si autem non audieritis me, ut sanctificetis diem sabbati, et ne portetis onus, et ne inferatis per portas Jerusalem in die sabbati;*

succendam ignem in portis eius, et devorabit domos Jerusalem, et non exstingvetur.

CAPVT XVIII.

Exemplo figuli vas, quod fingebat, destruentis, iterumque ex eodem luto aliud fingentis docet Jeremiam Deus se in potestate habere populum Israel destruere, aliumque sibi rursus formare. Deum vindicem implorat Jeremias adversus eos, qui sibi innocenti machinarentur exitium.

1. *VERBUM, quod factum est ad Jeremiam a
Domino dicens:* 2. *Surge, et descende in domum
figuli, et ibi audies verba mea.* 3. *Et descendi in
domum figuli, et ecce ipse faciebat opus super rotam.* 4. *Et dissipatum est vas, quod ipse faciebat
e luto manibus suis: conversusque fecit illud vas
alterum, sicut placuerat in oculis eius, ut faceret.* 5. *Et factum est verbum Damini ad me, dicens:* 6. *Numquid sicut figulus iste non potero vobis facere, domus Israel, ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel.* 7. *Repente loquar adversum gentem,
et adversus regnum, ut eradicem, ut destruam,
et disperdam illud.* 8. *Si poenitentiam egerit gens
illa a malo suo, quod locutus sum adversum eam;
agam et ego poenitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* 9. *Et subito loquar de gente,
et de regno, ut aedificem, et plantem illud.* 10. *Si*

fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam; poenitentiam agam super bono, quod locutus sum, ut facerem ei. 11. *Nunc ergo dic viro Juda, et habitatoribus Jerusalem dicens: Haec dicit Dominus: Ecce ego fingo contra vos malum, et cogito contra vos cogitationem. Revertatur unusquisque a via sua mala, et dirigite vias vestras, et studia vestra.* 12. *Qui dixerunt: desperavimus.* In Hebraeo impersonaliter est, desperatum, actum, frustra istud est. (נוֹאָשׁ) Ex sui autem animi pertinacia esse hoc ab eis dictum, id, quod subsequitur, declarat: *Post cogitationes enim nostras ibimus, et unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus.*

13. *Ideo haec dicit Dominus: Interrogate gentes: quis audivit talia horribilia, quae fecit nimis virgo Israel.* „Virginem vocat, ait S. Hiero-„nymus, quod uni Deo servierit dicente Propheta: „*Notus in Judaea Deus, in Israel magnum nomen eius.* Psal. 75. v. 1. Sed et aliae civitates, atque urbes gentilium virginum nomine compellantur, ut Tyrus ab Jsaia cap. 23. v. 12. et Aegyptus infra Jeremiae 46. v. 11. Et quomodo Israel virgo, quando de illo sic fuit supra cap. 2. v. 20. dictum: „In „omni enim colle sublimi, et sub omni ligno fron-„doso tu prosternebaris meretrix?“ Vocabulum hoc ergo virginis usurpatur de urbibus, et civitatibus magis ob meram tantum assimilationem, et repraesentationem earum in habitu, ac figura puellarum, et virginum. 14. *Numquid deficiet de petra agri*

nix Libani? aut evelli possunt aquae erumpentes frigidae, et defluentes? ,, Quomodo, inquit, S. ,, Hieronymus sic facit Deum loquentem, nix de ,, Libani summitatibus deficere non potest, nec ullo, ,, ut omnis liquescat, solis ardore superatur, fluen- ,, tesque de montibus rivi, nequaquam siccantur in ,, fontibus: sic meum nomen, quod per se stabile ,, est, atque perpetuum, non poterit immutari. Et ,, tamen cum cetera naturae ordinem servent, popu- ,, lus meus oblitus est mei." 15. *Quia oblitus est mei populus meus, frustra libantes*, Hebraice *vano libantes* (לַשָּׁוְא יְקַטֵּרוּ) idolum autem intelligitur: *et impingentes in viis suis, in semitis seculi, ut ambularent per eas in itinere non trito:* Viae illorum, in quibus impingebant, vocantur semitae seculi, quod in his semper incesserint: quemadmodum et supra cap. 2. v. 20. de Israele fuit: ,, A se- ,, culo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, ,, et dixisti: non serviam." 16. *Ut fieret terra eorum in desolationem, et in sibilum sempiternum.* Nectitur hoc cum antecedente versu Dei esse oblitum populum Israel: unde istud deinde secutum sit, ut puniente Deo ipsi quoque desererentur a Deo, et expugnatis ab hostibus terra eorum in solitudinem converteretur. *Omnis, qui praeterierit per eam, obstupescet, et movebit caput suum.* 17. *Sicut ventus urens dispergam eos coram inimico: dorsum, et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.* Aestu, et calore dissolvuntur corpora, et vires langvescunt. Dum ergo vento urente, qui ven-

tus intelligitur talis, ut aestum, et langvorem inducat, dicit Deus se illos dispersurum, intelligitur futurum, ut nullum ipsis robur relinquat, et concedat, quo se defendere possent adversus hostes.

18. *Et dixerunt: Venite, et cogitemus contra Jeremiam cogitationes. Non enim peribit lex a sacerdote, neque consilium a sapiente, nec sermo a propheta. Venite, et percutiamus eum lingva, et non attendamus ad universos sermones eius.* Et contra sacerdotes, et contra sapientes, et prophetas, pseudo autem prophetae utique hi erant, prophetias iam edidit Jeremias, in eosque invectus est, atque funestum illis pariter exitum denunciavit. Sic enim de sacerdotibus, et prophetis illis locutus est supra cap. 6. v. 13. quodque idem etiam cap. 8. v. 10. repetiit: „A propheta usque ad sacerdotem „cuncti faciunt mendacium, et sanabant contritio„nem filiae populi mei ad ignominiam, dicentes: „pax, pax, cum non esset pax. Confusi sunt, quia „abominationem fecerunt! quin imo confusione non „sunt confusi, erubescere nescierunt. Idcirco cadent „inter corruentes, in tempore visitationis suae cor„ruent.“ Et de sapientibus eiusdem capitis 8. v. 8. „Quomodo dicitis sapientes nos sumus, et lex Do„mini nobiscum est? Vere mendacium operatus „est stilus mendax scribarum. Confusi sunt sapien„tes, perterriti, et capti sunt. Verbum enim Do„mini proiecerunt, et sapientia nulla est in eis.“ Quamobrem in Jeremiam hi consurrexerunt, quasi eorum existimationem, et auctoritatem violavisset,

in crimenque eum vocare, quasi falsidicus ipse propheta esset, instituerunt. Tali autem ratione, quod cum ipsi sint sacerdotes, eorumque curae lex sit, et custodiae commissa, itemque in prophetis Dei sermones, et in sapientibus sapientia debeat reperiri, ipsique se tales esse ferrent, perire ipsi non possint, nisi una etiam lex, Dei sermo, et consilium pessumiret: et in quae ipsa adversae illae res redundarent, si hae illis acciderent, quemadmodum ab Jeremia est pronunciatum. Quare *Venite* inquiunt, *et percutiamus eum lingva*, suam autem lingvam intelligunt, qua eum percutiant, et ad exitium adigant, accusando, et reum agendo ipsum, ad suppliciumque deposcendo, tamquam falsum prophetam: *Et non attendamus ad universos sermones eius.* „In typum quidem Salvatoris, ait S. Hieronymus, haec a populo Judaeorum Jeremias universa perpetitur, qui postea Babylonio veniente vastantur. Sed plenius, atque perfectius complentur in Christo, dum urbe subversa Romano gladio trucidati sunt, non ob idololatriam, quae eo tempore non erat, sed ob interfectionem Filii Dei, quando cunctus simul populus conclamavit: *Tolle, tolle talem regem, non habemus nisi Caesarem:* et imprecatio eorum aeterna damnatione completa est: *Sangvis eius super nos, et super filios nostros.* (Matth. 27. v. 25.) Foderant enim Christo foveam, et dixerant: *Auferamus eum de terra viventium* (Jsa. 53. v. 8.) Qui tantae erga eos misericordiae fuit; ut stans in conspectu Pa-

,,tris, loqueretur pro eis bonum, ut averteret indi-
,, gnationem suam ab eis, ut in Cruce quoque dice-
,, ret: *Pater ignosce eis: quod enim faciunt,*
,, *nesciunt.*" (Luc. 23. v. 34.)

19. *Attende Domine ad me, et audi vocem adversariorum meorum.* 20. *Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animae meae? Recordare, quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis.* 21. *Propterea da filios eorum in famem, et deduc eos in manus gladii: fiant uxores eorum absque liberis, et viduae, et viri earum interficiantur morte, iuvenes eorum confodiantur gladio in praelio.* 22. *Audiatur clamor de domibus eorum. Adduces enim super eos latronem repente* Hebraice *adduces agmen* (גְדוּד) agmenque hostium intelligitur: *quia foderunt foveam, ut caperent me, et laqueos absconderunt pedibus meis.* 23. *Tu autem, Domine, scis omne consilium eorum adversum me in mortem: ne propitieris iniquitati eorum, et peccatum eorum a facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.* ,,Si de Jeremia intelli-
,, gimus, ait S. Hieronymus, repentinum latronem
,, referamus ad Nabuchodonosor; si de Salvatore,
,, quod et verius, et melius est, (nempe, quod in
,, Jeremia tantum per modum typi actum est, id
,, postea plenius in Christo contigit) ad Romanum
,, exercitum. Et ne iniusta videatur sententia Dei,
,, exponit, quid fecerint contra Filium Dei Chri-

„stum, et quid passi sint. Quod autem infert: „*Et ne propitieris iniquitati eorum, et peccatum* „*eorum a facie tua non deleatur*, nequaquam prio„ri sententiae contrarium est, in qua pro populo „deprecatur Patrem: sed postquam datum tempus „poenitentiae praeteriit, et illi in suo scelere per„severant; populi, ac seniores non tam pro se pu„niuntur, quam pro aliis, ne inultum peccatum „ceteris noceat exemplo. Quodque infert: *Fiant* „*impingentes, sive corruentes in conspectu tuo*; il„lius Jsaiae, et Petri Apostoli simile est: *Et non* „*impingetis, sicut in lapidem offensionis, et pe-* „*tram scandali.*" Jsa. 8. v. 14. 1. Petr. 2. v. 8. Nempe imprecatio Prophetae, quam utique Dei Spiritu, non suo motu pronunciavit, vim habuit praedictionis, quid illis eventurum esset, et qui tunc Prophetam sunt persecuti, et qui postea Christum, cuiusque typum, ut iam demonstratum est, Jeremias gessit.

CAPVT XIX.

Vas fictile ad vallem filii Ennon defert Jeremias, illudque ibi confringit, docens, idem hoc eventurum Jerosolymae, regnoque Judaeae: quod vaticinium etiam in atrio templi deinde repetit, et confirmat.

1. *HAEC dicit Dominus: vade, et accipe lagunculam figuli testeam a senioribus populi, et a senioribus sacerdotum,* 2. *et egredere ad vallem fi-*

lii Ennom, quae est iusta introitum portae fictilis, et praedicabis ibi verba, quae ego loquar ad te. In Hebraeo est *porta Charsith.* Quod nomen proprium portae et Septvaginta et Syrus, itemque Arabs in versione retinuerunt. Chaldaeus vertit *portam sterquilinii:* fortasse quod postea post reditum ex captivitate, et cum iam contaminata fuisset illa vallis, nec iam illa prior impietas ibi exerceretur, illac foeces ex urbe eiicerent, et efferrent. Omnino 2. Esd. 12. v. 31. reperitur sic isto nomine sterquilinii porta fuisse aliqua Jerosolymae compellata. De valle filii Ennon iam supra etiam capitis 7. versu 31. fuit. 3. *Et dices: Audite verbum Domini reges Juda, et habitatores Jerusalem: Haec dicit Dominus exercituum Deus Jsrael: Ecce ego inducam afflictionem super locum istum, ita ut omnis, qui audierit illam, tinniant aures eius:* 4. *eo, quod dereliquerint me, et alienum fecerint locum istum* Chaldaeus: inquinaverunt locum istum: *et libaverunt in eo diis alienis, quos nescierunt ipsi, et patres eorum, et reges Juda, et repleverunt locum istum sangvine innocentum,* 5. *et aedificaverunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim. Quae non praecepi, nec locutus sum, nec adscenderunt in cor meum.* 6. *Propterea ecce ides veniunt, dicit Dominus, et non vocabitur amplius locus iste Topheth, et vallis filii Ennom, sed vallis occisionis.* Fuit iam hoc etiam supra capitis 7. v. 32. 7. *Et dissipabo consilium Juda, et Jerusalem in loco isto, et subvertam eos gladio*

in conspectu inimicorum suorum, et in manu quaerentium animas eorum, et dabo cadavera eorum escam volatilibus caeli, et bestiis terrae. 8. *Et ponam civitatem hanc in stuporem, et in sibilum: omnis, qui praeterierit per eam, obstupescet, et sibilabit super universa plaga eius.* 9. *Et cibabo eos carnibus filiorum suorum, et carnibus filiarum suarum, et unusquisque carnem amici sui comedet in obsidione, et in angustia, in qua concludent eos inimici eorum, et qui quaerunt animas eorum.*

10. *Et conteres laguncùlam in oculis virorum, qui ibunt tecum,* 11. *et dices ad eos: Haec dicit Dominus exercituum: sic conteram populum istum, et civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari, et in Topheth sepelientur, eo quod non sit alius locus ad sepeliendum.* „Perspicue, ait S. Hieronymus, non de „Babylonia, sed de Romana dicitur captivitate. „Post Babylonios quippe, et urbs instaurata, et „populus reductus in Judaeam, et abundantiae pri„stinae restitutus est. Post captivitatem autem, quae „sub Vespasiano, et Tito, et postea accidit sub „Hadriano usque ad consummationem seculi ruinae „Jerusalem permansurae sunt, quamquam sibi Ju„daei auream, atque gemmatam Jerusalem restitu„endam putent, rursumque victimas, et sacrificia „et coniugia sanctorum, et regnum in terris Do„mini Salvatoris.“ Nimirum prophetiam hanc Jeremias ita pronunciavit, ut tam illam viciniorem calamitatem, quam eam etiam, quae subsecutura

erat per Romanos complecteretur, ipsiusque illorum reprobationis praedictio esset. 12. *Sic faciam loco huic, ait Dominus, et habitatoribus eius, et ponam civitatem istam sicut Topheth.* 13. *Et erunt domus Jerusalem, et domus regum Juda, sicut locus Topheth immundae: omnes domus, in quarum domatibus sacrificaverunt omni militiae caeli, et libaverunt libamina diis alienis.* Doma Graecum est vocabulum significans domum, vel etiam tectum tantum. Hic altero modo adhibitum est. Militia caeli intelliguntur astra, et quibus etiam tamquam diis, sacrificaverant. 14. *Venit autem Jeremias de Topheth, quo miserat eum Dominus ad prophetandum, et stetit in atrio domus Domini, et dixit ad omnem populum:* 15. *Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego inducam super civitatem hanc, et super omnes urbes eius universa mala, quae locutus sum adversum eam: quoniam induraverunt cervicem suam, ut non audirent sermones meos.*

CAPVT XX.

Jeremiam in nervum mittit Phassur sacerdos praepositus templi: cui vicissim is, et omnibus habitatoribus Jerusalem interminatur mala captivitatis, dieique suae nativitatis maledicit propter adversitates, quas patiebatur.

1. *ET audivit Phassur filius Emmer sacerdos, qui constitutus erat princeps in domo Domini,*

Jeremiam prophetantem sermones istos. Non erat princeps sacerdotum, sed tantum cui custodia templi esset commissa. Nam, dum Jerusalem caperetur ab Chaldaeis, princeps sacerdotum, et pontifex erat Sarajas. 4. Reg. 25. v. 18. huncque Nabuchodonosor captum vita privavit, cum, ut hic modo dicetur, Phassuri tantum captivitatem praedixerit, et mortem in Babylonia. Alium autem fuisse praepositum templo, quam summum sacerdotem exemplum de Simone est etiam 2. Mach. 3. v. 4. qui ne quidem sacerdos, sed de tribu Benjamin fuit. 2. *Et percussit Phassur Jeremiam Prophetam, et misit eum in nervum, quod erat in porta Benjamin superiori in domo Domini.* Ex Jobo cap. 13. v. 27. ubi est: „Posuisti in nervo pedes meos" intelligitur genus hoc vinculorum fuisse, quo pedes divaricati ad interpositum lignum alligabantur, ut ita vinctus iacere in eodem loco cogeretur, quique pro ratione divaricationis plus, vel minus molestiae ex hac ligatione sentiret. Tali modo Actorum 16. v. 24. Paulus, et Silas erant constricti in carcere. Itaque cippi hoc quodpiam erat genus.

3. *Cumque illuxisset in crastinum, eduxit Phassur Jeremiam de nervo, et dixit ad eum Jeremias: Non Phassur vocavit Dominus nomen tuum, sed pavorem undique.* Alludit ad id, quod ei eventurum erat. Phassur autem interprete S. Hieronymo significat oris nigredinem. Huic ergo contrarium posuit. Nam qui metu, et pavore percellitur, pallescit. 4. *Quia haec dicit Dominus: Ecce ego dabo te in*

pavorem, te, et omnes amicos tuos, et corruent gladio inimicorum suorum, et oculi tui videbunt: et omnem Judam dabo in manum regis Babylonis, et traducet eos Babylonem, et percutiet eos gladio. 5. *Et dabo universam substantiam civitatis huius, et omnem laborem eius, omneque pretium, et cunctos thesauros regum Juda dabo in manu inimicorum eorum, et diripient eos, et tollent, et ducent in Babylonem.* 6. *Tu autem Phassur, et omnes habitatores domus tuae ibitis in captivitatem, et in Babylonem venies, et ibi morieris, ibique sepelieris tu, et omnes amici tui, quibus prophetasti mendacium.* Intelligitur ergo idem iste Phassur etiam pseudoprophetam egisse, contrariumque quasi prophetice iactasse ei rei, quae dicebatur ab Jeremia.

7. *Seduxisti me Domine, et seductus sum: fortior me fuisti, et invaluisti: factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me.* Seducere vulgo sumitur pro fallere, et decipere, et quasi aliquem eo ducere, quo se deinde ductum esse nollet. Jeremiam, dum Deus prophetam constituisset, plurimis illum, gravissimisque malis obiecit. Quae dum experiebatur, ad ea se deductum esse noluisset. Atque hoc est, quod se a Deo dicit esse seductum. In Hebraeo est verbum *Patah* (פָּתָה) quod significationem habet svasionibus etiam tantummodo aliquem aliquo inducere citra adhibitionem fraudis. Quo deinde cetera etiam pertinent: *Fortior me fuisti, et praevaluisti*, quum Deus munus de-

precantem, dicebat enim: „ A, a, a, Domine „Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum " Cap. 1. v. 6. nihilominus subire illud, et suscipere coegit. *Factus sum in derisum tota die: omnes subsannant me:* „ Eo quod aestiment, ait S. Hie„ronymus illum universa mentitum, et cuncta, „ quae praedixerit esse ventura, mendacia fuerint. " Risu ergo excipiebatur, quasi ea, quibus illos, terreret, eventura non essent, dum ea, quae hactenus ab eo praedicta sunt, effecta nondum fuissent.
8. *Quia iam olim loquor, vociferans iniquitatem, et vastitatem clamito: et factus est mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum tota die.*
9. *Et dixi: non recordabor eius, neque loquar ultra in nomine illius: et factus est in corde meo quasi ignis exaestuans, claususque in ossibus meis, et defeci ferre non sustinens.* Et dixi: non recordabor eius. Cuius se dixit non recordaturum? sermonis Domini. Hoc enim modo antecessit, itemque hoc declarat, quod insuper addidit in nomine Dei se ultra non esse locuturum; atque adeo, quod prophetias sibi a Deo imponendas nolit ultra ad populum perferre, atque ei exponere. Si autem istud Propheta ita de se dixit, et voluntatem concepit non amplius exsequendi muneris sui, quod sibi habebat a Deo impositum; certe non minus culpandus fuisset, atque Paulus Apostolus a Deo constitutus vae sibi futurum dixerit, si non evangelizaverit. 1. Cor. 9. v. 16. Quid ergo? Nempe: istud Prophetae: *Et dixi*, non deliberatam voluntatem, sed su-

bitum tantum animi motum, et cogitationem, quae eius menti esset obiecta, et quin eam recepisset voluntas, significat: atque idem hoc Jeremiae evenit, quod evenerat Psalti. Qui similiter ex consideratione prosperitatis impiorum in hoc mundo in haec contra Dei providentiam verba eruperat: „ Et dixi: Ergo „sine causa iustificavi cor meum, et lavi inter in„nocentes manus meas. " Psal. 72. v. 12. Atque hoc ita factum esse in Jeremia, illud deinde declarat, quod e vestigio subiecerit, eundem Dei sermonem esse factum in eius corde, quasi ignem exaestuantem, clausumque in ossibus, quem ferre, et continere non potuerit. Si enim tantus in illo ardor fuit Dei sermones proferendi; voluntas ab eo, cuius studio ardebat, aliena non fuit. 10. *Audivi enim contumelias multorum, et terrorem in circuitu: persequimini, et persequamur eum, ab omnibus viris, qui erant pacifici mei, et custodientes latus meum: si quomodo decipiatur, et praevaleamus adversus eum, et consequamur ultionem ex eo.* Est hoc nexum cum eo, quod antecessit, Dei sermonem esse ei factum in opprobrium, et in derisum; et propter quem ulterius modo declarat ab ipsis, qui eius antea erant pacifici, et custodientes latus, et quos antea habuit defensores, et patronos, se esse desertum, hosque ipsos factos esse suos oppugnatores, et vitae insidiatores.

11. *Dominus autem mecum est, quasi bellator fortis. Idcirco, qui persequuntur me, cadent, et infirmi erunt: confundentur vehementer, quia non*

intellexerunt opprobrium sempiternum, quod numquam delebitur. Non intellexerunt opprobrium sempiternum, non in mentem et cogitationem suam susceperunt, non sibi persvaserunt, cum illud sibi a Propheta audivissent dici, illeque eos monuisset, ut sibi ab eo caverent. 12. *Et tu Domine exercituum, probator iusti, qui vides renes, et cor, videam, quaeso, ultionem tuam ex eis. Tibi enim revelavi causam meam.* Probator iusti, hoc est, qui exploret, quid iustum sit. Syrus posuit: *investigator iustitiae.* Jam vero etiam supra cap. 18. v. 21. pro eorum supplicio, qui eum persequebantur Deum, interpellaverat. Nempe, ut iam ibi dictum est, utrobique haec Prophetae oratio vim habuit prophetiae ad denunciandum, quid illis obstinatis in malo, quique dicerent, ut in illo eodem capite est „ Desperavi-„ mus; post cogitationes enim nostras ibimus, et „ unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus" eventurum esset. Jam alias etiam demonstratum est a me, tantum abesse, ut imprecationes malae sint, si puro Divini honoris laesi studio concipiantur, ut ipsae irrogationes etiam malarum rerum, plus enim est profecto malum inferre, quam illud tantummodo imprecari, laudatae a Deo in Scriptura reperiantur. Id quod in Phineis, Numer. 25. v. 11. et Mathathiae 1. Mach. 2. v. 26. facto cernitur: et de quo argumento ad Deuteronomii 28. versum ultimum tractatum est. 13. *Cantate Domino, laudate Dominum, quia liberavit animam pauperis de manu malorum.* Praecesserat modo:

Videam, quaeso ultionem tuam ex eis: et de impiorum opprobrio sempiterno. Animam ergo pauperis, afflicti, eiusdemque pii erga Deum, quod Deus liberaturus sit ex illis malis, et poenis, in quas venient impii, laudat Deum. Nam quod non hoc sic a Propheta sit dictum, quasi gratias ageret Deo, se ex praesentibus malis esse liberatum; declarat hoc, quod e vestigio maledicat diei etiam suae nativitatis propter adversitatum acerbitates, quas patiebatur.

14. *Maledicta dies, in qua natus sum: dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta.* 15. *Maledictus vir, qui annunciavit patri meo dicens: natus est tibi puer masculus, et quasi gaudio laetificavit eum.* 16. *Sit homo ille, ut sunt civitates, quas subvertit Dominus, et non poenituit eum:* „De Sodoma, et Gomorra dici arbi„tror" ait S. Hieronymus: *audivit clamorem mane, et ululatum in tempore meridiano,* 17. *qui non me interfecit a vulva, ut fieret mihi mater mea sepulchrum, et vulva eius conceptus aeternus.* Audire clamorem mane, et ululatum in tempore meridiano est positum per continuationem similitudinis civitatum, quae sunt subversae, isteque adhuc color ex urbium expugnationibus additus est. Nam dum captis urbibus ab hoste imminet exitium; clamore, et ululatu omnia implentur: Mane, et meridies posita sunt pro diu, noctuque. Per conceptum aeternum significat Propheta maluisse se numquam prodire ex materno utero. 18. *Quare*

de vulva egressus sum, ut viderem laborem, et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei? Similis maledictio iacta in diem nativitatis est etiam ab Jobo cap. 3. v. 2. Cumque istius maledictionis acerbitas recidere videatur in Deum, qui hominem in utero matris formavit, et produxit; est ibi ad illum Jobi locum demonstratum, quomodo haec in Prophetis peccatum non fuerit; quod nativitati suae irascerentur, quatenus haec ex peccato esset corrupta, in peccatumque hoc, unde talia mala fluxissent, omnis illorum ira, et indignatio dirigeretur.

CAPVT XXI.

Sedecias rex obsidione cinctus a Nabuchodonosore Chaldaeorum rege per nuncios de urbis eventu Jeremiam consulit: cui vero is demonstrat captum eam iri ab hoste.

1. *VERBUM, quod factum est ad Ieremiam a Domino, quando misit ad eum rex Sedecias Phassur filium Melchiae, et Sophoniam filium Maasiae sacerdotem, dicens:* 2. *Interroga pro nobis Dominum, quia Nabuchodonosor rex Babylonis praeliatur adversum nos; si forte faciat Dominus nobiscum secundum omnia mirabilia sua, et recedat a nobis.* Superiore capite Phassur filius fuit Emmer; iste, qui nunc mittitur, fuit filius Melchiae. Ex quo intelligitur, hunc, qui modo a rege missus est, non eumdem esse cum eo, a quo Jeremias percussus est, et in nervum missus. ,, Quod-

„que infert, ait S. Hieronymus, *quia Nabuchodo-*
„*nosor rex Babylonis praeliatur adversum nos*,
„ostendit iam obsessa Jerusalem a Propheta hoc sci-
„scitari Sedeciam. Et notandum, quod in Prophe-
„tis maximeque in Ezechiele, et Jeremia, nequa-
„quam regum, et temporum ordo servetur, sed
„praepostere, quod iuxta historiam postea factum
„sit, prius referri, et quod prius gestum sit, postea.
„Aliud est enim historiam, aliud prophetiam scri-
„bere: ut in praesenti loco Sedecias, qui cum ur-
„be Jerusalem captus est, mittens scribitur ad Je-
„remiam et eo tempore, quo obsidebatur Jerusa-
„lem, et postea narratur historia Joacim fratris
„eius, qui ante eum rex fuit, et Joachin, id est:
„Jechoniae, qui filius fuit Joacim, super quibus
„dicetur in sequentibus."

3. *Et dixit Jeremias ad eos: sic dicetis Se-*
deciae. 4. *Haec dicit Dominus Israel: Ecce ego*
convertam vasa belli, quae in manibus vestris sunt,
et quibus vos pugnatis adversum regem Babylonis,
et Chaldaeos, qui obsident vos in circuitu muro-
rum, et congregabo ea in medio civitatis huius.
Significat armorum, quae haberent, nullum fore
usum adversus Chaldaeos, tamquam collectorum,
et congestorum in unum cumulum in medio urbis.
„Frustra, inquit, verba sunt S. Hieronymi, repu-
„gnare vultis Chaldaeis obsidentibus, et arma bel-
„lica praeparatis, quorum in media tantum urbe
„usum habebitis, ut armati esse videamini." 5.
Et debellabo ego vos in manu extenta, et in bra-

chio forti, et in furore, et in indignatione, et in ira grandi. 6. *Et percutiam habitatores civitatis huius: homines, et bestiae pestilentia magna morientur.* 7. *Et post haec ait Dominus, dabo Sedeciam regem Juda, et servos eius, et populum eius, et qui derelicti sunt in civitate hac a peste, et gladio, et fame, in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, et in manu inimicorum eorum, et percutiet eos in ore gladii, et non flectetur, neque parcet, nec miserebitur.* 8. *Et ad populum hunc dices: Haec dicit Dominus: Ecce ego do coram vobis viam vitae, et viam mortis.* 9. *Qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio, et fame, et peste: qui autem egressus fuerit, et transfugerit ad Chaldaeos, qui obsident vos, vivet, et erit ei anima sua, quasi spolium.* 10. *Posui enim faciem meam super civitatem hanc in malum, et non in bonum, ait Dominus: in manu regis Babylonis dabitur, et exuret eam igni.* 11. *Et domui regis Juda; Audite verbum Domini:* 12. *Domus David, haec dicit Dominus: Judicate mane iudicium:* mane pro diligentia in aliqua re solere poni iam frequenter dictum est: *et eruite vi oppressum de manu calumniantis, ne forte egrediatur, ut ignis, indignatio mea, et succendatur, et non sit, qui exstingvat propter malitiam studiorum vestrorum.* 13. *Ecce ego ad te habitatricem vallis solidae, atque campestris, ait Dominus, qui dicitis: Quis percutiet nos, et quis ingredietur domos nostras?* Erat Jerusalem sita in monte. Tota autem urbs rur-

sus circumdabatur aliis undique montibus: quemadmodum est in Psalmo 124. v. 1. „ Qui confidunt „ in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur „ in aeternum, qui habitat in Jerusalem: montes „ in circuitu eius. " Propter montes igitur, a quibus cingebatur, vocatur vallis: solida autem, et campestris, sive ut in Hebraeo est: *Petra planitiei.* (צוּר הַמִּישֹׁר) Petraque nominatur ad indicandam eius fortitudinem, planities vero ad significandam eius magnitudinem. Eo enim vallis, quo nomine est compellata, intelligitur esse latior, atque amplior, quo magis tenditur in latum. Ex qua eius tensione plus deinde planitiei in ea existit. Etiam ab Isaia vallis fuit Jerusalem vocata, sed non simpliciter, verum vallis visionis. Isa. 22. v. 1. Propterque visiones, ut ibi demonstratum est, vallis ei haec compellatio data est. 14. *Et visitabo super vos iuxta fructum studiorum vestrorum, dicit Dominus, et succendam ignem in saltu eius, et devorabit omnia in circuitu eius.* Quam prius vallem vocaverat, nunc iterum saltum vocat ob aliam comparationem, quae conflagratura sit, tamquam quaedam silva igne succensa.

CAPVT

CAPVT XXII.

Ad regis domum Jeremias missus a Deo hortatur ibi regem, ceterosque universos ad observantiam erga Deum: docet Sellum filium Josiae in captivitatem abductum non esse reversurum. Joakimum regem Juda sepultura asini gavisurum, et Jechoniam eius filium abductum iri in captivitatem, nullosque ex se posteros, qui regiam dignitatem obtinerent, habiturum.

1. *HAEC dicit Dominus: descende in domum
regis Juda, et loqueris ibi verbum hoc,* 2. *et di-
ces: Audi verbum Domini rex Juda, qui sedes su-
per solium David, tu, et servi tui, et populus tuus,
qui ingredimini per portas istas.* Portae regiae do-
mus intelliguntur, ut deinde est versu 4. Sub Joa-
kim autem rege filio Josiae hoc, quod modo nar-
ratur, factum est, ad quem deinde nominatim infra
versu 18. verba Jeremias facit. 3. *Haec dicit Do-
minus: Facite iudicium, et iustitiam, et liberate
vi oppressum de manu calumniatoris, et advenam,
et pupillum, et viduam nolite contristare, neque
opprimatis inique, et sangvinem innocentem ne ef-
fundatis in loco isto.* 4. *Si enim facientes feceri-
tis verbum istud; ingredientur per portas domus
huius reges sedentes de genere David super thronum
eius, et adscendentes currus, et equos, ipsi, et
servi, et populus eorum.* 5. *Quod si non audieri-
tis verba haec, in memetipso* praepositio *in loco*

praepositionis *per* est posita, *iuravi, dicit Dominus, quia in solitudinem erit domus haec.* 6. *Quia haec dicit Dominus super domum regis Juda: Galaad tu mihi caput Libani, si non posuero te in solitudinem, urbes inhabitabiles.* Galaad erat trans Jordanem sita regio, tendebaturque usque ad montem Libanum. Eodem vero vocabulo: *caput* (ראש) etiam principium, et initium Hebraei denominant, ut hoc in aliis etiam lingvis, et in ipsa Latina fieri solet. Galaad igitur hic non pro vertice, sed pro initio montis Libani posita regio est. „Est autem, „ait S. Hieronymus, caput, sive principium Libani montis excelsi, qui universus cedris consitus „est.“ Pulcherrima autem, et fertilissima erat haec regio. Inde isto nomine per metaphoram appellat sic palatium regium: *Galaad, tu mihi caput Libani* vocando illud primum Galaad, et rursus principium Libani, quod ipsum iterum est Galaad. Hanc ergo regis domum amoenissimam dicit se versurum Deus in solitudinem, et vastaturum, ut similis fiat urbi inhabitabili. De domo autem regia coniunctim cum tota urbe Jerusalem loquitur. Quod subsequens deinde oratio etiam indicabit.

7. *Et sanctificabo super te interficientem virum, et arma eius, et succident electas cedros tuas, et praecipitabunt in ignem.* Sanctificare iterum, ut iam alibi etiam fuerunt istiusmodi exempla, positum est pro destinare, ordinare. Sensus igitur est: Disponam, immittam virum interfectorem, et arma illius. Electarum cedrorum nomine

intelliguntur splendidae, et procerae aedes, quas incendium consumpturum sit. 8. *Et pertransibunt gentes multae per civitatem hanc, et dicet unusquisque proximo suo: quare fecit Dominus sic civitati huic grandi?* 9. *Et respondebunt: eo, quod dereliquerint pactum Domini Dei sui, et adoraverint deos alienos, et servierint eis.* 10. *Nolite flere mortuum, neque lugeatis super eum fletu: plangite eum, qui egreditur, quia non revertetur ultra, nec videbit terram nativitatis suae.* De Josia rege id temporis iam defuncto, sed non multo ante, est hoc, ne eum plangant. De quo sic etiam est 2. Paralip. 35. v. 24. „Universus Juda, et Jerusalem luxerunt eum, Jeremias maxime: cuius „omnes cantores, atque cantatrices usque in praesentem diem lamentationes super Josiam replicant.“ Erat enim bonus, et laudatus rex. Quem vero potius iubentur flere, Sellum est Josiae filius, ut est versu sequenti.

11. *Quia haec dicit Dominus ad Sellum filium Josiae regem Juda, qui regnavit pro Josia patre suo, qui egressus est de loco isto: non revertetur huc amplius.* 12. *Sed in loco, ad quem transtuli eum, ibi morietur, et terram istam non videbit amplius.* Sellum, qui hic modo memoratur, est is, qui 4. Reg. 23. v. 30. Joachaz nominatur, et de quo ibi sic est post narratam mortem Josiae: „Tulitque populus terrae Joachaz filium Josiae, et „unxerunt eum, et constituerunt eum regem pro „patre suo.“ Ibidem deinde ultra narratur, hunc

eumdem Joachazum, posteaquam tribus tantum mensibus in regia dignitate fuisset, a Nechaone rege Aegypti captum, et abductum in Aegyptum esse fratre illius Eliacim constituto rege ab eodem rege Aegypti, et cui ab eodem Nechaone nomen quoque mutatum sit, quemque Joakimum vocari iusserit. Res deinde, ut de regibus totum compendiose dicam, sic se habuit ad Sedeciam, qui fuit ultimus. Joakim annos undecim regnavit. Ei mortuo successit Joachin filius, qui alio etiam nomine Jechonias vocatur. Hunc Nabuchodonosor post tertium mensem regni ipsius captivum abduxit in Babyloniam, regemque constituit Sedeciam patruum illius, sub quo deinde vastata Jerosolyma est, et captivitas accidit. Atque hunc Sellum eumdem esse cum Joachazo ex 1. Paralip. 3. v. 15. etiam perspicuum fit. Ubi sic est: „Filii autem Josiae fuerunt, primogenitus Johanan, secundus Joakim, „tertius Sedecias, quartus Sellum." Nam cum ex Josiae filiis tres fuerint, qui reges facti sint, duoque ex his Joakim, et Sedecias fuerint, consequens est, ut qui ab Auctore libri quarti Regum Joachaz vocatur, idem cum isto sit, qui ab Jeremia, et Auctore Paralipomenon Sellum nominatur.

13. *Vae, qui aedificat domum suam in iniustitia, et coenacula sua non in iudicio: amicum suum opprimet frustra, et mercedem eius non reddet ei.* „Est autem sermo, ait S. Hieronymus, contra „Joacim (idem hic est, qui Joakim, sed literae „*k* loco ponit S. Hieronymus: *c.*) filium Josiae

„regis Juda, quem constituit Nechao Pharao rex „Aegypti pro Joachaz fratre suo, quem vinctum „duxit in Aegyptum. Legimus autem, ut tam Re„gum, quam Paralipomenon narrat historia (4. Reg. „cap. 23. et 24. et 2. Paral. 36. v. 5.) undecim an„nis regnasse in Jerusalem Joacim filium Josiae, et „regnasse crudeliter, et exstitisse impium.“ 14. *Qui dicit: aedificabo mihi domum latam, et caenacula spatiosa, qui aperit sibi fenestras, et facit laquearia cedrina, pingitque sinopide.* Sinopis est minium, genus rubri coloris, sic dictum, ut docet Plinius l. 35. cap. 6. a Sinope Ponti urbe, ubi magna illius copia effodiebatur. 15. *Numquid regnabis, quoniam confers te cedro? Pater tuus numquid non comedit, et bibit, et fecit iudicium, et iustitiam tunc, cum bene erat ei?* 16. *Judicavit causam pauperis, et egeni in bonum suum: numquid non ideo, quia cognovit me, dicit Dominus?* 17. *Tui vero oculi, et cor ad avaritiam, et ad sangvinem innocentem fundendum, et ad calumniam, et ad cursum mali operis.* 18. *Propterea haec dicit Dominus ad Joakim filium Josiae regem Juda: Non plangent eum: Vae frater, et vae soror: non concrepabunt ei: Vae domine, et vae inclyte.* Illo: vae frater, vae soror, exprimuntur voces in ploratu alterius ad alterum inter cognatos et propinquos illius, qui defunctus est. Isto: vae domine, vae inclyte, exprimitur dolor erga ipsum regem, qui defunctus sit. 19. *Sepultura asini sepelietur, putrefactus, et proiectus extra portas Jerusalem.* „Pulchre sepultura

„ asini dicit eum sepeliendum, verba sunt S. Hie-
„ronymi, ut aliis verbis significet insepultum,
„ hoc est a bestiis, avibusque lacerandum. Haec est
„ enim asini sepultura.“ Non memorat alicubi Scriptura aperte, quo genere mortis sublatus sit. Sed 4. Reg. 24. v. 2. cum esset dictum a Chaldaeorum, pluriumque aliarum nationum Latrunculis sub Joakimo fuisse impetitam, et eorum incursionibus vexatam Judaeam; tum e vestigio subiicitur Joakimum esse mortuum. Ex quo coniectura est illum in praelio adversus hos latrones cecidisse, insepultumque mansisse. Atque ita accidisse S. Hieronymus etiam in Commentario hoc confirmat ex Hebraea historia.

20. *Adscende Libanum, et clama; et in Basan da vocem tuam, et clama ad transeuntes, quia contriti sunt omnes amatores tui.* Ad urbem Jerusalem versa nunc est Prophetae oratio. Loco huius: *Ad transeuntes* est in Hebraeo: *Meabarim. Me* est praepositio, quae nostrae Latinae praepositioni *de* respondet. *Abarim* vero est nomen montis, ad quem Moyses adscendit contemplaturus terram promissionis, antequam moreretur. Deut. 32. v. 49. Amatorum nomine intelliguntur Aegyptii, a quibus Joakim erat constitutus rex, et in quibus idem Joakim adversus Chaldaeos suam habebat fiduciam. „ Per
„ metaphoram Libani, et Basan regionum, et mon-
„ tium trans Jordanem, ait S. Hieronymus, ad Je-
„ rusalem sermo dirigitur, quod frustra in Aegypto
„ sit confisa, sive ad ipsum Joacim, qui eo tem-
„ pore regnabat in Jerusalem, et ab Aegyptiis rex

„fuerat constitutus, quod frustra Aegyptiorum spe„ret auxilium, et quod ipsi quoque a Babylonio „rege superandi sint, et ducendi in captivitatem.“ Aegyptios autem esse deinde contritos, et plaga affectos ab Chaldaeis, intelligitur etiam ex 4. Reg. 24. v. 7. Ubi est: „Et ultra non addidit rex Ae„gypti, ut egrederetur de terra sua. Tulerat enim „rex Babylonis a rivo Aegypti usque ad fluvium „Euphratem omnia, quae fuerant regis Aegypti.“ 21. *Locutus sum ad te in abundantia tua, et dixisti: non audiam. Haec est via ab adolescentia tua, quia non audisti vocem meam.* „Quodque „ait: *Locutus sum ad te:* hoc est, ipse Deus per „Prophetas, verba sunt S. Hieronymi; *Et tu in „abundantia tua dixisti: non audiam.* Arguit eam „(Jerosolymam videlicet) superbiae, et quod divi„tiarum magnitudine abusa sit in contemptum Dei. „Et narrat, quod non solum hoc tempore, sed ab „initio, quando educta sit de Aegypto, non audie„rit vocem Dei.“ 22. *Omnes pastores tuos pascet ventus, et amatores tui in captivitatem ibunt, et tunc confunderis, et erubesces ab omni malitia tua.* Pastores Jerusalem illius reges, et principes, amatores, ut iam demonstratum est, Aegyptii intelliguntur. Qui non tantum clade affecti tum sunt, quando hoc eis accidit, quod ante commemoratum est; sed post Jerosolymam captam, et expugnatam iterum adventu ipsius Nabuchodonosoris in Aegyptum, ut sequetur infra cap. 43. v. 11. 23. *Quae sedes in Libano, et nidificas in cedris, quomodo conge-*

muisti, cum venissent tibi dolores, quasi dolores parturientis?

24. *Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Jechonias filius Joakim regis Juda annulus in manu dextera mea, inde evellam eum.* Fecerat prius verba ad Joakimum. Jechonias autem eius erat filius, et qui patri in regno successit. Quare Jeremias, dum venit in domum regis Joakim editurus hanc prophetiam, quae isto capite describitur, ad regemque Joakimum verba direxisset, deinde ad filium ipsius quoque progressus est, qui fortasse iam ad consortium regni assumptus a patre sit, aut etiam sine hoc consortio dignitatis, in quo pater spem omnem haberet suae familiae, quamque Propheta ei modo praeciderit; aut haec erga Jechoniam prophetia non eodem tempore pronunciata est ab Jeremia, sed tardius, et defuncto iam Joakimo patre: quamvis de tempore, quo edita sit, nihil Jeremias dicat, et moneat, cum, ut iam supra demonstratum sit, non eius scopus fuerit historiam scribere, nec in rebus suis ordinem servet temporis, et saepe ea, quae tardius acta sunt, iis anteponat in ordine scriptionis, quae prius. 25. *Et dabo te in manu quaerentium animam tuam, et in manu, quorum tu formidas faciem, et in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, et in manu Chaldaeorum.* 26. *Et mittam te, et matrem tuam, quae te genuit, in terram alienam, in qua nati non estis, ibique moriemini,* 27. *et in terram, ad quam ips i levant animam suam, ut revertantur illuc, non re-*

vertentur. Hoc est, ad Judaeam, postquam ducti fuerint in Babyloniam, non revertentur, tametsi ad eam suam animam levent, et suspirent. Abductio regis Jechoniae, vel Joachin alio nomine narratur, quomodo facta sit 4. Reg. 24. v. 11. Et tum una etiam pars populi demigravit cum eo in captivitatem. Jerosolymam autem adhuc nunc Nabuchodonosor reliquit intactam, regemque in locum Jechoniae constituerat Sedeciam. Sed quo demum novo rursus adventu Nabuchodonosoris ultimus actus, qui restabat, peractus est.

28. *Numquid vas fictile, atque contritum vir iste Jechonias? numquid vas absque omni voluptate? Quare* (idcirco) *abiecti sunt ipse, et semen eius, et proiecti in terram, quam ignoraverunt.* Per affirmationem autem etiam illud prius sumendum est, esse ipsum vas fictile, et sine voluptate, hoc est, in quo nullus sit decor, et quod propterea abiiciatur. Quare Septvaginta posuerunt: *Inhonoratus est Jechonias, quasi vas, in quo nulla est utilitas* Ἠτιμώθη Ἰεχονίας ὡς σκεῦος οὗ οὐκ ἔςι χρεία αὐτοῦ.
29. *Terra, terra, terra audi sermonem Domini.*
30. *Haec dicit Dominus: scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Israel.* „Omnes enim fuere captivi, ait S. Hieronymus, et nullus deinceps de stirpe David in terra Judaea tenuit principatum. Unde et Josephus „refert de sacerdotali genere, ac tribu Levi fuisse

„principes, quibus successerit Herodes Antipatri „proselyti filius, et postea sub Vespasiano regnum „huius generis, imo imaginem imperii funditus fuis- „se deletam.“ Jechonias habuit filios plures, qui 1. Paral. 3. v. 17. nominatim recensentur. Non ergo eo dicitur sterilis, quod non habeat liberos, sed sterilis vocatur ratione tantum talis ex se filii, et posterorum, qui super solium David sedeant, et regiam dignitatem obtineant.

CAPVT XXIII.

In locum malorum pastorum promittit se Israeli alios daturum bonos, et regem ex Davidis stirpe iustum, sub quo Judas salvus fiat, et Israel confidenter habitet. Poenas interminatur pseudoprophetis, et iis, qui per risum, et contemptum prophetias vocarent onus Domini.

1. *VAE pastoribus, qui disperdunt, et dilacerant gregem pascuae meae, dicit Dominus.* 2. *Ideo haec dicit Dominus Deus Israel ad pastores, qui pascunt populum meum: Vos dispersistis gregem meum, et eiecistis eos, et non visitastis eos. Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus.* 3. *Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos illuc, et convertam eos ad rura sua, et crescent, et multiplicabuntur.* 4. *Et suscitabo super eos pastores, et pascent eos: non formidabunt ultra, et*

non pavebunt, et nullus quaeretur ex numero, ait Dominus. „Ad pastores, sive de pastoribus pro„pheticus sermo fit, ait S. Hieronymus. Et quia „de Jechonia penultimo rege Judaeae, qui fuit „de stirpe David, legimus scriptum: „ *Terra, ter„ra, terra audi sermones Domini: scribe virum „istum sterilem, et non erit de semine eius vir, „qui sedeat super solium David,* omnisque spes „regni Judaici fuerat amputata; transit ad princi„pes Ecclesiae, et synagoga cum suis pastoribus „derelicta, atque damnata, ad Apostolos sermo fit, „de quibus dicitur: *Et suscitabo super eos Pa„stores, et pascent eos, non formidabunt ultra, „et non pavebunt, et nullus quaeretur ex numero, „dicit Dominus.* Apostoli enim confidenter, et „absque ullo timore pascent Ecclesiasticum gregem, „et reliquiae populi Israel salvabuntur de omni„bus terris, et convertentur ad rura, sive ad pa„scua sua, et crescent, et multiplicabuntur. Super „malos autem pastores, scribas et Pharisaeos visi„tabit Dominus propter malitiam studiorum ipso„rum.“ Non formidabunt ultra, et non pavebunt: quod S. Hieronymus intellexit de pastoribus, videtur magis intelligendum de ipso grege, et ovibus, quae positae sub his pastoribus futurae sine metu sint. Est enim hoc opposite ad illum statum pristinum earumdem ovium sub prioribus pastoribus dictum, sub quibus eiectae, et dispersae fuerant, ut antecessit. Dicit autem Christus de suis ovibus: „Ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in

„aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu „mea.“ Joan. 10. v. 28. Quod confirmatur illo etiam, quod ubi grex iste futurus est „Non ibi erit leo, „et mala bestia non adscendet“ Isaiae 35. v. 9. et rursus apud eumdem Isaiam sit cap. 11. v. 9. nihil futurum in universo sancto monte, quod noceat, ubi grex iste habitabit. Etiam istud: *Nullus quaeretur ex numero* manifeste est de ovibus, non pastoribus; quas oves, ut iam demonstratum est, Christus dixit neminem esse rapturum de eius manibus; et qui de iisdem ovibus suis rursus dixit Joan. 6. v. 39. „Haec est voluntas eius, qui misit me Patris, „ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo.“

5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium, et iustitiam in terra.* Suscitabo Davidi germen iustum, iuxta illam promissionem Davidi factam a Deo, qui ad eum dixit: „Cum completi fuerint dies tui, et dormie„ris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post „te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo re„gnum eius.“ 2. Reg. 7. v. 12. 6. *In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter, et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus Justus noster.* „Abiectis ergo pastoribus synagogae, „ait S. Hieronymus, Scribis videlicet, et Pharisaeis, „et salvatis reliquiis ex Israel, Apostolisque Evan„gelii in locum priorum principum constitutis, in„ducitur Pastor pastorum, et Princeps principum, „et Rex regum, et Dominus dominantium, Chri-

„stus videlicet Salvator noster, qui proprie est Ger-„men Justum.“ Dicitur vero Christus vocandus esse Dominus Justus noster. „Quia factus est nobis sa-„pientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et re-„demptio.“ 1. Cor. 1. v. 30. 7. *Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non dicent ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aegypti,* 8. *sed: Vivit Dominus, qui eduxit, et adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis, et de cunctis terris, ad quas eieceram eos illuc, et habitabunt in terra sua.* De hac ratione iurandi, posteaquam e Babylonia, cunctisque terris novus Israeliticus populus fuisset congregatus, fuit iam etiam supra capitis 16. v. 14. ibique ostensum est, pertinere hoc ad indicandum, alterum redemptionis beneficium, futurum illo priore multo illustrius, et quod propterea usurpetur, frequenteturque ore omnium fidelium, cuius illa prior liberatio ex Aegypto comparate ad hanc intelligatur umbra tantum fuisse.

9. *Ad prophetas: Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea, factus sum quasi vir ebrius, et quasi homo madidus a vino a facie Domini, et a facie verborum sanctorum eius.* Ad prophetas. Est titulus novae prophetiae, quae contra pseudoprophetas dirigitur. „Est autem sermo, ait S. Hieronymus, contra pro-„phetas, immo pseudoprophetas Jerusalem, et Sa-„mariae, quos nunc communi, et vulgato nomine „prophetas vocat, de quibus scriptum est in conse-

„ quentibus : *Et in prophetis Samariae vidi iniqui-* „ *tatem :* Statimque : *Et in prophetis Jerusalem* „ *vidi horribilia.*“ Jeremias autem sic se tali horrore commotum dicit consideratione malorum, quae et a pseudoprophetis his fierent, et quae illis mala impenderent. 10. *Quia adulteris repleta est terra, quia a facie maledictionis luxit terra, arefacta sunt arva deserti, factus est cursus eorum malus, et fortitudo eorum dissimilis :* Hebraice: *robur eorum non firmum.* (גבורתם לא־כן) Cum contra prophetas sit directa prophetia, de his ipsis est hoc esse ipsos adulteros, videtur autem adulterium sumi pro idololatria, ad quam illi pseudoprophetae solebant impulsores esse, aliorumque seductores : tantumque ipsorum esse numerum dicit, ut terram repleverint : et propter eorum periuria, sic est vocabulum Hebraicum *Alah :* pro quo maledictionem Latinus posuit, terra lugeat, quam Deus propter illos arefecerit non dando pluviam. Factus est eorum cursus malus, eorum videlicet pseudoprophetarum: Robur eorum non erit firmum: hoc est, cito deficient, peribunt. 11. *Propheta namque, et sacerdos polluti sunt, et in domo mea inveni malum eorum, ait Dominus.* Polluti sunt, Hebraice est: *Hypocrisin faciunt.* (חנפו) 12. *Idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris : impellentur enim, et corruent in ea. Afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum, dicit Dominus.* Annum visitationis, hoc est tempus illis adducam, quo visitentur, et puniantur. 13. *Et*

in prophetis Samariae vidi fatuitatem, et prophetabant in Baal, et decipiebant populum meum Israel. 14. *Et in prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, et iter mendacii, et confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque a malitia sua. Facti sunt mihi omnes, ut Sodoma, et habitatores eius, quasi Gomorrha.*

15. *Propterea haec dicit Dominus exercituum ad prophetas: Ecce ego cibabo eos absinthio, et potabo eos felle. A prophetis enim Jerusalem egressa est pollutio* Hebraice *hypocrisis* (חֲנֻפָּה) *super omnem terram.* 16. *Haec dicit Dominus exercituum: Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, et decipiunt vos. Visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini.* 17. *Dicunt his, qui blasphemant me: Locutus est Dominus: pax erit vobis: et omni, qui ambulat in pravitate cordis sui, dixerunt: non veniet super vos malum.* 18. *Quis enim affuit in consilio Domini, et vidit, et audivit sermonem eius? quis consideravit verbum illius, et audivit?* 19. *Ecce turbo Dominicae indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet.* 20. *Non revertetur furor Domini, usque dum faciat, et usque dum compleat cogitationem cordis sui. In novissimis diebus intelligetis consilium eius.* 21. *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant: non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant.* 22. *Si stetissent in consilio meo, et nota fecissent verba mea po-*

pulo meo ; avertissem utique eos a via sua mala, et a cogitationibus suis pessimis. Si stetissent in in consilio meo, si a me, inquit Deus, revelationem accepissent, et haec, quae a me audiverunt, ad populum detulissent, utique *avertissent eos*, sic est in tertia persona in Hebraeo (וִישִׁבוּם) a via sua mala, et a cogitationibus suis pessimis. Docet nimirum Deus, veri prophetae, et a se instructi, atque missi hunc esse characterem, ut alios a male agendo retrahat, non ut se ducem ad perverse agendum aliis etiam praebeat.

23. *Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus? et non Deus de longe?* 24. *Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum, dicit Dominus? Numquid non caelum, et terram ego impleo, dicit Dominus?* 25. *Audivi, quae dixerunt prophetae prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes: somniavi, somniavi.* 26. *Usquequo istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium, et prophetantium seductiones cordis sui?* 27. *Qui volunt facere, ut obliviscatur populus meus nominis mei propter somnia eorum, quae narrat unusquisque ad proximum suum: sicut obliti sunt patres eorum nominis mei propter Baal.* 28. *Propheta, qui habet somnium, narret somnium*, de somniis, quae Deus immittit suis prophetis esse hoc, ex altera parte versus perspicuum fit: *et qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum, dicit Dominus?* Quid habet pseudopropheta, ut mendaciis suis corrumpat Religionis

gionis puritatem? „Et pulchre, ait S. Hieronymus,
„doctrina perversa paleis comparatur, quae medul-
„lam non habent, nec possunt nutrire credentium
„populos, sed de inanibus stipulis conteruntur.“
29. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, di-
cit Dominus, et quasi malleus conterens petram?*
Pseudoprophetae, ut est apud Ezechielem 13. v.
18. „Consuunt pulvillos sub omni cubito manus,
„et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis
„ad capiendas animas“ adcommodant se auditorum
voluntati, mollioremque illis viam sternunt, deli-
niunt illos, ut sine metu peccent. „Dicunt his,
„qui blasphemant me, Locutus est Dominus: pax
„erit vobis, et omni, qui ambulat in pravitate cor-
„dis sui, dixerunt: non veniet super vos malum.“
Supra huius capitis versu 17. Propter suum autem
compendium. „Docentes, quae non oportet, ait
„S. Paulus, turpis lucri gratia.“ Tit. 1. v. 11.
At sua verba, quae scilicet per veros prophetas
proponenda curaret, dicit Deus instar ignis, atque
mallei conterentis petram esse. Cuius non sit per
suos prophetas erga eos, qui peccant molliter agere,
et parcere, sed instar ignis, et mallei adversus im-
pietatem pugnare, atque metu poenarum impios
ab impietate deterrere. „Meus sermo, Deum sic
„S. Hieronymus facit loquentem, nunciat futura
„supplicia, ut deterreat homines a peccando.“

30. *Propterea ecce ego ad prophetas, ait
Dominus, qui furantur verba mea unusquisque a
proximo suo.* Propterea ecce ego *adversus prophe-*

tas ero (עַל־הַנְּבִאִים) et quod adhuc luculentius sic Chaldaeus vertit: *Propterea ecce ego mitto furorem meum super pseudoprophetas, dicit Dominus, qui suffurantur verba mea, unusquisque a socio suo.* Suffuratio autem haec erat, dum adversus alterum verum prophetam sibi arrogarent munus prophetae, fidemque illius dictis derogatam sibi, tamquam veris prophetis, vellent haberi. Qualis infra capite 28. fuit Hananias, qui Jeremia vaticinante captivitatem, e contrario libertatem vaticinabatur. 31. *Ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui assumunt lingvas suas, et aiunt, dicit Dominus.* Hoc est, qui suae lingvae merces tantum vendunt, et de eo, quod non auditum habent, et acceptum a Deo, tamen dicunt, esse illud dictum a Deo. Tam vero iterum in hoc versu, quam etiam in subsequente illud: *Ecce ego ad prophetas* ita intelligendum est, quemadmodum iam est ostensum versu superiore. 32. *Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea, et seduxerunt populum meum in mendacio suo* per mendacium suum, *et in miraculis suis, cum ego non misissem eos, nec mandassem eis: qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus. In miraculis suis* Hebraice *Per levitatem suam* (וּבְפַחֲזוּתָם) Intelligitur autem illa levitas, qua ipsorum vaticinationes supra versu 28. etiam paleis comparatae sunt, et in quibus nihil solidae esset veritatis, sed mera vanitas, et falsitas.

33. *Si igitur interrogaverit te populus iste, vel propheta, aut sacerdos, dicens: Quod est onus Domini? Dices ad eos: Vos estis onus: proiiciam quippe vos, dicit Dominus.* 34. *Et propheta, et sacerdos, et populus, qui dicit: Onus Domini; visitabo super virum illum, et super domum eius.* Prophetiae graves, et minarum plenae solent *Onus*, Hebraice *Massa*, quod Septvaginta *Assumptionem* verterunt, appellari, ut crebra iam fuerunt istius rei exempla, cum aliae prophetiae de rebus secundis Visiones potissimum vocarentur. „Quia ergo „Prophetae solebant, ait S. Hieronymus, populo „peccatori tristia nunciare, et comminari supplicia, „ut eos retraherent ad poenitentiam; clemens au„tem, et miserator Dominus diu sententiam diffe„rebat; putabat deceptus populus, et pseudopro„phetarum fraude seductus, non ventura, quae Do„minus minabatur, et rem severam in ludum, et „iocum verterant, prophetantibusque Prophetis, „quasi irridentes, dicebant: Rursus hic videt pon„dus, et onus Domini. Atque ita fiebat, ut nequa„quam ultra *visio*, sed per iocum, atque derisum „*Onus*, et *pondus* appellaretur. Praecepit ergo Do„minus, ut sive populus, sive propheta, sive sa„cerdos interrogaverint Jeremiam, quod sit pon„dus, vel quae assumptio Domini, respondeat eis, „et dicat: *Vos estis onus, et assumptio.* Assu„mam enim vos, et proiiciam, allidamque, et in„terire faciam. Si quis autem deinceps vel prophe„tarum, vel sacerdotum, vel populi ausus fuerit onus,

„ vel pondus Domini nominare, *Visitabo*, inquit, „ *super virum illum, et super domum illius*, et eum „ delebo in perpetuum." 35. *Haec dicetis unusquisque ad proximum, et ad fratrem suum: quid respondit Dominus, et quid locutus est Dominus?* 36. *Et onus Domini ultra non memorabitur, quia onus erit unicuique sermo suus: et pervertistis verba Dei viventis, Domini exercituum Dei nostri.* Verba Dei perverterunt, dum ex re gravi, et seria, et quae illos metu percellere debebat; sibi risum, et iocum, tamquam si inania essent terriculamenta, fecerunt. 37. *Haec dices ad Prophetam: Quid respondit tibi Dominus, et quid locutus est Dominus?* 38. *Si autem onus Domini dixeritis, propter hoc haec dicit Dominus: Quia dixistis sermonem istum: Onus Domini, et misi ad vos dicens: nolite dicere: Onus Domini:* 39. *propterea ecce ego tollam vos portans, et derelinquam vos, et civitatem, quam dedi vobis, et patribus vestris, a facie mea:* 40. *et dabo vos in opprobrium sempiternum, et in ignominiam aeternam, quae numquam oblivione delebitur.*

CAPVT XXIV.

Facta abductione Jechoniae cum parte populi in captivitatem, ostendit Deus sub figura duorum calathorum, in quorum altero ficus bonae, in altero malae erant, Jeremiae, se eorum, qui abducti sunt; misertururm, eos autem, qui remanserunt, se daturum in vexationem, et afflictionem.

1. *OSTENDIT mihi Dominus, et ecce duo calathi pleni ficis, positi ante templum Domini, postquam transtulit Nabuchodonosor rex Babylonis Jechoniam filium Joakim regem Juda, et principes eius, et fabrum, et inclusorem de Jerusalem, et adduxit eos in Babylonem.* Calathus est vocabulum Graecum, significatque corbem ex vimine, et virgultis contextum. Inclúsores intelliguntur artifices gemmarii, qui gemmas affabre auro includerent, ut fit in annulis. Res autem haec de Jechonia, atque iste illius casus proponitur 4. Reg. 24. v. 12. 2. *Calathus unus ficus bonas habebat nimis, ut solent ficus esse primi temporis: et calathus unus ficus habebat malàs nimis, quae comedi non poterant, eo quod essent malae.* 3. *Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Jeremia? Et dixi: ficus, ficus bonas, bonas valde: et malas, malas valde, quae comedi non possunt, eo quod sint malae.* 4. *Et factum est verbum Domini ad me dicens:* 5. *Haec dicit Dominus Deus Israel: Sicut ficus hae bonae, sic cognoscam trans-*

migrationem Juda, quam emisi de loco isto in terram Chaldaeorum, in bonum. 6. *Et ponam oculos meos super eos ad placandum, et reducam eos in terram hanc.* Haec revocatio illorum facta est postea sub Zorobabele, Esdra, et Nehemia. *Et aedificabo eos, et non destruam, et plantabo eos, et non evellam.* Evulsi autem iterum sunt postea per Romanos. Quare sub illorum typo etiam hic illa eorum captivitatis depulsio, et ad terram Israel revocatio, firmaque in ea constitutio intelligenda est, qui postea crediderunt in Christum. Amos 9. v. 11. Act. 15. v. 16. 7. *Et dabo eis cor, ut sciant me, quia ego sum Dominus, et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum, quia revertentur ad me in toto corde suo.* 8. *Et sicut ficus pessimae, quae comedi non possunt, eo quod sint malae, haec dicit Dominus, sic dabo Sedeciam regem Juda, et principes eius, et reliquos de Jerusalem, qui remanserunt in urbe hac, et qui habitant in terra Aegypti.* Nondum modo habitarunt, sed eo se contulerunt ii contra Dei mandatum postea, qui post Sedeciam captum, Jerosolymamque vastatam relicti colendae terrae causa sunt in Judaea a Chaldaeis, et quorum metu demigrarunt in Aegyptum, et in manus eorum ibi, quos in Judaea timuerunt, inciderunt. Qua de re sequetur adhuc infra. Assimilatio autem cum ficubus in eo est, quod sicut ficus bonae, et tempestivae palato accidant gratae, et appetantur, malae abiiciantur: ita illos priores Deus assumpturus, illos alteros pro-

iecturus a se sit. 9. *Et dabo eos in vexationem,*
afflictionemque omnibus regnis terrae, in oppro-
brium, et parabolam, et in proverbium, et in ma-
ledictionem in universis locis, ad quae eieci eos,
10. *et mittam eis gladium, et famem, et pestem,*
donec consumantur de terra, quam dedi eis, et pa-
tribus eorum. Datio in parabolam, et in proverbi-
um cignificat traductionem per dicteria, et assimi-
lationem rei malae, quam quis alteri precatur cum ea,
quae illis accidit, qui in proverbium, et parabo-
lam assumitur, ut est infra cap. 29. v. 22. tale exem-
plum: „ Assumetur ex eis maledictio: Ponat te Do-
„ minus sicut Sedeciam, et sicut Achab, quos fri-
„ xit rex Babylonis in igne. "

CAPVT XXV.

Jeremiae Deus tradit calicem furore suo plenum, huncque iubetur propinare, et ad bibendum dare primum Jerosolymae, item civitatibus Judaeae, ac deinde ceteris omnibus gentibus, postremoque ipsi etiam regi Babylonis.

VERBUM, *quod factum est ad Jeremiam de omni populo Juda in anno quarto Joakim filii Josiae regis Juda, ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis.* „ Haec priora sunt praeter-
„ ita visione, ait S. Hieronymus. Illa enim sub Se-
„ decia facta sunt, postquam Jechonias translatus
„ est Babylonem; haec autem sub Joakim filio Jo-

„ siae, et patre Jechoniae. Non enim curae erat, „ ut ante iam dixi, Prophetis tempora conservare, „ quae historiae leges desiderant, sed scribere ut-„ cumque audientibus, atque lecturis utile nove-„ rant." 2. *Quod locutus est Jeremias propheta ad omnem populum Juda, et ad universos habitatores Jerusalem, dicens: 3. A tertio decimo anno Josiae filii Ammon regis Juda usque ad diem hanc, iste tertius, et vigesimus annus, factum est verbum Domini ad me, et locutus sum ad vos de nocte consurgens, et loquens, et non audistis.* Tempestiva surrectio actionis diligentiam significat, ut iam saepe declaratum est. 4. *Et misit Dominus ad vos omnes servos suos prophetas, consurgens diluculo, mittensque: et non audistis, neque inclinastis aures vestras, ut audiretis, 5. cum diceret: Revertimini unusquisque a via sua mala, et a pessimis cogitationibus vestris, et habitabitis in terra, quam dedit Dominus vobis, et patribus vestris, a seculo, et usque in seculum.* Hoc est, habitabitis de alio in aliud seculum semper ultra, atque adeo in perpetuum. In possessione autem sui etiam temporalis regni semper Judaei mansissent, id est, quamdiu mundus stabit, numquam eo privati fuissent, nisi hoc temporale etiam Dei beneficium, quod a Deo acceperunt, ut amitterent, peccatis suis commeruissent. „ Sine poenitentia enim sunt dona Dei." Rom. 11. v. 29. atque adeo, quod illis dedit, non abstulisset, si conditionem, qua illis regio illa ad possidendum data est, ut erga Deum observantes

sint, observavissent. 6. *Et nolite ire post deos alienos, ut serviatis eis, adoretisque eos, neque me ad iracundiam provocetis in operibus manuum vestrarum, et non affligam vos.* 7. *Et non audistis me, dicit Dominus, ut me ad iracundiam provocaretis in operibus manuum vestrarum in malum vestrum.*

8. *Propterea haec dicit Dominus exercituum: Pro eo, quod non audistis verba mea,* 9. *ecce ego mittam, et assumam universas cognationes Aquilonis, ait Dominus, et Nabuchodonosor regem Babylonis, servum meum, et adducam eos super terram istam, et super habitatores eius, et super omnes nationes, quae in circuitu illius sunt, et interficiam eos, et ponam eos in stuporem, et in sibilum, et in solitudines sempiternas.* Cognationum nomine gentes integrae intelliguntur: siquidem homines unius nationis genus, et originem ducentes ab uno aliquo, qui totius nationis parens est, sint reipsa etiam inter se cognati. Chaldaeus pro cognationibus regna in versione posuit. „Quodque „vocat, ait S. Hieronymus, servum suum Nabu„chodonosor, non sic servus vocatur, ut Prophe„tae, et omnes sancti, qui vere serviunt Domino, „sed quo in eversione Jerusalem Domini serviat „voluntati." 10. *Perdamque ex eis vocem gaudii, et vocem laetitiae, vocem sponsi, et vocem sponsae, vocem molae, et lumen lucernae.* 11. *Et erit universa terra haec in solitudinem, et in stuporem, et servient omnes gentes istae regi Babylonis septuaginta annis.* Regiones nationum, quas sibi subiu-

garet Nabuchodonosor, superiore versu dicebantur vertendae in solitudines sempiternas. Modo autem post septvaginta annos dicuntur rediturae ad suam libertatem. Quare illud tam diuturnum solitudinis spatium per annos septvaginta tantum solitudo sempiterna vocatur, Hebraice *Lechariboth Holam*. Holam autem Hebraeis non semper aeternitatem fine carentem, sed longum etiam tantum aliquod tempus significare solet. Sic ipsi Chaldaei supra capitis 5. v. 15. vocantur *gens ab aeterno* secundum hanc loquendi Hebraeorum more rationem *Haam Meolam*. (הָעָם מֵעוֹלָם) Latinus Interpres vertit: *gentem antiquam*. Non autem certe ab aeterno, si hoc vocabulum pro perpetua duratione accipiatur, Chaldaeorum natio exstitit. 12. *Cumque impleti fuerint septvaginta anni, visitabo super regem Babylonis, et super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, et super terram Chaldaeorum, et ponam illam, in solitudines sempiternas.* 13. *Et adducam super terram illam omnia verba mea, quae locutus sum contra eam, omne, quod scriptum est in libro isto, quaecumque prophetavit Jeremias adversum omnes gentes.* 14. *Quia servierunt eis, cum essent gentes multae, et reges magni, et reddam eis secundum opera eorum, et secundum facta manuum suarum.* Pronomine: *eis* utrobique Chaldaei intelliguntur, super quorum terram modo fuit priore versu, Deum adducturum, et impleturum sua verba, quae contra illam enunciavit per Jeremiam prophetam.

15. *Quia sic dicit Dominus exercituum Deus Israel: sume calicem vini furoris huius de manu mea, et propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te.* 16. *Et bibent, et turbabuntur, et insanient a facie gladii, quem ego mittam inter eos.* 17. *Et accepi calicem de manu Domini, et propinavi cunctis gentibus, ad quas misit me Dominus:* 18. *Jerusalem, et civitatibus Juda, et regibus eius, et principibus eius, ut darem eos in solitudinem, et in stuporem, et in sibilum, et in maledictionem, sicut est dies ista.* Hoc est, ut tam aperte ista conspiciantur esse facta, quam clara lux fuit illius diei, quando hoc clara die dixit. 19. *Pharaoni regi Aegypti, et servis eius, et principibus eius, et omni populo eius.* Et hic, et deinceps per plures subsequentes versus, intelligitur verbum antecedens: *Propinavi*, idque de Jeremia est, qui istam propinationem fecerit. 20. *Et universis generaliter: cunctis regibus terrae Ausitidis, et cunctis regibus terrae Philisthiim, et Ascaloni, et Gazae, et Accaron, et reliquiis Azoti.* Pro terra Ausitidis est in Hebraeo Terra Hus. Quae vero terra, et regio fuit in Idumaea, ut ad librum Job demonstratum est. Ratione autem plagae, quae ab Judaea ad Meridiem, et Austrum spectet, Ausitidem illam Latinus Interpres cognominavit. Ascalon, et reliquae hic memoratae civitates fuerunt omnes in Philisthaeorum regione. 21. *Et Idumaeae, et Moab, et filiis Ammon,* 22. *et cunctis regibus Tyri, et universis regibus Sidonis, et regibus ter-*

rae insularum, qui sunt trans mare: Unus tantum erat rex Tyri, sicut et Sidonis: sed spectantur, ut clades non ipsos solos affecit, sed una cum suis, qui erant ex familia regia, eorumque posteris: quemadmodum de ranis, quas terra edidit in Aegypto sub Moyse, quaeque erant in aula Pharaonis, similiter numero plurali dicitur fuisse eas in penetralibus regum ipsorum. Psal. 104. v. 30. 23. *Et Dedan, et Thema, et Buz, et universis, qui attonsi sunt in comam.* „Hae gentes in solitudine „sunt, ait S. Hieronymus, Arabia autem orienta„lis haec intelligitur solitudo, vicinae, et mixtae „gentibus Ismaelitarum, quos nunc Saracenos vo„cant, et de quibus dicitur, qui attonsi sunt in co„mam.“ 24. *Et cunctis regibus Arabiae, et cunctis regibus Occidentis, qui habitant in deserto.* Ad Occidentem respectu Judaeae non fuit desertum, sed mare Mediterraneum. Hic utrobique, ubi Latinus Arabiam vertit, et Occidentem, in Hebraeo est vocabulum *Arab:* quod vero et Arabiam significat, et generatim vi suae primitivae significationis aliquid, quod mixtum est, et ob quam et Arabiae tributum fuit, quod ex multis, diversisque nationibus, eam incolentibus esset mixta, et Occidens quoque sol eodem vocabulo est denominatus, quod tum tenebrae in crepusculo quasi miscerentur luci. Videtur Syrus optime tetigisse sensum istius versus, qui sic vertit: *Cunctis regibus, quorum limites sunt communes, cunctisque regibus Arabum, qui degunt in deserto:* primum intelligendo vocabulo

illo *Arab* finitimos reges illis civitatibus, de quibus fuit superiore versu, qui ideo isto nomine vocantur, quod cum finitimi essent, communesque inter se fines haberent, coniuncti, atque mixti ista ratione limitum essent, deinde altero loco intelligendo Arabiam. 25. *Et cunctis regibus Zambri, et cunctis regibus Elam, et cunctis regibus Medorum.* Zamarenorum natio memoratur etiam a Plinio l. 6. c. 28. inter eos, qui Arabiam incoluerunt populi. Inter filios Abrahae ex uxore Cetura reperitur quidam nomine Zamram Genes. 25. v. 2. quique ad plagam Orientalem habitavit. Ex hoc ergo intelliguntur illi reges Zambri fuisse. Elam iidem sunt, qui Persae ut hoc iam ad Genesis cap. 14. v. 1. demonstratum est. 26. *Cunctis quoque regibus Aquilonis, de prope, et de longe, unicuique contra fratrem suum* „subauditur, ait S. Hieronymus, „dedi meracam potionem, ut omnes furerent, vomerent, insanirent, et mutuis inter se praeliis dimicarent:“ *Et omnibus regnis terrae, quae super faciem eius sunt: et rex Sesach bibet post eos.* „Novissimus autem rex Babylonis bibet hanc potionem propinante sibi adscensore bigae cameli, „et asini Cyro rege Persarum, atque Medorum. „(Isa. 21. v. 9.) Quomodo autem Babylon, quae „Hebraice dicitur Babel, intelligatur Sesach, non „magnopere laborabit, qui Hebraeae lingvae parvam saltem habuerit scientiam.“ Scribitur Babel ab Hebraeis tribus literis consonantibus, vocalia enim puncta antiquitus non adhibebantur in eorum scri-

ptura, duobus nimirum *Beth*, et uno *Lamed*. Quibus dum ex Alphabeto Hebraeo, quod viginti duabus literis constat, retrograde a fine computando et accipiendo literas aliae substituantur literae in locum duarum *Beth* veniet penultima Alphabeti litera *Sin*, et in locum *Lamed* succedet litera *Caph*. Ex quibus deinde tribus literis in locum priorum substitutis retento eodem, qui prius fuit sono vocalium punctorum prodit *Sesach*, nisi quod vocales quoque, quoad ordinem, mutentur, et ea, quae prius ordine prima fuit, transeat ad locum secundum, et haec ad primum. „Arbitrorque, pergit deinde idem S. „Hieronymus, a sancto Propheta prudenter fuisse „celatum, ne aperte eorum contra se insaniam com„moveret, qui obsidebant Jerusalem, et iam iamque „eius potituri erant.“ Anno quarto Joakim regis edita haec est prophetia, ut est in principio huius capitis. Tum vero nondum erat obsidione cincta urbs. Sed tenet tamen S. Hieronymi ratio, ne hostis, quem sciret certo venturum, ad maiorem acerbitatem exercendam in Judaicum populum irritaretur, si haec prophetia fortasse in eius manus perveniret. Concludit autem S. Hieronymus hanc totam quaestionem, allegando Jeremiae ipsius testimonium ex capitis 51. v. 41. ubi manifeste haec eadem, quae Sesach, Babylon ab eo appellatur. „Quomo„do, inquit, capta est Sesach, et comprehensa est „inclyta universae terrae? quomodo facta est in stu„porem Babylon inter gentes?“

27. *Et dices ad eos: Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Bibite, et inebriamini, et vomite, et cadite, neque surgatis a facie gladii, quem ego mittam inter vos.* 28. *Cumque noluerint accipere calicem de manu tua, ut bibant, dices ad eos: Haec dicit Dominus exercituum: bibentes bibetis.* 29. *Quia ecce in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam infligere, et vos, quasi innocentes, et immunes eritis? Non eritis immunes. Gladium enim ego voco super omnes habitatores terrae, dicit Dominus exercituum.* 30. *Et tu prophetabis ad eos omnia verba haec, et dices ad illos: Dominus de excelso rugiet, et de habitaculo sancto suo dabit vocem suam: rugiens rugiet super decorem suum; celeuma quasi calcantium concinetur adversus omnes habitatores terrae.* Rugitum edit leo dum furit, vel quando praedam videt, atque in illam cum impetu insilit, et incurrit. Hinc metaphora translata est ad Deum. Rugiet autem super decorem suum. „Hoc est, ait S. Hiero„nymus, super templum." Celeuma est vocabulum Graecum, (κέλευσμα recte dicitur) significatque *clamorem hortatorium*. Intelligitur itaque is clamor, quo eos, qui uvas calcant, hortantur ad operi strenue insistendum. Jam vero etiam Isaiae capite 63. v. 2. exhibetur Deus quasi in torculari uvas calcans, dum vindictam de suis hostibus expeteret, illosque suis pedibus conculcaret. Sensus igitur est, futurum, ut Deus iram suam, atque Chaldaeos, quibus illius suae irae exsecutionem daturus est, excitet, et cohorte-

tur ad vindictam exercendam de omnibus habitatoribus terrae. 31. *Pervenit sonitus usque ad extrema terrae, quia iudicium Domino cum gentibus. Judicatur ipse cum omni carne*, hoc est: iudicio contendet cum omni carne. *Impios tradidi gladio, dicit Dominus.*

32. *Haec dicit Dominus exercituum: Ecce afflictio egredietur de gente in gentem, et turbo magnus egredietur a summitatibus terrae.* Summitas, sive extremitas terrae Chaldaea intelligitur, tamquam regio remota satis ab Judaea. De quibus Chaldaeis sic etiam fuit supra cap. 6. v. 22. „Ecce po-„pulus venit de terra Aquilonis, et gens magna con-„surget a finibus terrae.“ 33. *Et erunt interfecti Domini in die illa a summo terrae usque ad summum eius: non plangentur, et non colligentur, neque sepelientur: in sterquilinium super faciem terrae iacebunt.* 34. *Ululate pastores, et clamate, et adspergite vos cinere optimates gregis, quia completi sunt dies vestri, ut interficiamini, et dissipationes vestrae*, verbum etiam hic intelligitur antecedens: completae sunt: *et cadetis quasi vasa pretiosa.* Vasa pretiosa intelliguntur fictilia, aut vitrea. Sane vitrum etiam Job. cap. 28. v. 17. collocat, et recenset inter res pretiosissimas. 35. *Et peribit fuga a pastoribus, et salvatio ab optimatibus gregis.* Hoc est, non erit illis facultas fuga se eripiendi ex periculo, salutisque servandae. Principes autem, et primores populi pastorum nomine designantur. 36. *Vox clamoris pastorum, et ululatus*

tus optimatum gregis: quia vastavit Dominus pascua eorum. 37. *Et conticuerunt arva pacis a facie irae furoris Domini* Chaldaeus: *Et desolabuntur habitacula pacifica eorum a facie furoris irae Domini.* 38. *Dereliquit, quasi leo, umbraculum suum, quia facta est terra eorum in desolationem a facie irae columbae, et a facie irae furoris Domini.* „Dereliquit quasi leo umbraculum suum, sive „cubile suum, ait S. Hieronymus, et ut verius est; „tabernaculum. Hoc enim *Sucho* Hebraicum sonat. „Dominus autem, de quo supra dixerat: *De excel-„so rugiet, et de habitaculo sancto suo dabit vo-„cem suam, rugiens rugiet super decorum suum*: „ipse relinquet tabernaculum suum, de quo scri-„ptum est: *Factus est in pace*, sive *in Salem, lo-„cus eius, et habitatio eius in Sion:* (Psal. 75. „v. 2.) ipse relinquet sedem suam, et complebit, „quod per eumdem hunc Prophetam locutus est: *Di-„misi domum meam, dereliqui haereditatem meam.* „(Supra cap. 12. v. 7.) Reliquit autem, quasi leo „cubile suum, ut omnes bestiae vastandi terram „eius habeant potestatem. Leone enim custode, et „praeside, nullus ad eamdem audet accedere. *Fa-„cta est*, inquit, *terra eorum* haud dubium, quin „vel populi Judaeorum, vel certe universarum gen-„tium *in desolationem a facie irae columbae.* Non „mirabitur columbam Domini intelligi Nabuchodo-„nosor, qui supra (v. 9.) eum vocari servum Do-„mini legerit.“

CAPVT XXVI.

In porta domus Domini Jeremias urbi vaticinans exitium a pseudoprophetis comprehenditur, et raptatur in iudicium: ubi ne supplicio afficiatur, Ahicam principum unus eum liberat.

1. *IN principio regni Joakim filii Josiae regis Juda, factum est verbum istud a Domino dicens:*
2. *Haec dicit Dominus: Sta in atrio domus Domini, et loqueris ad omnes civitates Juda, de quibus veniunt, ut adorent in domo Domini, universos sermones, quos ego mandavi tibi, ut loquaris ad eos. Noli subtrahere verbum:*
3. *Si forte audiant, et convertantur unusquisque a via sua mala, et poeniteat me mali, quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum.* „Haec pro-„phetia superior est priore, ait S. Hieronymus, „licet sub eodem rege sit facta. Illa enim facta est „in anno quarto Joakim filii Josiae regis Juda; „haec autem in principio eiusdem regis.“ Si forte audiant. „Verbum ambiguum *forsitan* Maiestati „Domini non potest convenire, verba sunt eiusdem „S. Hieronymi, sed nostro loquitur affectu, ut li-„berum homini servetur arbitrium: ne ex praescien-„tia eius, quasi necessitate, vel facere quid, vel „non facere cogatur. Non enim ex eo, quod Deus „scit futurum aliquid, idcirco futurum est; sed quia „futurum est, Deus novit, quasi praescius futuro-

„rum.“ 4. *Et dices ad eos: Haec dicit Dominus: Si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea, quam dedi vobis, 5. ut audiatis sermones servorum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens, et dirigens, et non audistis; 6. dabo domum istam sicut Silo, et urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terrae.* Quid Siloni acciderit, et factum a Deo sit, iam supra ad capitis 7. v. 12. ostensum est.

7. *Et audierunt sacerdotes, et prophetae, et omnis populus Jeremiam loquentem verba haec in domo Domini.* Audierunt sacerdotes, et prophetae: „Quos pseudoprophetas, ait S. Hieronymus, ma„nifestius Septvaginta transtulerunt.“ 8. *Cumque conplesset Jeremias loquens omnia, quae praeceperat ei Dominus, ut loqueretur ad universum populum; apprehenderunt eum sacerdotes, et prophetae, et omnis populus dicens: morte moriatur.* 9. *Quare prophetavit in nomine Domini dicens; Sicut Silo erit domus haec, et urbs ista desolabitur, eo quod non sit habitator. Et congregatus est omnis populus adversus Jeremiam in domo Domini.* 10. *Et audierunt principes Juda verba haec, et adscenderunt de domo regis, in domum Domini, et sederunt in introitu portae domus Domini novae.* „Principum enim erat officium, ait S. Hie„ronymus, sedere in porta domus Domini, et ibi „negotii, et seditionis cognoscere veritatem.“ 11. *Et locuti sunt sacerdotes, et prophetae ad principes, et ad omnem populum dicentes: Iudicium*

mortis est viro huic: quia prophetavit adversus civitatem istam, sicut audistis auribus vestris. „Accusant sacerdotes, et pseudoprophetae Jere„miam, ait S. Hieronymus, perieratque Propheta, „quantum fuit in sacerdotibus, et prophetis; si „accusatores ipsi habuissent iudicii potestatem. Ex „quo intelligimus crudeliores fuisse in Prophetam „per invidiam sanctitatis, qui Religioni vide„bantur dediti; quam qui necessitatibus publicis „praeerant.“

12. *Et ait Jeremias ad omnes principes, et ad universum populum, dicens: Dominus misit me, ut prophetarem ad domum istam, et ad civitatem hanc omnia verba, quae audistis.* 13. *Nunc ergo bonas facite vias vestras, et studia vestra, et audite vocem Domini Dei vestri, et poenitebit Dominum mali, quod locutus est adversum vos.* 14. *Ego autem ecce in manibus vestris sum: facite mihi, quod bonum, et rectum est in oculis vestris.* 15. *Verumtamen scitote, et cognoscite, quod si occideritis me; sangvinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, et contra civitatem istam, et habitatores eius. In veritate enim misit me Dominus ad vos, ut loquerer in auribus vestris omnia verba haec.* „Jeremias, ait S. Hieronymus, ad „principes loquitur, et ad universum popolum, „quos sacerdotum, et pseudoprophetarum factio con„citaverat, prudenter pariter, et humiliter, atque „constanter. Prudenter, quod a Domino missum „se esse diceret, ut contra templum, civitatemque

„loqueretur, daretque consilium, quod, si eius vel-
„lent audire consilium, et agere poenitentiam;
„Dominus quoque suam sententiam commutaret.
„Humiliter autem in eo, quod ait: *Ecce in ma-*
„*nibus vestris sum, facite mihi, ut bonum, et*
„*rectum est in oculis vestris.* Porro constanter:
„*In veritate misit me Dominus ad vos, ut loquerer*
„*in auribus vestris omnia verba haec.* Aliisque
„sermonibus loquitur: Si irascimini, quod contra
„templum, et urbem Domini sim locutus, et cu-
„rae vobis est salus urbis, et templi; cur augetis
„peccata peccatis, et sangvinis mei tam urbem,
„quam habitatores eius reos facitis? Si quando igi-
„tur et nobis pro necessitatis angustiis humilitate
„opus est; sic eam assumamus, ne veritatem, et
„constantiam deseramus. Aliud est enim superbe
„contumeliam facere iudicanti, quod signum stul-
„titiae est; aliud, sic impendens vitare discrimen,
„ut de veritate nihil subtrahas."

16. *Et dixerunt principes, et omnis populus*
ad sacerdotes, et ad prophetas: non est viro huic
iudicium mortis, quia in nomine Domini Dei no-
stri locutus est ad nos. 17. *Surrexerunt ergo viri*
de senioribus terrae, et dixerunt ad omnem coe-
tum populi, loquentes: 18. *Michaeas de Mora-*
sthi fuit Propheta in diebus Ezechiae regis Juda,
et ait ad omnem populum Juda, dicens: Haec di-
cit Dominus exercituum: Sion, quasi ager arabi-
tur, et Jerusalem in acervum lapidum erit, et mons
Domus in excelsa silvarum. Michaeae capitis 3. ver-

su 12. existit haec illius prophetia. 19. *Numquid morte condemnavit eum Ezechias rex Juda, et omnis Juda? Numquid non timuerunt Dominum, et deprecati sunt faciem Domini, et poenituit Dominum mali, quod locutus fuerat adversum eos? Itaque nos facimus malum grande contra animas nostras.* 20. *Fuit quoque vir prophetans in nomine Domini, Urias filius Semei de Cariathiarim, et prophetavit adversus civitatem istam, et adversus terram hanc iuxta omnia verba Jeremiae.* 21. *Et audivit rex Joakim, et omnes potentes, et principes eius verba haec, et quaesivit rex interficere eum. Et audivit Urias, et timuit, fugitque, et ingressus est Aegyptum.* 22. *Et misit rex Joakim viros in Aegyptum, Elnathan filium Achobor, et viros cum eo in Aegyptum.* 23. *Et eduxerunt Uriam de Aegypto, et adduxerunt eum ad regem Joakim, et percussit eum gladio, et proiecit cadaver eius in sepulchris vulgi ignobilis.* 24. *Igitur manus Ahicam filii Saphan fuit cum Jeremia, ut non traderetur in manus populi, et interficerent eum.* Ex hoc ergo ultimo versu infertur, istum fuisse, qui pro liberatione Jeremiae laboraverit, istaque argumenta, quae modo dicta sunt, in eius defensionem attulerit.

CAPUT XXVII.

Jeremias vincula, et catenas sibi in collum imponit, eademque haec legatis regis Idumaeorum, aliarumque civitatum, qui apud Sedeciam erant, tradit, ut ad regem suum perferant cum nuncio futurum, ut iugum Nabuchodonosoris subeant: quod idem regi Sedeciae etiam denunciat.

1. *IN principio regni Joakim filii Josiae, regis Juda, factum est verbum istud ad Jeremiam a Domino, dicens:* 2. *Haec dicit Dominus ad me: Fac tibi vincula, et catenas, et pones eas in collo tuo.* Pro catenis in Hebraeo vocabulum est *Mothoth*, quod iugum significat, et quas S. Hieronymus in Commentario furcas ligneas vocat. Erat signum servitutis, et iugi, quod subituri essent hostium. 3. *Et mittes eas ad regem Edom, et ad regem Moab, et ad regem filiorum Ammon, et ad regem Tyri, et ad regem Sidonis in manu nunciorum, qui venerunt Jerusalem ad Sedeciam regem Juda.* Re bene considerata facile advertetur, eodem tempore Jeremiae hoc esse praeceptum a Deo datum, ut et sibi vincula, et forcas imponeret, et has ad istos reges, qui hic nominantur, ferendas curaret. Qui vero legati cum ad Sedeciam regem dicantur venisse, quomodo ergo in principio regni Joakim hoc idem poni potuit esse factum, ut est in primo versu? Discordat hoc manifeste. Septvaginta praetermissum habent simpliciter versum primum. Arabs

autem, et Syrus etiam ibi in versu primo non *Joakim*, sed *Sedeciam* positum habent. Ex quo illa consequentia est in textu Hebraeo esse nomen Joakimi in primo versu istius capitis mendose positum, debereque esse Sedeciae, quodque idem mendum ex Hebraeo etiam transfluxerit in Latinum. Conferatur initium capitis sequentis, ubi declaratur id, quod isto praesenti capite factum narratur, et illud, quod sequente, eodem anno accidisse, istumque annum principium regni Sedeciae fuisse. Quo nihil potest esse apertius, omnino illud principium regni, quod hic in isto vigesimo septimo capite memoratur, Sedeciae non Joakimi fuisse. 4. *Et praecipies eis, ut ad dominos suos loquantur: Haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: haec dicetis ad dominos vestros:* 5. *Ego feci terram, et homines, et iumenta, quae sunt super faciem terrae in fortitudine mea magna, et in brachio meo extento, et dedi eam ei, qui placuit in oculis meis.* 6. *Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis servi mei, insuper et bestias agri dedi ei, ut serviant illi.* 7. *Et servient ei omnes gentes, et filio eius, et filio filii eius: donec veniat tempus terrae eius, et ipsius: et servient ei gentes multae, et reges magni.* Filius Nabuchodonosoris, et qui ei proxime successit, fuit Evilmerodach: ut est infra cap. 52. v. 31. filius filii fuit Balthasar, ultimus Babyloniae regum. Dan. 5. v. 30. „Filium autem eius, ait S. „Hieronymus, et filium filii iuxta Hebraicum Bal-

„thasar vocat, et Evilmerodach, de quibus scribit „Daniel. *Donec veniat tempus terrae eius, et ipsius:* „Pulchre, ne perpetuum Nabuchodonosor putare„tur imperium, et ipsum dicit a Medis, Persisque „capiendum. Hoc est enim, quod significat: *Do-* „*nec veniat tempus terrae eius, et ipsius.*“ 8. *Gens autem, et regnum, quod non servierit Nabuchodonosor regi Babylonis, et quicumque non curvaverit collum suum sub iugo regis Babylonis; in gladio, et in fame, et in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus, donec consumam eos in manu eius.* 9. *Vos ergo nolite audire prophetas vestros, et divinos, et somniatores, et augures, et maleficos, qui dicunt vobis: non servietis regi Babylonis.* 10. *Quia mendacium prophetant vobis, ut longe vos faciant de terra vestra, et eiiciant vos, et pereatis.* 11. *Porro gens, quae subiecerit cervicem suam sub iugo regis Babylonis, et servierit ei; dimittam eam in terra sua, dicit Dominus, et colet eam, et habitabit in ea.*

12. *Et ad Sedeciam regem Juda locutus sum secundum omnia verba haec, dicens: subiicite colla vestra sub iugo regis Babylonis, et servite ei, et populo eius, et vivetis.* 13. *Quare moriemini tu, et populus tuus gladio, et fame, et peste, sicut locutus est Dominus ad gentem, quae servire noluerit regi Babylonis?* 14. *Nolite audire verba prophetarum, dicentium vobis: non servietis regi Babylonis, quia mendacium ipsi loquuntur vobis.* 15. *Quia non misi eos, ait Dominus, et ipsi pro-*

phetant in nomine meo mendaciter, ut eiiciant vos, et pereatis tam vos, quam prophetae, qui vaticinantur vobis. 16. *Et ad sacerdotes, et ad populum istum locutus sum dicens: Haec dicit Dominus: Nolite audire verba prophetarum vestrorum, qui prophetant vobis dicentes: ecce vasa Domini revertentur de Babylone nunc cito. Mendacium enim prophetant vobis.* Vasa haec sacra erant templi, quae ablata tum sunt, et portata in Babyloniam, quando Jechonias ductus in captivitatem fuit, ut hoc deinde infra versu 20. declaratur. 17. *Nolite ergo audire eos, sed servite regi Babylonis, ut vivatis. Quare datur haec civitas in solitudinem?* 18. *Et si prophetae sunt, et est verbum Domini in eis; occurrant Domino exercituum; ut non veniant vasa, quae derelicta fuerant in domo Domini, et in domo regis Juda, et in Jerusalem, in Babylonem.* 19. *Quia haec dicit Dominus exercituum ad columnas, et ad mare, et ad bases, et ad reliqua vasorum, quae remanserunt in civitate hac,* 20. *quae non tulit Nabuchodonosor rex Babylonis, cum transferret Jechoniam filium Joakim, regem Juda de Jerusalem in Babylonem, et omnes optimates Juda, et Jerusalem.* 21. *Quia haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel ad vasa, quae derelicta sunt in domo Domini, et in domo regis Juda, et Jerusalem:* 22. *In Babylonem transferentur, et ibi erunt usque ad diem visitationis suae,* dum ipsa Babylon per Medos et Persas vastabitur, *dicit Dominus, et afferri faciam ea, et restitui in loco isto.*

CAPUT XXVIII.

Hananias pseudopropheta furcas e collo Jeremiae detractas confringit, et mendaciter dicit eodem modo confractum, et depulsum iri iugum regis Babyloniae de collo nationum omnium. Mendacii illum arguit Jeremias, mortemque illi eodem anno venturam propter falsam hanc vaticinationem denunciat.

1. *ET factum est in anno illo, in principio regni Sedeciae regis Juda in anno quarto, in mense quinto, dixit ad me Hananias filius Azur propheta de Gabaon in domo Domini coram sacerdotibus, et omni populo dicens:* 2. *Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Contrivi iugum regis Babylonis.* 3. *Adhuc duo anni dierum, et ego referri faciam ad locum istum omnia vasa domus Domini, quae tulit Nabuchodonosor rex Babylonis de loco isto, et transtulit ea in Babylonem.* 4. *Et Jechoniam filium Joakim regem Juda, et omnem transmigrationem Juda, qui ingressi sunt in Babylonem, ego convertam ad locum istum, ait Dominus. Conteram enim iugum regis Babylonis.* 5. *Et dixit Jeremias propheta ad Hananiam prophetam in oculis sacerdotum, et in oculis omnis populi, qui stabat in domo Domini.* 6. *Et ait Jeremias propheta: Amen, sic faciat Dominus: suscitet Dominus verba tua, quae prophetasti, ut referantur vasa in domum Domini, et omnis transmigratio de Babylone ad locum istum.* „Optat fieri, ait S.

„Hieronymus, quod pseudopropheta mentitur: hoc „enim significat: Amen." 7. *Verumtamen audi verbum hoc, quod ego loquor in auribus tuis, et in auribus universi populi.* 8. *Prophetae, qui fuerunt ante me, et ante te ab initio, et prophetaverunt super terras multas, et super regna magna de praelio, et de afflictione, et de fame.* 9. *Propheta, qui vaticinatus est pacem, cum venerit verbum eius, scietur propheta, quem misit Dominus in veritate.* Argumentatur sic: Prophetas, qui antecesserunt idem, quod ab ipso fieret, adversaque vaticinatos esse. Illos recognosci vero pro veris prophetis. Igitur se quoque similem illorum, et veridicum esse. At vero de propheta, qui pacem vaticinatur, Hananiam autem intelligit, tum futurum clarum, esse illum vere prophetam, cum id, quod praedixit, impletum fuerit. Non erat autem implendum. Igitur tacite inferebatur, ex eventu palam esse futurum ipsum esse pseudoprophetam. 10. *Et tulit Hananias propheta catenam de collo Jeremiae prophetae, et confregit eam.* 11. *Et ait Hananias in conspectu omnis populi, dicens: Haec dicit Dominus: sic confringam iugum Nabuchodonosor regis Babylonis post duos annos dierum de collo omnium gentium.*

12. *Et abiit Jeremias propheta in viam suam. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam, postquam confregit Hananias propheta catenam de collo Jeremiae Prophetae, dicens:* 13. *Vade, et dices Hananiae: Haec dicit Dominus: Catenas ligneas*

contrivisti, et facies pro eis catenas ferreas. „Hoc „ostendit, ait S. Hieronymus, quod minorem re- „nuens poenam maioris supplicii causa fuerit in po- „pulo.“ 14. *Quia haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Jugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum, ut serviant Nabuchodonosor regi Babylonis. Et servient ei, insuper et bestias terrae dedi ei.* 15. *Et dixit Jeremias propheta ad Hananiam prophetam: audi Hanania. Non misit te Dominus, et tu confidere fecisti populum istum in mendacio.* 16. *Idcirco haec dicit Dominus: Ecce ego mittam te a facie terrae. Hoc anno morieris. Adversus enim Dominum locutus es.* 17. *Et mortuus est Hananias propheta in anno illo, mense septimo.*

CAPVT XXIX.

Literas Jeremias mittit ad Judaeos, qui captivi cum Jechonia rege ducti sunt in Babyloniam, docetque septvaginta annos duraturam captivitatem contra pseudoprophetias aliorum, qui spe celeris reditus in patriam illos seducerent, pseudoprophetisque illis praedicit supplicium, quod a Nabuchodonosore subituri sunt.

1. *ET haec sunt verba libri, quem misit Jeremias propheta de Jerusalem ad reliquias seniorum transmigrationis, et ad sacerdotes, et ad prophetas, et ad omnem populum, quem traduxerat Nabuchodonosor de Jerusalem in Babylonem,* 2. *postquam*

egressus est Jechonias rex, et domina, et eunuchi, et principes Juda, et Jerusalem, et faber, et inclusor de Jerusalem. Domina haec, quae inter captivos alios memoratur, mater Jechoniae fuit, ut est supra cap. 22. v. 26. Quid inclusor significet, est etiam ad cap. 24. v. 1. iam declaratum: 3. *In manu Elasa filii Saphan, et Gamariae filii Helciae:* nempe Jeremias epistolam suam his commisit perferendam in Babyloniam, *quos misit Sedecias rex Juda ad Nabuchodonosor regem Babylonis, dicens:* 4. *Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel omni transmigrationi, quam transtuli de Jerusalem in Babylonem.* Scriptura epistolae proponitur. Illud, cuius rei causa Sedecias istos duos ad Nabuchodonosorem ablegaverit, non dicitur. Videtur tributum, quod ei debebat, per eos misisse. A cuius clientela, et subiectione cum se postea subtraxisset 4. Reg. 24. v. 20. causam illi bello adversum se praebuit, in quo se, omneque regnum perdidit. 5. *Aedificate domus, et habitate: plantate hortos, et comedite fructum eorum.* 6. *Accipite uxores, et generate filios, et filias, et date filiis vestris uxores, et filias vestras date viris, et pariant filios, et filias: et multiplicamini ibi, et nolite esse pauci numero.* 7. *Et quaerite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, et orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis.* 8. *Haec enim dicit Dominus exercituum Deus Israel: Non vos seducant prophetae vestri, qui sunt in medio vestrum, et divini vestri, et ne attendatis ad so-*

omnia vestra, quae vos somniatis. 9. *Quia falso ipsi prophetant vobis in nomine meo: et non misi eos, dicit Dominus.* 10. *Quia haec dicit Dominus: cum coeperint impleri in Babylone septvaginta anni, visitabo vos, et suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum.* Quandoquidem ad istos captivos Judaeos est sermo, qui cum Jechonia ducti in captivitatem Babylonicam sunt; consequens est, ut anni septvaginta captivitatis Babylonicae computentur ab initio istius captivitatis, non autem illius, quae subsecuta adhuc est postea sub Sedecia, quaeque undecim annis, quot scilicet Sedeciae regnum duravit, tardius accidit, et qui proinde tardius tum in captivitatem ducti, omnibus illis septvaginta annis in Babylonia non fuerint.

11. *Ego enim scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, et non afflictionis, ut dem vobis finem, et patientiam.* ,,Ut dem vobis finem: Finem captivitatis" ait S. Hieronymus. Patientia autem in Hebraeo est *spes* (וְתִקְוָה) intelligiturque spes liberationis ex hac captivitate. 12. *Et invocabitis me, et ibitis: et orabitis me, et ego exaudiam vos.* ,,Invocabi-,,tis me, ait S. Hieronymus, et ibitis Jerusalem." 13. *Quaeretis me, et invenietis, cum quaesieritis me in toto corde vestro.* 14. *Et inveniar a vobis, ait Dominus, et reducam captivitatem vestram, et congregabo vos de universis gentibus, et de cunctis locis, ad quae expuli vos, dicit Dominus, et*

reverti vos faciam de loco, ad quem transmigrare vos feci. 15. *Quia dixistis: suscitavit nobis Dominus prophetas in Babylone.* Prophetae isti spe illos lactabant celeris reditus, ut antecessit versu 8. et ne istorum dictis fidem adhiberent, eos monuit. Docet igitur Dei nomine, nonnisi post septvaginta annos futurum, ut redeant ex captivitate, et postquam Deum ad illud tempus coeperint ex toto suo corde quaerere. Cum ergo et ista vaticinatione laeti essent, atque sibi plauderent de prophetis his sibi in Babylonia, quasi a Deo datis, propterea dicit se se hoc illis demonstrasse, atque scripsisse, ne deciperentur. Itaque instar causae istud subiecit, cur illa, quae scripsit, scripserit. 16. *Quia haec dicit Dominus ad regem, qui sedet super solium David, et ad omnem populum habitatorem urbis huius, ad fratres vestros, qui non sunt egressi vobiscum in transmigrationem,* 17. *haec dicit Dominus exercituum: Ecce mittam in eos gladium, et famem, et pestem, et ponam eos, quasi ficus malas, quae comedi non possunt, eo quod pessimae sint,* 18. *et persequar eos in gladio, et in fame, et in pestilentia, et dabo eos in vexationem universis regnis terrae in maledictionem, et in stuporem, et in sibilum, et in opprobrium cunctis gentibus, ad quas eieci eos,* 19. *eo quod non audierint verba mea, dicit Dominus, quae misi ad eos per servos meos prophetas de nocte consurgens, et mittens, et non audistis, dicit Dominus.* Illi decepti a pseudoprophetis credebant celeriter se redituros,

et

et Jerosolymae, atque in Judaea pacate victuros. Adversus quam persvasionem Propheta docet illos etiam, qui adhuc remanserunt, alios, gladio, vel pestilentia, vel fame esse perituros; alios in captivitatem eamdem, in qua iam ipsi essent, ituros. 20. *Vos ergo audite verbum Domini omnis transmigratio, quam emisi de Jerusalem in Babylonem.*

21. *Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel ad Achab filium Coliae, et ad Sedeciam filium Maasiae, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter: Ecce ego tradam eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis, et percutiet eos in oculis vestris:* Interficiet eos cremando in igne, ut subsequetur. 22. *Et assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Juda, quae est in Babylone, dicentium: Ponat te Dominus sicut Sedeciam, et sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne.* Significat, ex hoc illorum supplicio formulam imprecandi sibi esse sumpturos, ut hoc idem alteri imprecentur, quod his evenit, dum male alicui precari voluerint: 23. *pro eo, quod fecerint stultitiam in Israel, et moechati sunt in uxores amicorum suorum, et locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandavi eis. Ego sum iudex, et testis, dicit Dominus.* Tradit S. Hieronymus opinionem esse Hebraeorum, quod hic duo „miseras „mulierculas sic deceperint, quo dicerent eis, il„lius sunt verba, quia de tribu erant Juda, Chri„stum de suo semine esse generandum: quae ille„ctae cupidine praebebant corpora sua, quasi ma-

„tres futurae Christi. Quodque intulit Propheta : *Ego* „*sum iudex, et testis*, *dicit Dominus*, hunc habet „sensum: Haec, quae dico de duobus pseudopro- „phetis, qui loquuntur verbum in nomine meo „mendaciter, quod non mandaveram eis; nequa- „quam opinione cognovi, sed ipse scio vera esse, „quem celare nemo potest, nec effugere iudicii „mei veritatem.“

24. *Et ad Semejam Nehelamitem dices:* Post legatorum, a Sedecia rege missorum, reditum ex Babylonia hoc factum esse intelligi debet, quod modo proponitur, et post missas ab hoc Semeja literas Jerosolymam, quibus Jeremiam accusavit propter missam epistolam in Babyloniam: 25. *Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Pro eo, quod misisti in nomine tuo libros ad omnem populum, qui est in Jerusalem, et ad Sophoniam filium Maasiae sacerdotem, et ad universos sacerdotes dicens:* 26. *Dominus dedit te sacerdotem pro Jojade sacerdote, ut sis dux in domo Domini super omnem virum arreptitium* Hebraice: *insanientem* (מְשֻׁגָּע) *et prophetantem, ut mittas eum in nervum, et in carcerem.* 27. *Et nunc, quare non increpasti Jeremiam Anathothiten, qui prophetat vobis?* 28. *Quia super hoc misit in Babylonem ad nos, dicens: longum est* intelligitur longum, quamdiu durabit captivitas: *aedificate domos, et habitate, et plantate hortos, et comedite fructus eorum.* Sophoniam pro Jojade sacerdote, factum esse sacerdotem non sic positum est, quasi huic ille

proxime successisset in sacerdotio; intercesserant enim anni circiter tercenti: siquidem Jojadas sub rege Joas pontificatum gesserit; sed illum propterea memorat, ut quoniam eumdem, quem ille, sacerdotii gradum, et auctoritatem teneret; eumdem etiam in diligentia officii sui, atque muneris imitaretur. Interfici autem is iusserat quemdam nomine Mathan Baalis sacerdotem, et fanum illud evertit. 4. Reg. 11. v. 18. Hoc ergo uti erga Jeremiam etiam fieret, tamquam si falsus esset propheta, iste Semejas a Sophonia petebat, et per literas contendebat. 29. *Legit ergo Sophonias sacerdos librum istum in auribus Jeremiae prophetae.* 30. *Et factum est verbum Domini ad Jeremiam dicens:* 31. *Mittite ad omnem transmigrationem dicens: Haec dicit Dominus ad Semejam Nehelamitem: Pro eo, quod prophetavit vobis Semejas, et ego non misi eum, et fecit vos confidere in mendacio;* 32. *idcirco haec dicit Dominus: Ecce ego visitabo super Semejam Nehelamitem, et super semen eius: non erit ei vir sedens in medio populi huius, et non videbit bonum, quod ego faciam populo meo, ait Dominus: quia praevaricationem locutus est adversus Dominum.*

CAPVT XXX.

Vaticinium de liberatione Judaeorum ex captivitate, futurumque esse, ut iterum serviant Deo, et regi suo Davidi, quem Deus ipsis suscitaturus sit, quique omnibus illorum hostibus suum furorem minatur.

1. *HOC verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino: dicens:* 2. *Haec dicit Dominus Deus Israel, dicens: scribe tibi omnia verba, quae locutus sum ad te, in libro.* 3. *Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus, et convertam conversionem populi mei Israel, et Juda, ait Dominus, et convertam eos ad terram, quam dedi patribus eorum, et possidebunt eam.* 4. *Et haec verba, quae locutus est Dominus ad Israel, et ad Judam:* 5. *Quoniam haec dicit Dominus: vocem terroris audivimus, formido, et non est pax.* Pseudoprophetae vaticinabantur brevi affuturam pacem, et depulso Chaldaeorum iugo successura omnia prospera. Quamvis vero finiendam esse diceret captivitatem, in qua iam Judaeorum pars una esset, quae in Babyloniam cum Jechonia rege iam fuit ducta, tamen nunc adhuc prius docet instare tristia. 6. *Interrogate, et videte, si generat masculus. Quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum quasi parturientis, et conversae sunt universae facies in auruginem?* Generat masculus, sed non parit, quod feminae est. Et ita verbum hoc parere: *Num pariet masculus*

(אִם־יֹלֵד זָכָר) est in Hebraeo. „ Tantus erat timor, „ ait S. Hieronymus, tantaque formido, ut fugata „ pace, bellis, et sangvine omnia compleantur, et „ viros quoque, quorum proprium est contra adver- „ sarios dimicare; muliebris timor obtineat, manus- „ que nequaquam ad arma, sed ad renes tenendos „ conferant, quasi si mulier pariens ilia, lumbos- „ que contineat. Unde et cunctorum facies verten- „ tur in auruginem pavorem cordis vultus pallore „ testantes.“

7. *Vae, quia magna dies illa, nec est similis eius, tempusque tribulationis est Jacob, et ex ipso salvabitur.* „ Praedicit tempus miseriae, ait S. Hie- „ ronymus, ut inferat tempus gaudii. Cum, inquit, „ tanta praecesserint mala, ut dolor virorum omnium „ dolori parturientis feminae comparetur; tamen „ tempus tribulationis Jacob, hoc est, populi Dei, „ mutabitur in prospera, et ex ipso quoque salva- „ bitur, subauditur tempore, de quo sermo prae- „ cesserat. Jacob autem duodecim tribus intellige, „ quae nequaquam sub Zorobabel, ut nonnulli falso „ putant, sed de Evangelica vocatione salvatae sunt.“ Nempe sub typo illius reditus ex captivitate duce Zorobabele prophetia haec spectat ad liberationem, quae facta est per Christum, et a quo qui populus redemptus est, fuit is deinde Israel non secundum carnem, sed per spiritum fidei, ut hoc iam alias demonstratum est, et eo pertinere hanc prophetiam, ea, quae subsequuntur, declarabunt.

8. *Et erit in die illa, ait Dominus exercituum, conteram iugum eius de collo tuo, et vincula eius dirumpam, et non dominabuntur ei amplius alieni,* 9. *sed et servient Domino Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis.* Conteram iugum eius: pronomen *eius* refertur ad nomen antecedens in superiore versu: tempus. Quasi ergo esset: conteram iugum pristini temporis, quod fuit tribulationis. Locum autem etiam hunc de Christo, manifestissime accepit, et vertit Chaldaeus: *Et erit in tempore illo, dicit Dominus exercituum: conteram iugum populorum de cervicibus vestris, et vincula vestra dirumpam, et non subiicietur Israel ultra populis. Et servient coram Domino Deo suo, et obedient Christo filio David, regi suo, quem suscitabo eis.* 10. *Tu ergo ne timeas, serve meus Jacob, ait Dominus, neque paveas Israel: quia ecce ego salvabo te de terra longinqua, et semen tuum de terra captivitatis eorum, et revertetur Jacob, et quiescet, et cunctis affluet bonis, et non erit, quem formidet.* 11. *Quoniam tecum ego sum, ait Dominus, ut salvem te. Faciam enim consummationem in cunctis gentibus, in quibus dispersi te. Te autem non faciam in consummationem: sed castigabo te in iudicio, ut non videaris tibi innoxius.* In iudicio, dicitur opposite erga hoc: *in furore:* quando modus propter irascentis impetum in puniendo non servatur. Quemadmodum hoc idem praecessit supra cap. 10. v. 24. „Corripe me Domine, „verumtamen in iudicio, et non in furore tuo, ne

„forte ad nihilum redigas me.“ Hinc vero S. Hieronymus argumentum desumpsit adversus Pelagianos, qui docebant hominem in hac mortali vita posse ad illam perfectionem iustitiae pervenire, ut sit prorsus absque omni peccato. Sic enim omnino esset innoxius, nec castigare Deus illum deberet. „Quod „intulit, verba sunt illius, ut non tibi videaris in„noxius; illud significat, quod omnis mundus in„digeat misericordia Dei, et nullus, quamvis san„ctus sit, securus pergat ad Judicem contra novam „ex veteri haeresim (Pelagianam surculum intel„ligit fuisse Origenianae) quae putat in isto secu„lo, et in ista carne mortali, antequam corrupti„vum hoc induat incorruptionem, et mortale induat „immortalitatem, perfectionem esse in quoquam, „et omnes simul Justum posse implere virtutes.“ Sensus igitur est Israelem, hoc est: Christianos castigatum iri a Deo, ne se putent innoxios. Si autem putare se non debent innoxios; habent reipsa, cur merito a Deo castigentur. Nemo enim ita iustus est, ut non saepe leviora saltem peccata admittat. „Si diximus, quoniam peccatum non habemus, „ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.“ 1. Joan. 1. v. 8. Haecque Deus in Justo peccata castigat, nisi ipse praeoccupet hanc castigationem, atque ipse poenas a se exigat secundum illud S. Pauli 1. Cor. 11. v. 31. „Quod si nosmet ipsos „diiudicaremus, non utique iudicaremur. Dum „iudicamur autem, a Domino corripimur, ut „non cum hoc mundo damnemur.“ Castiga-

tio autem vocatur, quae spectet ad eius emendationem, non ad ipsius interitum, et destructionem.

Cuperem autem scire, quomodo in eorum systemate religionis, secundum quos ei, qui per fidem apprehendit Christum, iam peccata non imputentur, et cui iustitiam Christi ita applicari volunt, ut nullis opus iam illi sit satisfactoriis operibus, nihilominus illud adhuc esse possit, ut Deus illum velut noxium castiget? Quomodo sine iniuria erga Christum poenas adhuc ab eo Deus desumit, pro quo ita satisfactum est a Christo, ut satisfactionem iam ipse nullam exhibere debeat Deo? Si nihil iam imputat, ut quid ergo illum tamen adhuc castigat? In catholica autem ratione credendi nulla est talis difficultas. Credimus, non tantum illini, et fucum nobis induci iustitiae per Christum, sed vere nos per eum fieri iustos: et tamen, dum „In „multis offendimus omnes" Jacobi 3. v. 2. assidua nos habere opus reparatione iustitiae per poenitentiam: quod Deus, tametsi veniam propter Christum nobis concedat, tamen a nobis adhuc etiam insuper exigat aliquam satisfactionem, quam si nos ultro non praestemus; hanc ipse per temporales poenas infligat: non quo satisfactio Christi non perfecta, et abundans esset; sed, ut quomodo Christus passus est, dum pro nobis satisfecit, sic puniendo nos ipsos propter nostra peccata, communicemus eius passionibus. 1. Pet. 4. v. 13. „Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis „pauperum," Danielis 4. v. 24.

12. *Quia haec dicit Dominus: insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.* 13. *Non est, qui iudicet iudicium tuum ad alligandum: curationum utilitas non est tibi.* Hoc est, nulla proficit, et procedit curatio. Redit autem ad Judam, et Israelem, de quo supra versu 5. fuit: „Vocem terroris audi-„vimus, formido, et non est pax.“ 14. *Omnes amatores tui obliti sunt tui, teque non quaerent. Plaga enim inimici percussi te, castigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuae dura facta sunt peccata tua.* Amatorum nomine supra cap. 3. v. 1. compellantur idola, iterum vero capitis 4. versu 30. gentes, quarum deos adamaverunt, et colendos assumpserunt. Hi ergo neutri non erunt, inquit, solliciti pro te, non tibi erunt auxilio. Plaga autem inimici intelligitur ritus, qui sit lethalis. „Aliter amicus, ait S. Hieronymus, aliter „inimicus, percutit: aliter pater, aliter hostis. Ille „caedit, ut corrigat; iste percutit, ut occidat.“ Dura facta sunt peccata tua, Hebraice est: *invaluerunt*, multiplicata sunt ((עָצְמוּ) peccata tua. 15. *Quid clamas super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus. Propter multitudinem iniquitatis tuae, et propter dura peccata tua feci haec tibi.* 16. *Propterea omnes, qui comedunt te, devorabuntur, et universi hostes tui in captivitatem ducentur, et qui te vastant, vastabuntur, cunctosque praedatores tuos dabo in praedam.* Loco adverbii: *propterea*, est in Hebraeo vocula *Laken.* (לָכֵן) Quae non semper vim causalem obtinet in oratione, sed

saepe etiam tantum, quid secutum post eam rem sit, quae antecessit, indicat. Quomodo hic etiam est. Dicitur nimirum, quod cum Deus castigatione crudeli percussisset Jerusalem, et Judaeam; deinde tamen etiam hos ipsos hostes, per quos percussa est, ultus sit. Quamvis enim Deus istorum manibus hostium usus sit, ad puniendos Judaeos; tamen quatenus ista processerunt ab eorum animis erga illos, erant iniuriae, aut certe insolentius, et crudelius, quam aequum erat, se erga eos gesserunt. Quod vitio etiam datum fuit Chaldaeis: „Iratus sum, inquit Deus, super populum meum, et „dedi eos in manu tua: non posuisti eis misericor„dias: super senem aggravasti iugum tuum valde, „et dixisti in sempiternum ero domina:" et ob quam causam poenas Babyloni interminatur Deus, et exitium. Isaiae 47. v. 7.

17. *Obducam enim cicatricem tibi, et a vulneribus tuis sanabo te, dicit Dominus. Quia eiectam vocaverunt te Sion. Haec est, quae non habebat requirentem.* „Sub Zorobabel, ait S. Hiero„nymus, haec facta cognoscimus, quando Assyrios, „hoc est: Niniven vastavere Babylonii, et rursum „Babylonios, et Chaldaeos Medi, Persaeque cepe„runt, et Babylon destructa est. Tunc Sion coepit „habere Dominum requirentem, et obducta est ci„catrix vulneribus illius, et sanata est a plagis suis, „quod plenius, atque perfectius completur in Chri„sto." Nempe, ut iam initio istius etiam capitis demonstratum est, sub typicis coloribus libertatis

ex Babylonica captivitate prophetia haec dirigitur ad liberationem, quae nobis facta est per Christum. 18. *Haec dicit Dominus: Ecce ego convertam conversionem tabernaculorum Jacob, et tectis eius miserebor, et aedificabitur civitas in excelso suo, et templum iuxta ordinem suum fundabitur.* Convertam conversionem tabernaculorum Jacob, Hebraice: *Convertam captivitatem tabernaculorum Jacob.* (שְׁבוּת אָהֳלֵי יַעֲקוֹב) Quomodo pro captivitate hoc idem conversionis vocabulum iam etiam supra versu 3. Latinus posuit. Dicit ergo Deus, captiva tabernacula Jacob se se reducturum. Civitas tum in excelso suo aedificabitur. „Erit enim in novissimis „diebus praeparatus mons domus Domini in verti„ce montium.“ Isa. 2. v. 2. Templum vero iuxta ordinem suum fundabitur: „Ut quidquid, ait S. „Hieronymus, in priori populo fieret carnaliter, in „Ecclesia spiritualiter compleretur.“

19. *Et egredietur de eis laus, voxque ludentium, et multiplicabo eos, et non minuentur; et glorificabo eos, et non attenuabuntur.* 20. *Et erunt filii eius sicut a principio, et coetus eius coram me permanebit, et visitabo adversum omnes, qui tribulant eum.* 21. *Et erit dux eius ex eo, et princeps de medio eius producetur, et applicabo eum, et accedet ad me. Quis enim ipse est, qui applicet cor suum, ut appropinquet mihi, ait Dominus?* Et erit dux eius ex eo: „Haud dubium, „ait S. Hieronymus, quin Dominus, et Salvator „secundum carnem ex genere Israel, et Princeps

„de medio eius productus est. Applicavit eum Pa-
„ter ad se, et accessit ad eum, ut diceret Filius:
„*Ego in Patre, et Pater in me:* (Joan. 14. v. 11.)
„quia nullus potest sic cor suum applicare Deo,
„nec ita, ut Filius, Patri esse coniunctus.“ Ostenditur, et declaratur neminem esse, qui praeter hunc Ducem, atque Principem, ita, quemadmodum iste, possit ad Deum appropinquare, atque adeo, qui ei ita esset coniunctus. Est nimirum hoc illud, quod ipse Christus etiam de se dixit: „Ego, et Pater
„unum sumus.“ Joan. 10. v. 30.
22. *Et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum.*
23. *Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens in capite impiorum conquiescet.*
24. *Non avertet iram indignationis Dominus, donec faciat, et compleat cogitationem cordis sui. In novissimo dierum intelligetis ea.* Memorantur hi impii, quasi ex adverso eorum, qui facti sunt populus Dei per fidem in Jesum Christum. Hi ergo impii intelliguntur, qui non obediunt Evangelio, et super quos omnes Dei furor in aeternum requieturus est. Quod in novissimo, in mundi scilicet novissimo tempore, dum ab eodem illo Duce, et Principe, de quo modo praecessit, sententia damnationis in eos feretur, ab omnibus intelligetur, et persvadebitur omnibus etiam illis, qui credere illud modo adhuc nolunt.

CAPVT XXXI.

De restauranda Jerusalem, dum illa fiet liberatio, de qua fuit capite praecedente, et locupletandis Judaeis omni ubertate bonorum, deque Ephraimo in principio gentium revocando eam, novoque foedere, quod Deus cum domo Juda, et Jerusalem sit facturus.

1. *IN tempore illo dicit Dominus: Ero Deus universis cognationibus Jsrael, et ipsi erunt mihi in populum.* 2. *Haec dicit Dominus: Iuvenit gratiam in deserto populus, qui remanserat a gladio: vadet ad requiem suam Israel.* Populus Israel profectus ex Aegypto, et iter faciens per desertum, qui evasit illas clades, quibus Deus saepius illum affecerat in eodem deserto; iste deinde ad suam requiem, et ad possidendam terram promissam admissus est. Eo autem fit respectus, quod quemadmodum non omnes tunc ad possessionem promissae haereditatis pervenerunt maxima illorum parte prostrata in deserto; ita etiam solae tantum Judaeorum reliquiae venturae ad salutem, quae per Christum est, sint, et ad illam requiem, de qua est etiam apud S. Paulum: „Festinemus ingredi „in illam requiem. Ingrediemur enim, inquit, qui „credidimus.“ Hebr. 4. v. 3, 11. Vadet igitur ad requiem suam Israel, sed sic, quemadmodum huius rei imago antecessit in deserto, ut plerisque incidentibus in incredulitatis exemplum, potior eorum pars ad salutem, quae est per Christum, et ad il-

tam liberationem, et requiem perventura non sit.
3. *Longe Dominus apparuit mihi. Et in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Longe Hebraice *E longinquo* (מֵרָחוֹק) Dominus apparuit mihi. Israel autem ille, qui reductus ex captivitate est, et qui ad illam requiem ductus est, de qua modo antecessit, ac proinde novus Israel populus spiritu fidei, non secundum carnem, istud dicit ad Deum. „Qui enim aliquando eratis longe, ait „S. Paulus, facti estis prope in sangvine Christi.“ Ephes. 2. v. 13. Dicitur autem longe fuisse a Deo, quia hic Israel potissimam partem constat ex iis, qui vel ipsi, vel in suis maioribus erant gentiles: „Et hospites testamentorum, promissionis spem „non habentes, et sine Deo in hoc mundo“ ut idem inquit S. Paulus in isto, quem modo citavi loco. Israele autem dicente Deum sibi e longinquo apparuisse, Deus deinde respondet: *Et in charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans.* „Elegit enim nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in „conspectu eius in charitate.“ Eph. 1. v. 4.
4. *Rursumque aedificabo te, et aedificaberis virgo Israel: adhuc ornaberis tympanis tuis, et egredieris in choro ludentium.* Ad Ecclesiae, et novae Sionis aedificationem pertinere istud ex simillimo testimonio Amos prophetae cap. 9. v. 11. apertum fit. „Post haec revertar, et reaedificabo tabernaculum „David, quod decidit, et diruta eius reaedificabo, „et erigam illud.“ Nam hunc locum omnino de

conversione gentilium ad fidem, et illorum aggregatione ad Ecclesiam Jacobus Apostolus Actor. 15. v. 14. interpretatus est. Festis autem diebus, et in laetitia choros cum tympanis consveverant ducere mulieres in civitatibus. Qualis chorus mulierum Davidem excepit, et ei applausit revertenti ex duello cum Goliatho. 1. Reg. 18. v. 6. Jephte quoque filia patri suo post victoriam de hostibus similiter obviam processit cum tympanis, et choris. Jud. 11. v. 34. Pertinet igitur hoc ad civitatis frequentiam, incolarumque in ea laetitiam designandam.

5. *Adhuc plantabis vineas in montibus Samariae: plantabunt plantantes, et donec tempus veniat, non vindemiabunt.* Hoc est, pace fruentur, ut nullius alicuius adversi casus metu, qualis est, dum imminet hostis, accelerare debeant vindemiam. Quod vero Jerusalem vineas suas etiam in montibus Samariae habitura sit; significat ex illis etiam decem tribubus, ex quibus constabat regnum Israel, et cuius metropolis fuit Samaria, coalituram Christi Ecclesiam. Quod clarius adhuc etiam versu sequente proponitur. 6. *Quia erit dies, in qua clamabunt custodes in monte Ephraim: Surgite, et adscendamus in Sion ad Dominum Deum nostrum.* Mons Ephraim eadem est, quae Samaria, siquidem in hac tribu civitas haec sita fuerit. Ibi ergo Custodes, Apostoli videlicet, et Apostolici viri, ut ait S. Hieronymus, hortatores erunt, ut eumdem Deum in Sione colant, et adorent, et ad eamdem conveniant Christi Ecclesiam. 7. *Quia haec dicit Do-*

minus: Exultate in laetitia Jacob, et hinnite contra caput gentium, personate, et canite, et dicite: Salva Domine populum tuum, reliquias Israel. Ad eosdem Ephraimitas, et Samaritanos pertinet hoc, diciturque illis, ut exultent in laetitia Jacob, hoc est eadem laetitia, qua Jacob exultat, et reliquus Israel, ut ipsi quoque incedant, et hiniant contra caput gentium Hebraice: *in capite gentium* (בְּרֹאשׁ הַגּוֹיִם) Caput vero pro initio, et principatu positum est. Quare sensus est, ut ipsi ante alias omnes gentes hinniant ex hac laetitia sua cum Jerusalem in Religione sonsociationis. Quod factum deinde legitur. Nam Samaria ante omnes alios, qui disiuncti erant Religione ab Judaeis, recepit verbum Dei. Actor. 8. v. 14.

8. *Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, et congregabo eos ab extremis terrae. Inter quos erunt coecus, et claudus, praegnans, et pariens simul: coetus magnus revertentium huc.* Coecus, claudus, praegnans, pariens sunt minime habiles, et idonei ad iter faciendum praesertim cum celeritate. Hi tamen ab extremis oris terrae dicuntur deducendi esse in Jerusalem. Gentiles ergo intelliguntur, qui notitia veri Dei destituti, nihilque scientes de Christo, et nullis de eo oraculis ante praemoniti, et instructi, cum summa difficultate, et impedimento laborarent agnoscendi Christum, hunc tamen ubique agnoverunt, et concurrerunt ad illius Ecclesiam. 9. *In fletu venient, et in misericordia reducam eos: et adducam eos per torrentes aquarum*

in

in via recta, et non impingent in ea: quia factus sum Israeli pater, et Ephraim primogenitus meus est. Oritur fletus non tantum ex tristitia, verum etiam ex gaudio. Quamvis autem hi, qui ad Christum conversi sunt, cum poenitentia hoc fecerint, hancque Apostoli ab iis, quos ad fidem converterunt, exegerint, Actor. 2. v. 38. et cap. 20. v. 21. tamen hic pro gaudio magis esse positum, magis congruit cum eo, quod de exultatione, hinnitu, et cantu iam etiam altero ab hinc versu antecessit. Torrentes aquarum pertinent eo, ut qui iter faciunt, aquam sibi praesto habeant frigidam et fluentem, ne lassitudine, et siti deficiant. Aquae autem Spiritum sanctum significant, ut est Joannis 7. v. 39. „Quem „accepturi erant credentes in eum.“ Ephraim autem cum de eo fuisset dictum versu 7. futurum, ut hinniat in capite gentium, et ante alias nationes perducatur ad lumen fidei; ideo vocatur nunc etiam primogenitus.

10. *Audite verbum Domini gentes, et annunciate in insulis, quae procul sunt, et dicite: Qui dispersit Israel, congregabit eum, et custodiet eum, sicut pastor gregem suum.* 11. *Redemit enim Dominus Jacob, et liberavit eum de manu potentioris.* Is, qui captum aliquem tenet, potentior, atque fortior est illo, qui captus ab eo tenetur. Captivum vero tenuit genus humanum diabolus, quod sibi per peccatum, quo illud induxit, subiugaverat. „A quo enim qui superatus est, huius et servus „est.“ 2. Petr. 2. v. 19. Christus autem eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum

filii dilectionis suae. Colos. 1. v. 13. 12. *Et venient, et laudabunt in monte Sion, et confluent ad bona Domini super frumento, et vino, et oleo, et foetu pecorum, et armentorum: eritque anima eorum quasi hortus irriguus, et ultra non esurient.* Ex his ultimis verbis, quod animus eorum dicatur futurus sicut hortus irriguus, illarum rerum, quae hic positae sunt, affluentiam ad animum, et spiritum pertinere, conclusit S. Hieronymus. Corporalibus igitur illis rebus idem intelligitur, quod de aqua sua dixit Christus, quam credenti in se daret. „Qui „biberit ex aqua, inquit, quam ego dabo ei, non „sitiet in aeternum: sed aqua, quam ego dabo „ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeter„nam." Joan. 4. v. 13.

13. *Tunc laetabitur virgo in choro, iuvenes, et senes simul: et convertam luctum eorum in gaudium, et consolabor eos, et laetificabo a dolore suo.* 14. *Et inebriabo animam sacerdotum pingvedine, et populus meus bonis meis adimplebitur, ait Dominus.* 15. *Haec dicit Dominus: Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt.* Rachel fuit mater duarum tribuum Ephraim, et Manasse, quae in abductione decem tribuum per Salmanassarem Assyriorum regem 4. Reg. 18. v. 9. eamdem, quam reliquae tribus captivitatis sortem subierunt. Huic igitur illorum casui, tamquam tenera mater indolens inducitur iam defuncta Rachel per prosopoeiam. In

excelso auditam esse illius vocem indicat vel elatam ipsius in luctu hanc vocem, vel vero *Rama*, quod in Hebraeo vocabulum est, ubi Latinus *Excelsum* posuit, sumitur proprie. Fuit enim hoc nomen etiam civitatis in tribu Benjamin, non multum ab Jerosolyma Septemtrionem versus distantis: locusque pro tribu Benjamin, ubi illa lamenta ipsius personuerint, positus est. 16. *Haec dicit Dominus: Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrimis: quia est merces operi tuo, et revertentur de terra inimici.* Hoc est: filii ipsius revertentur ex terra hostili, et captivitatis. Atque ita feres fructum tuae istius erga illos pietatis, quorum tristem casum ita acerbe defles. Hunc vero Jeremiae locum S. Matthaeus docet impletum esse in caede illorum infantium, quos Herodes occidit. Nempe abductio illarum tribuum, et prolium suarum Racheli per hostem ereptio typum gessit caedis infantium, quam in Bethlehem, et in vicina tribu Benjamin patravit Herodes: iterumque vero reditus illorum ex captivitate figuravit eorumdem infantium beatiorem illam vitam, in qua eos Rachel mater receptura esset, quos necatos crudelissime per Herodem prius doluit. Hunc vero typicum sensum in allegando hoc testimonio Matthaeus est secutus. 17. *Et est spes novissimis tuis, ait Dominus, et revertentur filii ad terminos suos.* Est iam ad Jsaiae 7. v. 9. demonstratum decem tribus, ex quibus regnum Israel constabat, non integre, sed saltem quoad aliquam partem esse revocatas in pa-

triam ex captivitate, nominatimque de Ephraim, et Manasse, quae duae tribus, et tunc per Salmanassarem ductae sunt in captivitatem, et erant prognatae ex Rachele, hoc demonstratum est. Vel ergo saltem quoad hos ex parte tantum reduces pertinet haec, quae Racheli facta est consolatio; vel certe, sicut Israelis nomine in reditu ex captivitate designantur non tantum, qui carnali nativitate erant Israelitae, sed spiritu fidei; et filii Abrahae vocantur, qui ex fide sunt, Gal. 3. v. 7. ita hoc etiam de Ephraim, et Manasse erga Rachelem matrem erit accipiendum.

18. *Audiens audivi Ephraim transmigrantem: Castigasti me, et eruditus sum, quasi iuvenculus indomitus: converte me, et convertar, quia tu Dominus Deus meus.* 19. *Postquam enim convertisti me, egi poenitentiam, et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.* Ephraim transmigrantis vox illa est: *Castigasti me, et eruditus sum. Converte me, et convertar.* „Ergo idipsum, quod „agimus poenitentiam, ait S. Hieronymus, nisi „Dei nitamur auxilio, implere non possumus." „*Et* „*postquam ostendisti mihi*, vel ipsam poenitenti„am, verba sunt iterum S. Hieronymi, vel tui no„titiam, sive cognovi te, *percussi femur meum.* „Quod dolentis, et plangentis, et super dolore pri„stino plorantis indicium est, ut femur manu per„cutiat, et stultum se ante fuisse fateatur." Postquam ostendisti mihi, sic est presse iuxta Hebraeum: *Postquam mihi innotui* (וְאַחֲרֵי הִוָּדְעִי) Estque iste primus gradus ad poenitentiam, dum peccator ag-

noscit suam miseriam, in qua est. *Confusus sum, et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiae meae.* Superius iuvenculo indomito, antequam esset eruditus, se comparavit. Istud ergo idem opprobrium vocat adolescentiae suae. Qui semper, et inde ab ineunte aetate sua refractarius Deo fuerit. Sic enim est de Israele etiam supra cap. 2. v. 20. „A „seculo confregisti iugum meum, rupisti vincula „mea, et dixisti: non serviam.“

20. *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus: quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor eius.* Si, more Hebraeorum loquendi solet poni pro affirmatione. Quale illud est Psalmi 94. „Quibus iuravi in ira mea, si introibunt „in requiem meam.“ Igitur cum affirmatione hic quoque istud est accipiendum: Omnino Ephraim mihi filius honorabilis Hebraice: *filius pretiosus est* (הֲבֵן יַקִּיר) puer delicatus Hebraice *natus deliciarum* (יֶלֶד שַׁעֲשׁוּעִים) Chaldaeus istud alterum vertit: *Puer amabilis.* Dicit igitur Deus, quod postquam de eo locutus est, semper illius recordetur. Quoniam autem de eo, quod nobis invisum est ne cogitare quidem, minus loqui libenter solemus, et ob quam causam Deus illos etiam nescire dicitur in Scriptura Luc. 13. v. 27. a quibus est aversus, istud de eo loqui denotat bonum affectum Dei erga Ephraimum. Dicit ergo Deus, quod ex quo illum recepit in gratiam, illius non obliviscatur. *Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius, dicit Dominus.* 21. *Statue tibi specu-*

lam, pone tibi amaritudines dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti, revertere virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas. „Statue tibi speculas, sive speculatores, ait S. Hieronymus, „qui tibi praenuncient advenire tantam rerum omni-„um felicitatem. Quodque sequitur amaritudines, „hoc indicat, quod flere debeat vel antiqua pecca-„ta, vel gaudii magnitudine, et tota ad Dominum „mente converti, et ponere, sive dirigere cor suum „in viam, per quam profecta est. Inde enim illam „esse rediturum.“ Hoc est ergo, ut eadem via domum in suas civitates recta redeat, per quam profecta est in captivitatem. Potest autem etiam in verbo: *ambulasti*, enallage et permutatio temporis esse; qua ratione istud sic erit: Dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambules.

22. *Usquequo deliciis dissolveris filia vaga? quia creavit Dominus novum super terram: Femina circumdabit Virum.* Usquequo deliciis dissolveris filia vaga? Hebraice: *Quousque vertes te huc, atque illuc filia refractaria?* (עַד־מָתַי תִּתְחַמָּקִין הַבַּת הַשּׁוֹבֵבָה) Est cohortatio ad alacritatem redeundi. *Quia Dominus creavit novum.* „Respice, quid „dicturus sum, ait S. Hieronymus in persona Pro-„phetae, et unde tibi tanta beatitudo exspectanda „sit, diligenter attende. Audi, quod numquam an-„te cognoveras. Novam rem creavit Dominus super „terram. Absque viri semine, absque ullo coitu, „atque conceptu femina circumdabit virum gremio „uteri sui, qui iuxta incrementa quidem aetatis per

„vagitus, et infantiam proficere videbitur sapien„tia, et aetate; sed perfectus vir in ventre femi„neo solitis mensibus continebitur. Simulque et hoc „notandum, quod nativitas Salvatoris, atque con„ceptus, Dei creatio nuncupetur.“ Quem hic conceptum Salvatoris vocat S. Hieronymus, superius sine conceptu dixit in utero esse gestatum. Nimirum ibi conceptum intellexit more vulgari ex commercio viri. Fuerunt in Christo omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei vi unionis hypostaticae, qua duae Naturae Divina et humana convenerunt in illius unam Divinam personam a primo momento illius conceptionis. Quamobrem idem ille Infans in corporeis membris perfectione sapientiae, et maturitate mentis fuit vir, et plus quam vir, qui sapientia, et scientia superior esset ipsis angelis etiam in natura humana. Idcirco virum eum vocat Propheta, dum adhuc esset in materno utero: novumque hoc vocat, quod numquam fuit, quod supra naturam fuit.

23. *Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Adhuc dicent verbum istud in terra Juda, et in urbibus eius, cum convertero captivitatem eorum: Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiae mons sanctus:* 24. *et habitabunt in eo Judas, et omnes civitates eius simul, agricolae, et minantes greges.* 25. *Quia inebriavi animam lassam, et omnem animam esurientem saturavi.* Agricolarum, et minantium greges habitatio in monte Sion pertinet ad designandam agrorum, et pascuorum in

eo abundantiam, et foecunditatem, et ob quam causam victus aliquem defectum non sint sensuri, qui ibi habitabunt. Quod deinde subsequens etiam versus declarat: *Quia inebriavi animam lassam, et omnem animam esurientem satiavi.* Corporearum autem harum rerum affluentia, quod spiritualiter ad animum referenda sit, iam supra ad versum 12. huius capitis demonstratum est. 26. *Ideo quasi de somno suscitatus sum, et vidi, et somnus meus dulcis mihi.* Propheta hoc, ut Chaldaeus manifeste expressit, in sua persona dixit. Qui cum hoc Dei oraculum accepisset propter boni magnitudinem, quam intellexit, cum animo gaudium capere non posset, statim vix ipse sibi crediderit, attonitusque haeserit, tali se comparans, qui rem tantum aliquam somniavit, et dum excitatur, dubitat, verane res, an somnium tantum fuerit, et cui nihilominus vel memoria illius somnii, et recordatio voluptatis, quam ex eo somnio perceperit, iucunda sit. Quare admirationem, et stuporem ad magnitudinem istius rei, dum illam audivisset, hoc in Propheta exprimit.

27. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et seminabo domum Israel, et domum Juda semine hominum, et semine iumentorum.* Ad frequentiam incolarum exprimendam hoc pertinet. Nam quo in urbe aliqua hominum maior frequentia est, eo etiam iumentorum maior solet adesse numerus. Hinc ergo de iumentis quoque metaphoricus orationis color desumptus est ad novae Sionis, et Jerusalem, hoc

est Ecclesiae numerositatem, et amplitudinem designandam. 28. *Et sicut vigilavi super eos, ut evellerem, et demolirer, et dissiparem, et disperderem, et affligerem: sic vigilabo super eos, ut aedificem, et plantem, ait Dominus.* 29. *In diebus illis non dicent ultra: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt.* 30. *Sed unusquisque in iniquitate sua morietur. Omnis homo, qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes eius.* Etiam apud Ezechielem cap. 18. v. 2. dicit Deus se se non passurum amplius, ut proverbium istud ab illis dicatur: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt, sed unumquemque ob suum peccatum esse morte plectendum. Nempe, utrobique fit respectus ad novum Testamentum. Ubi in Israelitis secundum spiritum, et per baptismum regeneratis culpa parentum, primorum autem parentum peccatum intelligitur, sic deletur, ut Deus nullatenus iam propter illud iratus maneat, et poenas illius nomine a filiis adhuc, et posteris deposcat. „Nihil enim damnationis est iis, „qui sunt in Christo Jesu.“ Rom. 8. v. 1. sed qui uvam acerbam ipse comederet, hoc est, qui peccatum rursus ipse per se committeret, omnino futurum, ut huic iterum deinde dentes sui obstupescant. Ostenditur remissio futura illius peccati, quod per generationem ad omnes transfusum est, et cuius expiatio tantum fieret per Christum.

31. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda foedus novum:*

32. *non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum ut educerem eos de terra Aegypti: pactum, quod irritum fecerunt; et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus.* Hoc testimonium citat S. Paulus ad Hebraeos 8. v. 8. ut ostenderet foederi veteri subrogandum fuisse per Christum foedus novum. Est vero in citatione istius testimonii haec diversitas, quod verba ista: *Et ego dominatus sum eorum* S. Paulus iuxta versionem Septvaginta ita allegaverit: *Et ego neglexi eos* καὶ ἐγὼ ἠμέλησα αὐτῶν. Erat lex vetus foris tantum, et in auribus sonans, non autem intus conferens gratiam: ob quam rem ministrationem etiam mortis illam Apostolus Paulus appellavit 2. Cor. 3. v. 7. et qua legum latione Deus dominium suum erga illos, et praecipiendi auctoritatem ostenderit, eosque deinde, tamquam servos poenis, atque suppliciis tractaverit, quando legem erant transgressi: cum e contrario in novo Testamento in corda fidelium spiritum adoptionis filiorum infundat: de quo dicit S. Paulus: „Non enim ac-„cepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed „accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo „clamamus Abba, Pater." Rom. 8. v. 15. Per leges igitur tamquam erga servos Deus illorum est dominatus, eosdemque neglexit, quos servorum tantum more tractaret, et quibus paternum illum suum affectum, et charitatis suae donum, unde filii Dei nominamur, et sumus 1. Joan. 3. v. 1. non tribuerit. De qua eadem re sic ultra deinde pergit

Propheta: 33. *Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum.* Lex; dum vetus illud fieret foedus, Judaeis data fuit in duabus tabulis lapideis. Legem ergo illi habebant, sed tantum descriptam in illis tabulis, non vero in corde, ut eam observarent. Nec haec eadem lex abrogata per Christum est, qui non venit solvere legem, sed adimplere. Matth. 5. v. 17. Sed „Lex per Moysem data „est, gratia, et veritas per Jesum Christum facta „est.“ Joan. 1. v. 17. „Nam quod impossibile erat „legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Fi„lium suum mittens in similitudinem carnis peccati, „et de peccato damnavit peccatum in carne, ut „iustificatio legis impleretur in nobis.“ Haec ergo est descriptio legis in corde, gratia videlicet per Christum data, et infusa ad cor, qua id, quod lege praecipitur, amemus, et opere exequamur. Quam talem gratiam cum vi veteris foederis non haberet sibi a Deo promissam lex, ut data est per Moysem Judaeis, tantum in tabulis lapideis, afficiensque illorum tantum externum auditum, dum recitaretur, non tangens, et movens cor, quod modo fit per gratiam Christi, quae datur credentibus in Christum vi foederis novi, quod est sancitum per sangvinem illius, ideo lex modo in cordibus dicitur scribi ad distinctionem foederis antiqui, ubi sola in tabulis, vel codicibus facta est illius scriptura. „Quid sunt

„ergo leges Dei, ait S. Augustinus lib. de Spir. et „Lit. cap. 21. ab ipso Deo scriptae in cordibus, nisi „ipsa praesentia Spiritus sancti, qui est digitus Dei, „quo praesente diffunditur charitas in cordibus no„stris, quae plenitudo legis est, et praecepti finis?"

34. *Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum dicens: cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius.* Non docebit ultra vir proximum suum, hoc est idem illud, quod iam etiam in Isaia fuit cap. 54. v. 13. „Ponam universos filios tuos doctos „a Domino." Est autem hoc dictum respectu foederis antiqui, in quo lex data est scripta in tabulis lapideis, et cuius alia ratio futura esset in foedere novo. Qualis namque lex fuit in foedere antiquo; tales erant etiam illius doctores. Quod enim praestare lex non potuit, hoc nec doctores. De doctoribus autem novi Testamenti inquit S. Paulus: „Qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti, „non litera, sed Spiritu: litera enim occidit, Spi„ritus autem vivificat." 2. Cor. 3. v. 6. Et quoniam ministri novi testamenti, ministri sunt gratiae, et per quorum ministerium confertur donum Spiritus sancti, atque per hunc claritas Dei diffunditur in cordibus nostris, Rom. 5. v. 5. ex charitateque Dei procedat observantia illius mandatorum, Joan. 14. v. 21. quorum primum et maximum est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo Matth.

22. v. 37. nec amari is potest, qui non creditur, et agnoscitur; Spiritui sancto tribuitur nostra ad cognoscendum Deum omnis instructio, quatenus illius dono fidei in nobis lumen accenditur, tametsi in novo etiam testamento ministri verbi et doctores sint dicente Paulo fidem esse ex auditu, auditum autem esse per Verbum Christi, et quomodo audient sine praedicante? Rom. 10. v. 14. qui proinde non excludantur, siquidem per eorum ministerium Spiritus sanctus detur. Sed quoniam hi tantum ministri sunt; Deus autem est, qui operatur in illis, qui credunt, 1. Thess. 2. v. 13. Deo ipsi doctrina, et instructio nostra tribuitur, tamquam cuius digito, qui Spiritus sanctus est, Matth. 12. v. 28. Luc. 11. v. 20. legis fidei scriptio fiat in cordibus nostris. Qua de re iam etiam ad illum Isaiae locum dictum est, itemque, qua ratione tam illum, quam hunc, qui de interiore gratia sonat uterque locus, quidam pro argumento suo sumant, quo probent, qui hic promittitur Dei Spiritus, et qui perhibetur ita fore communis omnibus, ut Ecclesiae universi filii dicantur docendi a Domino, et doctore hoc a minimo ad maximum cognituri omnes sint Dominum; illum nihilominus esse privatum Spiritum. Hoc autem excogitarunt, ne auctoritatem docendi recognoscere cogantur in Ecclesia, atque huic intellectum submittere in obsequium fidei, sed quod suo cuique iudicio videretur sequendum, et tenendum in mysteriis fidei; illud omnino haberet sibi sequendum, et tenendum; tametsi hoc, quod

ipse teneret, et sequeretur esset deinde discrepans ab eo, quod alii sequerentur, qui itidem Spiritu illo privato agantur. Quo pacto, cum fides una sit, Ephes. 4. v. 5. Dei Spiritus discrepantia tamen, et sibi opposita docebit. Cumque sibi contraria vera simul esse non possint; et Dei tamen Spiritus illa contraria doceret; constituitur is ab illis falsitatis doctor. Haec est ergo illa reformata, et ad veritatis sinceritatem revocata ab iis Religio. In qua, ut ipsi existimentur verum tenere; Deum ipsum non verentur falsidicum facere. Est de hoc argumento plus iam etiam ad illum Isaiae locum a me dictum, ut necesse non sit disputationem hic modo longius extendere.

35. *Haec dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunae, et stellarum in lumine noctis, qui turbat mare, et sonant fluctus eius; Dominus exercituum nomen illi.* Praepositio *in* hic utrobique magis cum suo nomine in quarto casu construeretur. Est in Hebraeo litera *Lamed* huius praepositionis loco, quae omnino illum casum recipit.
36. *Si defecerint istae leges coram me, dicit Dominus, tunc et semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus.* Deficient autem, et desinent hae leges, quibus modo gubernantur sol, et luna ceteraque sidera ad praebendum mundo lumen, efficiendamque hanc dierum, atque noctium vicissitudinem. Qua de re sic est apud S. Petrum Epist. 2. cap. 3. v. 10. „Adveniet autem dies Domi„ni, ut fur, in quo caeli magno impetu transient, ele-

„menta vero calore solventur, terra autem, et quae „in ipsa sunt opera, exurentur. Cum igitur haec omnia „dissolvenda sint, quales oportet vos esse in san„ctis conversationibus, et pietatibus exspectantes, „et properantes in adventum diei Domini, per „quem caeli ardentes solventur, et elementa ignis „ardore tabescent?“ Sed res, quae in mundo inter res visibiles maximam habent stabilitatem, sunt tantum per modum assimilationis eatenus assumptae, quatenus hae, quamdiu mundus durabit, defecturae in conversionibus, atque motibus suis, quos sibi praescriptos a Deo habent, non sint; et quam hae leges istorum motuum inviolate servantur a sideribus; tam fixum, atque firmum esse intelligatur illud, quod Deus promisit de conservatione perpetua sui Israelitici populi: „Si irritum potest fieri „pactum meum cum die, et pactum meum cum „nocte, ut non sit dies, et nox in tempore suo“ est etiam infra hoc cap. 33. v. 20. de lege siderum, qua nunc peragunt suos cursus, pro asseveratione firmitatis eius, quod ibi promittitur assumptum. Non ergo hae leges ultra hunc mundum extendendae sunt, quae pro illo tempore positae a Deo non sunt; sed ex accuratione, quam tenent sidera, quamdiu mundus durabit, ut in motibus suis numquam mentiantur; similitudo tantum veracitatis petitur ad illud quoque, quod Deus promisit de perpetuitate sui populi, atque ex hac Dei potentia, quae conspicua nobis in motibus siderum est; illa etiam inducitur, atque confirmatur; qua conservaturus est in perpetuum suum populum.

37. *Haec dicit Dominus : si mensurari potuerint caeli sursum, et investigari fundamenta terrae deorsum ; et ego abiiciam universum semen Israel, propter omnia, quae fecerunt, dicit Dominus.* Scilicet ab homine, si illae mensurationes fieri possent, nam Deo altitudo illa, et profunditas nota est, tunc etiam fieri posset, ut Deus semen omne Israel a se abiiciat. Equidem Mathematici non quidem altitudinem caeli ad fixa usque sidera, sed diametri tamen telluris, atque adeo eius etiam distantiae ad centrum metiendae scientiam aliquam volunt existimari a se teneri, sed esse certam, et adcuratam nec illi dicunt utpote quae certam, et indubitatam demonstrationis rationem non habeat, et prospectui tantum oculorum, quousque se visus noster extendit, innitatur. Et si illi hoc de se iactarent, num propterea illorum assertio haec adversus Scripturae auctoritatem, quae negat hanc sciendi facultatem, praevaleret? Propter omnia autem, quae fecerunt, dicit tamen Deus se universum semen Israel numquam esse abiecturum. Hoc, quid sit, ex simili loco, et promissione, quae Christo, filio Davidis facta est, intelligitur. Sic enim est in Psalmo 88. versu 31. „Si autem dereliquerint filii eius legem „meam, et in iudiciis meis non ambulaverint, si „iustitias meas profanaverint, et mandata mea non „custodierint; visitabo in virga iniquitates eorum, „et in verberibus peccata eorum; misericordiam „autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea, neque profanabo testamen-

„tum

„tum meum, et quae procedunt de labiis meis, „non faciam irrita. Semel iuravi in sancto meo, si „David mentiar: Semen eius in aeternum manebit.“ Promittit ergo Deus, quod quidquid in contrarium fieret ab Israelitis secundum spiritum; tamen se foedus erga illos a se factum inviolate servaturum, neque se se illos propter eorum transgressiones a se abiecturum, quemadmodum abiecit priores veteris foederis Israelitas.

38. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et aedificabitur civitas Domino a turre Hananeel usque ad portam anguli.* 39. *Et exibit ultra norma mensurae in conspectu eius super collem Careb, et circuibit Goatha,* 40. *et omnem vallem cadaverum, et cineris, et universam regionem mortis usque ad torrentem Cedron, et usque ad angulum portae equorum Orientalis sanctum Domini. Non evelletur, et non destruetur ultra in perpetuum.* Ubi reaedificanda esset civitas, post captivitatem videlicet, docet Propheta, quanta illius amplitudo futura sit. Sed non stricte ad illam urbis aedificationem hoc pertinere, quae facta est post reditum ex Babylonia; illud demonstrat, quod urbem, quam sic per illos terminos dicit aedificandam, pronunciet non iri destructum in perpetuum. Nam illa, quam aedificarunt reduces ex Babylonia, destructa, et eversa est funditus per Romanos. Itaque sub hac imagine, et typo restaurandae urbis post captivitatem, quaeque per istos terminos, qui memorantur, sit latissime extendenda, atque diffundenda; altius re-

spicitur ad spiritualem Jerosolymam. Nec omnino certum est, an illa in hac amplitudine, quae hic describitur, fuerit civitas, quae est aedificata post Babylonicam captivitatem, et diserte S. Hieronymus in Commentario suo dicit hoc demonstrari non posse. Turris Hananeel, et portae anguli fit mentio Nehemiae 3. v. 1. et Zachariae 14. v. 10. in urbis illius post captivitatem facta restauratione: reliqua autem nuspiam. Existimandum tamen est, reliqua etiam omnia loca, quae hic a Propheta commemorantur, aut intra ambitum ipsius Jerosolymae, vel extra fuisse, sic tamen, ut habitatoribus loca essent nota, et per quae delineationem urbis modo duxit, quaeque, ut iam dictum est de aedificatione spirituali et Ecclesiae exstructione intelligi voluerit. Jam enim etiam in principio istius prophetiae, quae hoc capite proponitur, versu 4. praecessit: „Rursumque aedificabo te, et aedificaberis virgo „Israel.“ Quod ad conversionem gentium et illam aedificationem, qua fideles per fidem consociantur ad unam Christi Ecclesiam, pertinere, ibi declaratum est. Est igitur haec de reaedificatione Jerosolymae modo tantum iterum facta sermonis repetitio, reique ulterior declaratio.

CAPVT XXXII.

Jeremias clausus ad carcerem ab Sedecia rege, quod de expugnanda urbe ab Chaldaeis praedictionem fecisset, agrum sibi a patruele suo emit in signum, futurum, ut iterum regio incolatur, et possideatur ab Judaeis.

1. *VERBUM, quod factum est ad Jeremiam a*
Domino, in anno decimo Sedeciae regis Juda, ipse
est annus decimus octavus Nabuchodonosor. 2. *Tunc*
exercitus regis Babylonis obsidebat Jerusalem, et
Jeremias propheta erat clausus in atrio carceris,
qui erat in domo regis Juda. 3. *Clauserat enim*
eum Sedecias rex Juda, dicens: quare vaticinaris
dicens: Haec dicit Dominus: Ecce ego dabo ci-
vitatem istam in manus regis Babylonis, et capiet
eam: 4. *et Sedecias rex Juda non effugiet de ma-*
nu Chaldaeorum, sed tradetur in manus regis Ba-
bylonis, et loquetur os eius cum ore illius, et oculi
eius oculos illius videbunt. 5. *Et in Babylonem du-*
cet Sedeciam, et ibi erit, donec visitem eum, ait
Dominus. „Prudenter, ait S. Hieronymus, senten-„tiam temperavit, quae ad bonam, et ad malam „partem referri potest. Visitatio enim, ut saepe „dixi, et consolationem significat, et supplicium.“ Fuit autem Sedecias oculis orbatus a Nabuchodonosore, et ita ductus in Babyloniam. 4. Reg. 25. v. 7. Nec ulterius Scriptura alicubi, quid ei acciderit, memorat. Quare de obitu ipsius, ad quem usque futu-

rus esset in Babylonia, haec visitatio illius per Deum videtur intelligenda. *Si autem dimicaveritis adversum Chaldaeos, nihil prosperum habebitis.*

6. *Et dixit Jeremias: Factum est verbum Domini ad me dicens: 7. Ecce Hanameel filius Sellum patruelis tuus veniet ad te dicens: Eme tibi agrum meum, qui est in Anathoth. Tibi enim competit ex propinquitate, ut emas. 8. Et venit ad me Hanameel filius patrui mei secundum verbum Domini ad vestibulum carceris, et ait ad me: Posside agrum meum, qui est in Anathoth in terra Benjamin, quia tibi competit haereditas, et tu propinquus es, ut possideas. Intellexi autem, quod verbum Domini esset. 9. Et emi agrum ab Hanameel filio patrui mei, qui est in Anathoth, et appendi ei argentum septem stateres, et decem argenteos.* Septem stateres sunt in Hebraeo *septem sicli.* (שִׁבְעָה שְׁקָלִים) Item argenteus generale nomen pecuniae pro siclo accipitur in Scriptura. Quare sequitur agrum hunc esse emptum septem, et decem siclis argenti: cuius monetae valorem efficere nostri floreni fere duas tertias partes, iam saepe dictum est. 10. *Et scripsi in libro, et signavi, et adhibui testes, et appendi argentum in statera. 11. Et accepi librum possessionis signatum, et stipulationes, et rata, et signa forinsecus. 12. Et dedi librum possessionis Baruch filio Neri filii Maasiae in oculis Hanameel, patruelis mei, in oculis testium, qui scripti erant in libro emptionis, et in oculis omnium Judaeorum, qui sedebant in atrio*

carceris. 13. *Et praecepi Baruch coram eis dicens:* 14. *Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: sume libros istos, librum hunc emptionis signatum, et librum hunc, qui apertus est, et pone illos in vase fictili, ut permanere possint diebus multis.* In duobus exemplis, quorum alterum esset clausum, alterum apertum, negotiorum transactiones describebantur. ,, Quae emptionum consvetudo, ait S. ,, Hieronymus, hucusque servatur, ut quod intrin- ,, secus clausum signacula continent, hoc legere cu- ,, pientibus apertum volumen exhibeat." 15. *Haec enim dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Adhuc possidebuntur domus, et agri, et vineae in terra ista.*

16. *Et oravi ad Dominum, postquam tradidi librum possessionis Baruch, filio Neri, dicens:* 17. *Heu, heu, heu, Domine Deus! Ecce tu fecisti caelum, et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento. Non erit tibi difficile omne verbum.* 18. *Qui facis misericordiam in millibus, et reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post eos. Fortissime, magne, et potens Dominus exercituum nomen tibi.* Ex Exodi 34. v. 7. huc adhibuit Jeremias testimonium de Deo faciente sic misericordiam, et sic puniente, quodque ibi ad illum Exodi locum iam explicatum est. 19. *Magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu! Cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas, et secundum fructum adinventionum eius.* 20. *Qui posuisti signa,*

et portenta in terra Aegypti usque ad diem hanc, et in Israel, et in hominibus, et fecisti tibi nomen, sicut est dies haec. Hominum generale nomen posuit pro nationibus aliis, et qui non essent Israelitae. Apud quos Deus magnitudinem suae potentiae suis illis prodigiis, quae patrata sunt ab eo per Moysem in Aegypto, declaraverit, unde Dei Israel nomen fieret apud eos magnum, atque omnibus notum, quemadmodum et illo ipso tempore esset, dum istud a Propheta diceretur. 21. *Et eduxisti populum tuum Israel de terra Aegypti in signis, et in portentis, et in manu robusta, et in brachio extento, et in terrore magno.* 22. *Et dedisti eis terram hanc, quam iurasti patribus eorum, ut dares eis terram fluentem lacte, et melle.* 23. *Et ingressi sunt, et possederunt eam, et non obedierunt voci tuae, et in lege tua non ambulaverunt; omnia, quae mandasti eis, ut facerent, non fecerunt, et evenerunt eis omnia mala haec.* 24. *Ecce munitiones exstructae sunt adversus civitatem, ut capiatur, et urbs data est in manus Chaldaeorum, qui praeliantur adversus eam, a facie gladii, et famis, et pestilentiae* Syrus vertit: *prae gladio, fame, et peste;* nectiturque hoc cum eo, quod dixit datam esse in manus Chaldaeorum, quae his rebus attenuata, atque consumpta ultra se defendere non posset, quin tradatur: *et quaecumque locutus es, acciderunt, ut tu ipse cernis.* 25. *Et tu dicis mihi Domine Deus: eme agrum argento, et adhibe testes, cum urbs data sit in manus Chaldaeorum?*

26. Et factum est verbum Domini ad Jere-
miam dicens: 27. Ecce ego Dominus Deus uni-
versae carnis: numquid mihi difficile erit omne
verbum? 28. Propterea haec dicit Dominus: Ecce
ego tradam civitatem istam in manus Chaldaeorum,
et in manus regis Babylonis, et capient eam. 29.
Et venient Chaldaei praeliantes adversum urbem
hanc, et succendent eam igni, et comburent eam,
et domus, in quarum domatibus hoc est, tectis,
sacrificabant Baal, et libabant diis alienis libami-
na ad irritandum me. 30. Erant enim filii Israel,
et filii Juda iugiter facientes malum in oculis meis
ab adolescentia sua: filii Israel, qui usque nunc
exacerbant me in opere manuum suarum, dicit Do-
minus. Tempus adolescentiae respectu totius popu-
li fuit illud, ut iam alias demonstratum est, cum
essent educti ex Aegypto, et agerent in deserto.
31. Quia in furore, et indignatione mea facta est
mihi civitas haec; hoc est: ad furorem, et indi-
gnationem, ad quam Deum provocaverit semper: *a*
die, qua aedificaverunt eam usque ad diem istam,
qua auferetur de conspectu meo, 32. propter ma-
litiam filiorum Israel, et filiorum Juda, quam fe-
cerunt ad iracundiam me provocantes, ipsi, et re-
ges eorum, principes eorum, et sacerdotes eorum,
et prophetae eorum, viri Juda, et habitatores Jerusa-
lem. 33. Et verterunt ad me terga, et non facies, cum
docerem eos diluculo, et erudirem, et nollent audire,
ut acciperent disciplinam. 34. Et posuerunt idola sua
in domo, in qua invocatum est nomen meum, ut

polluerent eam. 35. *Et aedificaverunt excelsa Baal, quae sunt in valle filii Ennon, ut initiarent filios suos, et filias suas Moloch: quod non madavi eis, nec adscendit in cor meum, ut facerent abominationem hanc, et in peccatum deducerent Judam.* 36. *Et nunc propter ista, haec dicit Dominus Deus Israel ad civitatem hanc, de qua vos dicitis, quod tradetur in manus regis Babylonis in gladio, et in fame, et in peste:* Judaei hoc dicebant. Qui sicut antea, tametsi hoc eis praediceretur a Prophetis, credere noluerunt futurum, ut Jerusalem veniret in potestatem hostium; ita hi postea inclinata iam re, et ad casum impulsa de omni prorsus sua salute, gentisque aliqua conservatione, aut restitutione desperaverunt. 37. *Ecce ego congregabo eos de universis terris, ad quas eieci eos in furore meo, et in ira mea, et in indignatione grandi, et reducam eos ad locum istum, et habitare eos faciam confidenter.* 38. *Et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum.* 39. *Et dabo eis cor unum, et viam unam, ut timeant me universis diebus, et bene sit eis, et filiis eorum post eos.* Viam unam, ut timeant me, est iuxta Hebraeum: *Viam unam ad timendum me* (וְדֶרֶךְ אֶחָד לְיִרְאָה אוֹתִי) Hoc est ergo, ut omnes pariter timeant Deum, et nullus eorum sit absque hoc timore erga eum. 40. *Et feriam eis pactum sempiternum, et non desinam eis benefacere, et timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me.* 41. *Et laetabor super eis, cum bene eis fecero, et plantabo eos in terra ista in ve-*

ritate, in toto corde meo, et in tota anima mea.
42. *Quia haec dicit Dominus: Sicut adduxi super*
populum istum omne malum hoc grande; sic addu-
cam super eos omne bonum, quod ego loquor ad
eos. 43. *Et possidebuntur agri in terra ista, de*
qua vos dicitis, quod deserta sit, eo quod non re-
manserit homo, et iumentum, et data sit in manus
Chaldaeorum. 44. *Agri ementur pecunia, et scri-*
bentur in libro, et imprimetur signum, et testis
adhibebitur in terra Benjamin, et in circuitu Jeru-
salem, in civitatibus Juda, et in civitatibus mon-
tanis, et in civitatibus campestribus, et in civita-
tibus, quae ad Austrum sunt: quia convertam capti-
vitatem eorum, dicit Dominus.

CAPVT XXXIII.

De germine ex Davidis stirpe, qui Iustus Dominus noster sit vocandus, quique Davidis solium teneat in perpetuum.

1. *ET factum est verbum Domini ad Jeremiam*
secundo, cum adhuc clausus esset in atrio carce-
ris dicens: 2. *Haec dicit Dominus, qui facturus*
est, et formaturus illud, et paraturus: Dominus
nomen eius. Intelligitur vero illud facturus, et pa-
raturus, quod modo proxime antecessit superiore
capite de Jerusalem, et Judaea, ut posteaquam
modo ad solitudinem redacta fuerit per Chaldaeos,
rursus reflorescat, et incolatur ab Judaeis. Sed sub
quo, tamquam typo respectus fiat ad convocatio-

nem gentium in unam Christi Ecclesiam. 3. *Clama ad me, et exaudiam te, et annunciabo tibi grandia, et firma, quae nescis.* Promissa haec intelliguntur erga eamdem Jerusalem. De quibus deinde succedit sermo. 4. *Quia haec dicit Dominus Deus Israel ad domos urbis huius, et ad domos regis Juda, quae destructae sunt, et ad munitiones, et ad gladium* 5. *venientium, ut dimicent cum Chaldaeis, et impleant eas cadaveribus hominum:* qui nimirum infeliciter pugnando ipsi urbem, et munitiones suas cadaveribus suis repleturi essent: *quos percussi in furore meo, et in indignatione mea, abscondens faciem meam a civitate hac, propter omnem malitiam eorum:* 6. *Ecce ego obducam eis cicatricem, et sanitatem, et curabo eos, et revelabo illis deprecationem pacis, et veritatis:* Hebraice: *abundantiam pacis, et veritatis* (עֲתֶרֶת שָׁלוֹם וֶאֱמֶת) 7. *Et convertam conversionem Juda, et conversionem Jerusalem, et aedificabo eos, sicut a principio.* Conversio Hebraice *Schebuth* captivitas. 8. *Et emundabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi; et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, et spreverunt me.* 9. *Et erit mihi in nomen, et in gaudium, et in laudem, et exultationem cunctis gentibus terrae, quae audierunt omnia bona, quae ego facturus sum eis: et pavebunt, et turbabuntur in universis bonis, et in omni pace, quam ego faciam eis.* Id, quod Deus suo populo se se dicit facturum; pronunciatur futurum in exultationem

cunctis gentibus. Hae ergo intelliguntur gentes, quae in consortium eorumdem bonorum, quae Deus Judaeis praestiturus est, essent venturae. Eaedemque gentes pavebunt, et turbabuntur: non ergo ex tristi metu, sed ad magnitudinem Divinae potentiae, qua eis bona haec praestita, et collata sunt.

10. *Haec dicit Dominus: adhuc audietur in loco isto, quem vos dicitis esse desertum, eo quod non sit homo, nec iumentum in civitatibus Juda, et foris Jerusalem, quae desolatae sunt absque homine, et absque habitatore, et absque pecore,*
11. *vox gaudii, et vox laetitiae, vox sponsi, et vox sponsae, vox dicentium: Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in aeternum misericordia eius, et portantium vota in domum Domini. Reducam enim conversionem terrae, sicut a principio, dicit Dominus.*
12. *Haec dicit Dominus exercitum: Adhuc erit in loco isto deserto absque homine, et absque iumento, et in cunctis civitatibus eius habitaculum pastorum accubantium gregum.*
13. *In civitatibus montuosis, et in civitatibus campestribus, et in civitatibus, quae ad Austrum sunt, et in terra Benjamin, et in circuitu Jerusalem, et in civitatibus Juda adhuc transibunt greges ad manum numerantis, ait Dominus.* In decimatione hoc observabatur, ut oves non denso ordine emissae transirent infra virgam pastoris, et decima quaeque segregaretur, prout in ordine decima haec infra pastoris virgam venisset sine aliquo delectu, vel alterius pro altera substitu-

tione, ut est Levitici 27. v. 32. Iuxta hunc igitur morem dicitur futurum, ut iterum peragantur decimationes.

14. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo verbum bonum, quod locutus sum ad domum Israel, et ad domum Juda.* 15. *In diebus illis, et in tempore illo germinare faciam David Germen iustitiae, et faciet iudicium, et iustitiam in terra.* Illud, de quo etiam apud Jsaiam cap. 11. v. 1. est. „Egredietur virga de radice Jesse, et flos de „radice eius adscendet, " est Germen hoc iustitiae, et Filius, quem Deus Davidi suscitaturum se dicit. 16. *In diebus illis salvabitur Juda, et Jerusalem habitabit confidenter, et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus Iustus noster.* Nomen hoc illius esse, pro eo positum est, atque si dictum esset, hoc illum futurum: quemadmodum et apud Jsaiam 9. v. 6. est: „Vocabitur nomen eius ad„mirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri „seculi, princeps pacis." Item Jsaiae 7. v. 14. „Vocabitur nomen eius Emmanuel." Ubi etiam ostenditur tantum, quis ille futurus esset, non quasi istis nominibus communiter appellaretur.

17. *Quia haec dicit Dominus: Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel.* Non interibit, hoc est: non cessabit, non desinet esse aliquis, qui sit rex ex eius stirpe super Israel. Christus autem intelligitur, de quo Angelus ad Mariam dixit: „Regnabit in domo Jacob „in aeternum, et regni eius non erit finis." Luc.

1. v. 32. 18. *Et de sacerdotibus, et Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata, et incendat sacrificium, et caedat victimas omnibus diebus.* In Apocalypsi cap. 5. v. 10. viginti quatuor seniores „Et fecisti nos, inquiunt, Deo „nostro regnum, et sacerdotes, et regnabimus su- „per terram.“ Nomine igitur sacrificiorum, quae con- sueverant esse in veteri testamento, intelliguntur hic hostiae laudis, et vituli labiorum, quibus in omne aevum indesinenter celebrabunt Deum Sancti in caelo: Sicut enim hi perpetui futuri sunt sacerdotes, ita victimas Deo etiam numquam non offerent.

19. *Et factum est verbum Domini ad Jeremiam dicens: 20. Haec dicit Dominus: Si irritum potest fieri pactum meum cum die, et pactum meum cum nocte, ut non sit dies, et nox in tempore suo; 21. et pactum meum irrituum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in throno eius, et Levitae, et sacerdotes ministri mei. 22. Sicut enumerari non possunt stellae caeli, et metiri arena maris, sic multiplicabo semen David servi mei, et Levitas ministros meos.* Fideles unam domum, et familiam constituunt sub capite, et principe suo Christo: et qui istorum etiam Pater sit: siquidem per illum regenerati ad vitam sint: et ob quam causam iidem fideles semen etiam, et posteri Christi vocantur Psalmo 21. v. 31. Ubi David in persona Christi dicit: „Et anima mea „illi vivet, et semen meum serviet ipsi.“ 23. *Et factum est verbum Domini ad Jeremiam dicens:*

24. *Numquid non vidisti, quid populus hic locutus sit, dicens: duae cognationes, quas elegerat Dominus, abiectae sunt, et populum meum despexerunt, eo quod non sit ultra gens coram eis.* Duae cognationes iuxta Hebraeum *duae familiae* (שְׁתֵּי הַמִּשְׁפָּחוֹת) sunt. Intelliguntur autem duae hae familiae Davidis, et Aaroris, quarum alteram Deus ad regiam dignitatem, alteram ad sacerdotalem gerendam elegerit, et constituerit, et quae utraque depressa, et imminuta calamitate illa hostili iam sic erat; ut ambae viderentur ad suum exitium penitus esse deductae, et de quibus conservandis iam Judaei desperarent, itemque, cum se viderent ad summam paucitatem, et exiguitatem esse redactos, nec se ipsos iam pro populo, et natione aliqua haberent. Adversus hanc ergo desperationem de sui aliqua conservatione, qui se penitus interituros iam crederent, et formidarent, hoc a Deo est ad Jeremiam dictum. 25. *Haec dicit Dominus: Si pactum meum inter diem, et noctem, et leges caelo, et terrae non posui,* 26. *equidem et semen Jacob, et David servi mei proiiciam, ut non assumam de semine eius principes seminis Abraham, Jsaac, et Jacob. Reducam enim conversionem* captivitatem *eorum, et miserebor eis.* Semen Abraham, Jsaac, et Jacob sunt horum posteri. Ex quo semine Jacob vero principes futuri totius illius Israelitici populi, qui secundum Spiritum fidei filii essent Abrahae, intelliguntur Apostoli: super quos, velut super fundamentum aedificata est Ecclesia Ephes. 2. v. 20. Apoc. 21. v. 14.

Semen vero Davidis intelligitur ipse Christus principum omnium summus princeps, et veluti angularis lapis inter ceteros lapides fundamenti.

CAPVT XXXIV.

Cum Sedecias rex, et populus se se obstrinxissent Deo dimissuros se esse servos, et ancillas e servitute, genere Hebraeas, atque istud deinde non servavissent, Jeremias tam Sedeciae, quam toti populo in huius rei vicem denunciat futurum, ut in manus, et potestatem deveniant regis Chaldaeorum.

1. *VERBUM, quod factum est ad Jeremiam a Domino, quando Nabuchodonosor rex Babylonis, et omnis exercitus eius, universaque regna terrae, quae erant sub potestate manus eius, et omnes populi bellabant contra Jerusalem, et contra omnes urbes eius dicens: 2. Haec dicit Dominus Deus Israel: Vade, et loquere ad Sedeciam regem Juda, et dices ad eum: Haec dicit Dominus: Ecce ego tradam civitatem hanc in manus regis Babylonis, et succendet eam igni. 3. Et tu non effugies de manu eius, sed comprehensione capieris, et in manu eius traderis, et oculi tui oculos regis Babylonis videbunt, et os eius cum ore tuo loquetur, et Babylonem introibis. 4. Attamen audi verbum Domini Sedecia rex Juda: Haec dicit Dominus ad te: Non morieris in gladio, 5. sed in pace morieris, et secundum combustiones patrum tuorum, regum*

priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te, et vae Domine, plangent te: quia verbum ego locutus sum, dicit Dominus. Comburent te, ex Hebraeo etiam sic verti potest: *Comburent tibi.* (יִשְׂרְפוּ־לָךְ) Et non erat moris apud Hebraeos defunctorum cadavera cremare. In splendidis autem, et sumptuosis funeribus, qualia regum esse solebant, accendebantur, et urebantur odores: quemadmodum de Asa rege est 2. Paral. 16. v. 14. super eum defunctum aromata fuisse combusta ambitione nimia. 6. *Et locutus est Jeremias propheta ad Sedeciam regem Juda universa verba haec in Jerusalem.* 7. *Et exercitus regis Babylonis pugnabat contra Jerusalem, et contra omnes civitates Juda, quae reliquae erant, contra Lachis, et contra Azecha. Hae enim supererant de civitatibus Juda urbes munitae.*

8. *Verbum, quod factum est ad Jeremiam a Domino, postquam percussit rex Sedecias foedus cum omni populo in Jerusalem praedicans,* 9. *ut dimitteret unusquisque servum suum, et unusquisque ancillam suam, Hebraeum, et Hebraeam, liberos, et nequaquam dominarentur eis, id est in Judaeo, et fratre suo.* Legem habebant Judaei, ut servos, et servas ex genere Hebraeo post servitutis annos sex liberos dimitterent, et ne perpetua servitute oppressos illos tenerent Exod. 21. v. 2. Deut. 15. v. 12. Hanc igitur legem hortatore rege nunc exsecutioni mandarunt, ut hoc apertius deinde est subsequentibus versibus, sed una etiam statim factum

factum hoc suum, iniqua poenitentia ducti revocaverunt, servosque, quibus iam libertatem concesserant, ad servitutem vi retraxerunt. 10. *Audierunt ergo omnes principes, et universus populus, qui inierant pactum, ut dimitteret unusquisque servum suum, et unusquisque ancillam suam liberos, et ultra non dominarentur eis. Audierunt igitur, et dimiserunt.* 11. *Et conversi sunt deinceps, et retraxerunt servos, et ancillas suas, quos dimiserant liberos, et subiugaverunt in famulos, et in famulas.* 12. *Et factum est verbum Domini ad Jeremiam a Domino dicens:* 13. *Haec dicit Dominus Deus Israël: Ego percussi foedus cum patribus vestris in die, qua eduxi eos de terra Aegypti de domo servitutis dicens:* 14. *Cum completi fuerint septem anni, dimittat unusquisque fratrem suum Hebraeum, qui venditus est ei, et serviet tibi sex annis, et dimittes eum a te liberum, et non audierunt patres vestri me, nec inclinaverunt aurem suam.* Diserte dicitur, ut posteaquam sex annis servus servivisset, liber dimitteretur. Quod ergo isto versu modo fuit sic: *Cum completi fuerint septem anni*, id de septennio, in quo annus septimus tantummodo sit inchoatus, est intelligendum. Sic quamquam circumcisio fieret octavo a nativitate die; tamen de Christo Lucas Evangelista cap. 2. v. 21. dixit: „Postquam consummati sunt dies octo, „ut circumcideretur Puer:“ octoque dies cum dicantur esse completi, tamen octavus in hoc numero dies, qui praesens adhuc tum esset, et non-

dum elapsus, comprehendebatur. 15. *Et conversi estis vos hodie, et fecistis, quod rectum est in oculis meis, ut praedicaretis libertatem unusquisque ad amicum suum, et iniistis pactum in conspectu meo, in domo, in qua invocatum est nomen meum super eam.* 16. *Et reversi estis, et commaculastis nomen meum, et reduxistis unusquisque servum suum, et unusquisque ancillam suam, quos dimiseratis, ut essent liberi, et suae potestatis, et subiugastis eos, ut sint vobis servi, et ancillae.* Amici nomen est positum pro eo, quem nos vocare solemus proximum. Quo in numero certe etiam habendi sunt servi. 17. *Propterea haec dicit Dominus: Vos non audistis me, ut praedicaretis libertatem unusquisque fratri suo, et unusquisque amico.* Iidem servi fratrum etiam nomine compellantur, qui ex iisdem patriarchis descenderent, et originem ducerent, ex quibus ipsi. *Ecce ego praedico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem, et ad famem, et dabo vos in commotionem cunctis regnis terrae.* Movere se, aut caput super aliquem denotat Scripturae phrasi iam stuporem, et admirationem de re, quae accidit; iam commiserationem, iam etiam insultationem in malo, quod alicui, cui quis infensus est, evenit. Quocumque vero modo commotio hic ista sumatur, significabit gravem illorum casum, et adversitatem, cuius solo adspectu alii moveantur. 18. *Et dabo viros, qui praevaricantur foedus meum, et non observaverunt verba foederis, quibus assensi sunt in*

conspectu meo, vitulum, quem conciderunt in partes duas, et transierunt inter divisiones. Ritus obtinebat, ut in sanciendis foederibus victima, quae foederis feriendi causa erat caesa, bifariam divisa collocaretur, perque medium deinde illius ii, qui foedus feriebant, transirent. Qua de re iam etiam ad Geneseos 15. v. 17. dictum est. 19. *Principes Juda, et principes Jerusalem, eunuchi, et sacerdotes, et omnis populus terrae, qui transierunt inter divisiones vituli:* 20. *et dabo eos in manus inimicorum suorum, et in manus quaerentium animam eorum: et erit morticinum eorum in escam volatilibus caeli, et bestiis terrae.* 21. *Et Sedeciam regem Juda, et principes eius dabo in manus inimicorum suorum, et in manus quaerentium animas eorum, et in manus exercituum regis Babylonis, qui recesserunt a vobis.* 22. *Ecce ego praecipio, dicit Dominus, et reducam eos in civitatem hanc, et praeliabuntur adversus eam, et capient eam, et incendent igni: et civitates Juda dabo in solitudinem, eo quod non sit habitator;* ita ut non sit habitator.

CAPUT XXXV.

Rechabitarum exemplo, qui ob praeceptum Jonadab patris sui semper a vino abstinuerunt, redarguit Judaeos Deus, quod ipsi minore observantia ducerentur erga Deum, quam illi erga suum parentem.

1. *VERBUM, quod factum est ad Jeremiam a Domino in diebus Joakim filii Josiae regis Juda, dicens:* 2. *Vade ad domum Rechabitarum, et loquere eis, et introduces eos in domum Domini in unam exedram thesaurorum, et dabis eis bibere vinum.* Rechabitae alio nomine etiam Cinaei sunt appellati, originemque duxerunt ab Jethrone socero Moysis. 1. Paral. 2. v. 55. Judicum 1. v. 16. Itaque Rechab fuit aliquis ex maioribus in ipsorum familia, ex quo nomen hoc Rechabitarum habuerunt, ut sequetur adhuc infra. Exedra thesaurorum est in Hebraeo: Introduces eos *ad unum cubiculum.* (אֶל אַחַת הַלְּשָׁכוֹת) Exedra autem Graecum est vocabulum, quod significat sedem. 3. *Et assumpsi Jezoniam filium Jeremiae, filii Habsaniae, et fratres eius, et omnes filios eius, et universam domum Rechabitarum.* 4. *Et introduxi eos in domum Domini ad gazophylacium filiorum Hanan filii Jegedeliae hominis Dei, quod erat iuxta gazophylacium principum super thesaurum Maasiae filii Sellum, qui erat custos vestibuli.* Describitur, et determinatur, ubi fuerit gazophylacium filiorum Ha-

nan, quo duxit Jeremias Rechabitas, quod nimi-
rum fuerit iuxta gazophylacium principum, infra se
vero habuerit gazophylacium, ubi thesaurus Maa-
siae servabatur. 5. *Et posui coram filiis domus Re-
chabitarum scyphos plenos vino, et calices, et dixi
ad eos: bibite vinum.* 6. *Qui responderunt: non
bibemus vinum: quia Jonadab filius Rechab, pater
noster, praecepit nobis dicens: non bibetis vinum
vos, et filii vestri usque in sempiternum:* 7. *et do-
mum non aedificabitis, et sementem non seretis,
et vineas non plantabitis, nec habebitis: sed in
tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut
vivatis diebus multis super faciem terrae, in qua
vos peregrinamini.* 8. *Obedivimus ergo voci Jona-
dab filii Rechab, patris nostri, in omnibus, quae
praecepit nobis, ita ut non biberemus vinum cun-
ctis diebus nostris, nos, et mulieres nostrae, filii,
et filiae nostrae:* 9. *et non aedificaremus domos
ad habitandum, et vineam, et agrum, et sementem
non habuimus.* 10. *Sed habitavimus in tabernacu-
lis, et obedientes fuimus iuxta omnia, quae prae-
cepit nobis Jonadab pater noster.* 11. *Cum autem
adscendisset Nabuchodonosor rex Babylonis ad
terram nostram, diximus: venite, et ingrediamur
Jerusalem a facie exercitus Chaldaeorum, et a fa-
cie exercitus Syriae, et mansimus in Jerusalem.*

12. *Et factum est verbum Domini ad Jere-
miam, dicens:* 13. *Haec dicit Dominus exercituum
Deus Israel: Vade, et dic viris Juda, et habita-
toribus Jerusalem: Numquid non recipietis disci-*

plinam, ut obediatis verbis meis, dicit Dominus?
14. *Praevaluerunt sermones Jonadab, filii Rechab,*
quos praecepit filiis suis, ut non biberent vinum:
et non biberunt usque ad diem hanc, quia obedie-
runt praecepto patris sui. Ego autem locutus sum
ad vos de mane consurgens, et loquens, et non
obedistis mihi. 15. *Misique ad vos omnes servos*
meos prophetas, consurgens diluculo, mittensque,
et dicens: Convertimini unusquisque a via sua pes-
sima, et bona facite studia vestra, et nolite sequi
deos alienos, neque colatis eos, et habitabitis in
terra, quam dedi vobis, et patribus vestris: et
non inclinastis aurem vestram, neque audistis me.
16. *Firmaverunt igitur filii Jonadab, filii Rechab,*
praeceptum patris sui, quod praeceperat eis: po-
pulus autem iste non obedivit mihi. 17. *Idcirco haec*
dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce
ego adducam super Juda, et super omnes habita-
tores Jerusalem universam afflictionem, quam lo-
cutus sum adversum illos, eo quod locutus sum ad
illos, et non audierunt; vocavi illos, et non re-
sponderunt mihi. 18. *Domui autem Rechabitarum*
dixit Jeremias: Haec dicit Dominus exercituum,
Deus Israel: Pro eo, quod obedistis praecepto
Jonadab patris vestri, et custodistis omnia man-
data eius, et fecistis universa, quae praecepit vobis,
19. *propterea haec dicit Dominus exercituum Deus*
Israel: Non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Re-
chab stans in conspectu meo cunctis diebus. Stare
in conspectu Dei cum Sacerdotum, Levitarumque

ministrationem significet, quasi servorum ante Dominum suum; tum referri etiam hoc potest ad favorem Dei erga eum, quem coram se, et in oculis suis libenter fert, sicut e contrario aversio vultus malum affectum denotat. Cum autem priore modo hoc de Rechabitis non possit sumi, qui neque Sacerdotes, neque Levitae fuerunt; consequitur, ut de favore Dei erga illos sit accipiendum, quo stirpem eorum ita conservet, ut non deficiat. Itaque longaevam conservationem familiae illis Deus pollicitus est.

CAPUT XXXVI.

Jeremias clausus in carcere dictat Barucho librum, ut hunc deinde publice in templo legat. Quem vero ad se allatum Joakim rex conscidit, et combussit. In cuius locum Jeremias rursus alterum scribit, multo etiam pluribus, et gravioribus minis refertum, quam fuerit prior.

1. *ET factum est in anno quarto Joakim filii Josiae, regis Juda, factum est verbum hoc ad Jeremiam a Domino dicens:* 2. *Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba, quae locutus sum tibi adversum Israel, et Judam, et adversum omnes gentes, a die, qua locutus sum ad te, ex diebus Josiae usque ad diem hanc.* 3. *Si forte audiente domo Juda universa mala, quae ego cogito facere eis, revertatur unusquisque a*

via sua pessima, et propitius ero iniquitati, et peccatis eorum. 4. *Vocavit ergo Jeremias Baruch filium Neriae, et scripsit Baruch ex ore Jeremiae omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum, in volumine libri.* 5. *Et praecepit Jeremias Baruch, dicens: Ego clausus sum, nec valeo ingredi domum Domini.* 6. *Ingredere ergo tu, et lege de volumine, in quo scripsisti ex ore meo verba Domini audiente populo in domo Domini in die ieiunii, insuper et audiente universo Juda, qui veniunt de civitatibus suis, leges eis.* 7. *Si forte cadat oratio eorum in conspectu Domini, et revertatur unusquisque a via sua pessima: quoniam magnus furor, et indignatio est, quam locutus est Dominus adversus populum hunc.* Si forte cadat oratio, hoc est, si forte ipsi vertantur ad deprecandum Deum, et coram eo prosternant suas preces. Qui precibus illorum motus, deinde illis parcat. 8. *Et fecit Baruch, filius Neriae, iuxta omnia, quae praeceperat ei Jeremias propheta, legens ex volumine sermones Domini in domo Domini.* 9. *Factum est autem in anno quinto Joakim filii Josiae, regis Juda in mense nono, praedicaverunt ieiunium in conspectu Domini omni populo in Jerusalem, et universae multitudini, quae confluxerat de civitatibus Juda in Jerusalem.* 10. *Legitque Baruch ex volumine sermonis Jeremiae in domo Domini, in gazophylacio Gamariae filii Saphan scribae in vestibulo superiori, in introitu portae novae domus Domini audiente omni populo.*

11. *Cumque audisset Michaeas filius Gama-*
riae filii Saphan omnes sermones Domini ex libro;
12. *descendit in domum regis ad gazophylacium*
scribae, et ecce ibi omnes principes sedebant: Eli-
sama scriba, et Dalajas filius Semeiae, et Elna-
than filius Achobor, et Gamarias filius Saphan,
et Sedecias filius Hananiae, et universi principes.
13. *Et nunciavit eis Michaeas omnia verba, quae*
audivit legente Baruch ex volumine in auribus po-
puli. 14. *Miserunt igitur omnes principes ad Ba-*
ruch Judi, filium Nathaniae, filii Selemiae, filii
Chusi, dicentes: Volumen, ex quo legisti audien-
te populo, sume in manu tua, et veni. Tulit er-
go Baruch, filius Neriae, volumen in manu sua,
et venit ad eos. 15. *Et dixerunt ad eum: Sede,*
et lege haec in auribus nostris. Et legit Baruch
in auribus eorum. 16. *Igitur cum audissent omnia*
verba, obstupuerunt unusquisque ad proximum
suum, et dixerunt ad Baruch: nunciare debemus
regi omnes sermones istos. 17. *Et interrogaverunt*
eum dicentes: indica nobis, quomodo scripsisti
omnes sermones istos ex ore eius? 18. *Dixit autem*
eis Baruch: ex ore suo loquebatur, quasi legens, ad
me omnes sermones istos, et ego scribebam in vo-
lumine atramento. 19. *Et dixerunt principes ad*
Baruch: vade, et abscondere tu, et Jeremias, et
nemo sciat, ubi sitis. Superius versu 5. Jeremiam
modo, cum librum Barucho dictavisset, et eum
ad templum cum libro misisset, fuisse clausum, et
qui hac ipsa de causa Barucho negotium hoc lectio-

nis commisserit, quod ipse ire non posset ad templum. Consequens ergo est, fuisse illum modo dimissum ex carcere a principibus, qui se abscondere, et recipere aliquo ad latebras aliter non posset. Ex quo vero iterum illud etiam consequitur, fuisse Jeremiam ab his principibus iniussu regis missum ad carcerem: et qui qua auctoritate eum miserunt ad carcerem, eadem etiam dimittere potuerint.

20. *Et ingressi sunt ad regem in atrium: porro volumen commendaverunt in gazophylacio Elisamae scribae, et nunciaverunt audiente rege omnes sermones.* 21. *Misitque rex Judi, ut sumeret volumen. Qui tollens illud de gazophylacio Elisamae scribae legit audiente rege, et universis principibus, qui stabant circa regem.* 22. *Rex autem sedebat in domo hiemali in mense nono.* Nostro mensi Novembri ex parte nonus etiam apud eos mensis respondit, siquidem annum ordirentur mense nostro Martio in aequinoctio verno. 23. *Cumque legisset Judi tres pagellas, vel quatuor; scidit illud scalpello scribae, et proiecit in ignem, qui erat super arulam, donec consumeretur omne volumen igni, qui erat in arula.* Rex librum scidit, et combussit, de quo inferius versu 25. est, cum tres ex primoribus ei obstitissent, et dehortati eum essent, ne librum c ombureret, quod eos audire noluerit. 24. *Et non timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua, rex, et omnes servi eius, qui audierunt universos sermones istos.* 25. *Verumtamen Elnathan, et Dalajas, et Gamarias contradixe-*

runt regi, ne combureret librum, et non audivit eos. 26. *Et praecepit rex Jeremiel filio Amelech, et Sarajae filio Ezriel, et Selemiae filio Abdeel, ut comprehenderent Baruch scribam, et Jeremiam prophetam. Abscondit autem eos Dominus.*

27. *Et factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam, postquam combusserat rex volumen, et sermones, quos scripserat Baruch ex ore Jeremiae, dicens:* 28. *Rursum tolle volumen aliud, et scribe in eo omnes sermones priores, qui erant in primo volumine, quod combussit Joakim rex Juda.* 29. *Et ad Joakim regem Juda dices: Haec dicit Dominus: Tu combussisti volumen illud, dicens: quare scripsisti in eo annuncians: Festinus veniet rex Babylonis, et vastabit terram hanc, et cessare faciet ex illa hominem, et iumentum.* 30. *Propterea haec dicit Dominus contra Joakim regem Juda: Non erit ex eo, qui sedeat super solium David, et cadaver eius proiicietur ad aestum per diem, et ad gelu per noctem.* Eadem haec est, quae eius sepultura, asini sepultura fuit vocata supra cap. 22. v. 19. Successit vero illi in regia dignitate Joachin, vel alio nomine Jechonias filius. 4. Reg. 24. v. 6. Sed cum tres menses tantum duravisset haec eius dignitas, abductus siquidem captivus est in Babyloniam, ut est eodem illo libri quarti Regum citato capite, breve hoc eius spatium consideratur, quasi nec esset; et cum excussus esset ex dignitate; ad hanc ipsam excussionem ipsius stirpis ex throno oraculum

hocce propheticum dirigebatur. 31. *Et visitabo contra eum, et contra semen eius, et contra servos eius, iniquitates suas, et adducam super eos, et super habitatores Jerusalem, et super viros Juda omne malum, quod locutus sum ad eos, et non audierunt.* 32. *Jeremias autem tulit volumen aliud, et dedit illud Baruch filio Neriae scribae. Qui scripsit in eo ex ore Jeremiae omnes sermones libri, quem combusserat Joakim rex Juda igni: et insuper additi sunt sermones multo plures, quam antea fuerant.*

CAPVT XXXVII.

Sub Sedecia cum Chaldaei ab Jerosolyma, quam iam obsidere inceperant, propter adventum Pharaonis regis Aegyptiorum discessissent, Jeremiasque de eventu istius belli per regem consultus fuisset, respondit, Chaldaeos omnino iterum esse redituros, urbemque capturos. Jeremiam volentem ire in Anathoth, velut transfugam ex itinere retrahunt, et in carcerem coniiciunt.

1. *ET regnavit rex Sedecias filius Josiae pro Jechonia filio Joakim, quem constituit regem Nabuchodonosor rex Babylonis in terra Juda.* 2. *Et non obedivit ipse, et servi eius, et populus terrae verbis Domini, quae locutus est in manu Jeremiae prophetae.* 3. *Et misit rex Sedecias Juchal filium Selemiae, et Sophoniam filium Maasiae sacerdotem ad Jeremiam prophetam, dicens: Ora pro*

nobis Dominum Deum nostrum. 4. *Jeremias autem libere ambulabat in medio populi. Non enim miserant eum in custodiam carceris. Igitur exercitus Pharaonis egressus est de Aegypto. Et audientes Chaldaei, qui obsidebant Jerusalem huiuscemodi nuncium, recesserunt ab Jerusalem.* 5. *Et factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam dicens:* 6. *Haec dicit Dominus Deus Israel: Sic dicetis regi Juda, qui misit vos ad me interrogandum: Ecce exercitus Pharaonis, qui egressus est vobis in auxilium, revertetur in terram suam in Aegyptum.* Ad Juchalem, et Sophoniam dirigitur hoc, ut hi istud referrent Sedeciae regi, a quo erant missi ad Jeremiam. Hic vero isti dicuntur missi ad Deum interrogandum, videlicet per Jeremiam: versu autem tertio mittit ipsos rex ad Jeremiam, ut is pro ipsis oret Dominum Deum. Quare haec ipsa oratio eo intelligitur pertinuisse, ut Deum rogaret responsum, deque eventu istius belli scire aliquid certi ut posset. 7. *Et redient Chaldaei, et bellabunt contra civitatem hanc, et capient eam, et succendent eam igni.* 8. *Haec dicit Dominus: Nolite decipere animas vestras, dicentes: euntes abibunt, et recedent a nobis Chaldaei: quia non abibunt.* 9. *Sed et si percusseritis omnem exercitum Chaldaeorum, qui praeliatur adversum vos, et derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati; singuli de tentorio suo consurgent, et incendent civitatem hanc igni.*

10. *Ergo cum recessisset exercitus Chaldaeorum ab Jerusalem propter exercitum Pharaonis;* 11. *egressus est Jeremias de Jerusalem, ut iret in terram Benjamin, et divideret ibi possessionem in conspectu civium.* Ubi verbum: *divideret* Latinus posuit, est in Hebraeo verbum *Chalak.* Quod vero cum hanc dividendi, et partiendi significationem habet; tum etiam alteram hanc: laeve, lubricum esse. Qua substitutione facta Hebraeum sic etiam verti potest, quod aptiorem videtur facere sensum: Egressus est Jeremias *ad lubricandum inde ex medio populi.* (לַחֲלִק מִשָּׁם בְּתוֹךְ הָעָם) Elabi nimirum, et se subducere voluit ex urbe Jerosolyma, quam sciret obsidione rursus cinctum iri, et in qua tot iam adversitates erat perpessus. 12. *Cum ergo pervenisset ad portam Benjamin:* quae scilicet spectabat ad eam partem, qua eundum erat ad tribum Benjamin, *erat ibi custos portae per vices nomine Jerias, filius Selemiae, filii Hananiae, et apprehendit Jeremiam prophetam, dicens: ad Chaldaeos profugis.* 13. *Et respondit Jeremias: Falsum est, non fugio ad Chaldaeos. Et non audivit eum: sed comprehendit Jerias Jeremiam, et adduxit eum ad principes.* 14. *Quamobrem irati principes contra Jeremiam, caesum eum miserunt in carcerem, qui erat in domo Jonathan scribae. Ipse enim praepositus erat super carcerem.* 15. *Itaque ingressus est Jeremias in domum laci:* lacus, vel fovea pro carcere ponitur consvetudine loquendi Hebraeorum, *et in ergastulum, et sedit ibi Je-*

remias diebus multis. 16. *Mittens autem Sedecias*
rex tulit eum, et interrogavit eum in domo sua
abscondite, et dixit: Putasne, est sermo a Do-
mino? Et dixit Jeremias: Est, et ait: in manus
regis Babylonis traderis. 17. *Et dixit Jeremias*
ad regem Sedeciam: Quid peccavi tibi, et servis
tuis, et populo tuo, quia misisti me in domum car-
ceris? 18. *Ubi sunt prophetae vestri, qui prophe-*
tabant vobis, et dicebant: non veniet rex Baby-
lonis super vos, et super terram hanc? 19. *Nunc*
ergo audi, obsecro, domine rex, valeat depreca-
tio mea in conspectu tuo, et ne me remittas in do-
mum Jonathan scribae, ne moriar ibi. 20. *Prae-*
cepit ergo rex Sedecias, ut traderetur Jeremias in
vestibulo carceris, et daretur ei torta panis quoti-
die excepto pulmento, donec consumerentur omnes
panes de civitate. Et mansit Jeremias in vesti-
bulo carceris.

CAPVT XXXVIII.

In coenosum lacum Jeremias demittitur, ut ibi fame intereat, ideo quod futurum praedixisset esse, ut nemo in vita incolumis permaneat, nisi qui sponte transfugeret ad Chaldaeos. Ex lacu Abdemelechi Aethiopis interventu apud Sedeciam educitur Jeremias, et reponitur iterum ad vestibulum carceris: ubi eousque manet, donec urbs caperetur a Chaldaeis.

1. *AUDIVIT autem Saphatias filius Mathan, et*
Gedelias filius Phassur, et Juchal filius Selemiae,

*et Phassur filius Melchiae sermones, quos Jere-
mias loquebatur ad omnem populum, dicens:* 2.
*Haec dicit Dominus: Quicumque manserit in civi-
tate hac, morietur gladio, et fame, et peste: qui
autem profugerit ad Chaldaeos, vivet, et erit ani-
ma eius sospes, et vivens.* 3. *Haec dicit Dominus:
Tradendo tradetur civitas haec in manu exercitus
regis Babylonis, et capiet eam.* 4. *Et dixerunt
principes regi: rogamus, ut occidatur homo iste.
De industria enim dissolvit manus virorum bellan-
tium, qui remanserunt in civitate hac, et manus
universi populi, loquens ad eos iuxta verba haec:
siquidem homo iste non quaerit pacem populo huic,
sed malum.* 5. *Et dixit rex Sedecias: Ecce ipse
in manibus vestris est. Neque enim fas est regem
vobis quidquam negare.* 6. *Tulerunt ergo Jeremi-
am, et proiecerunt eum in lacum Melchiae filii
Amelech, qui erat in vestibulo carceris, et sub-
miserunt Jeremiam funibus in lacum, in quo non
erat aqua, sed lutum. Descendit itaque Jeremias
in coenum.* 7. *Audivit autem Abdemelech Aethiops
vir eunuchus, qui erat in domo regis, quod misis-
sent Jeremiam in lacum. Porro rex sedebat in por-
ta Benjamin.* 8. *Et egressus est Abdemelech de
domo regis, et locutus est ad regem, dicens:* 9.
*Domine mi rex, male fecerunt viri isti omnia, quae-
cumque perpetrarunt contra Jeremiam prophetam,
mittentes eum in lacum, ut moriatur ibi fame. Non
sunt enim panes ultra in civitate.* Ut fame eneca-
retur, fuit Jeremias missus in illum profundum, et
coeno-

coenosum lacum. Hinc vero Abdemelech repetiit causam, cur Deus totam urbem fame plectat propter Jeremiam, quem ipsi fame enectum habere vellent. Itaque ei svasit, ne duriores in illum essent, et ne eum perimerent, cuius supplicium Deo vindice sit redundaturum in totius civitatis caput.

10. *Praecepit itaque rex Abdemelech Aethiopi dicens: tolle tecum hinc triginta viros, et leva Jeremiam prophetam de lacu, antequam moriatur.* 11. *Assumptis ergo Abdemelech secum viris, ingressus est domum regis, quae erat sub cellario, et tulit inde veteres pannos, et antiqua, quae computruerant, et submisit ea ad Jeremiam in lacum per funiculos.* 12. *Dixitque Abdemelech Aethiops ad Jeremiam: Pone veteres pannos, et haec scissa, et putrida sub cubito manuum tuarum, et super funes. Fecit ergo Jeremias sic.* 13. *Et extraxerunt Jeremiam funibus, et eduxerunt eum de lacu. Mansit autem Jeremias in vestibulo carceris.* 14. *Et misit rex Sedecias, et tulit ad se Jeremiam prophetam ad ostium tertium, quod erat in domo Domini, et dixit rex ad Jeremiam: Interrogo ego te sermonem, ne abscondas a me aliquid.* 15. *Dixit autem Jeremias ad Sedeciam: si annunciavero tibi, numquid non interficies me? Et si consilium dedero, non me audies.* 16. *Juravit ego Sedecias Jeremiae clam, dicens: Vivit Dominus, qui fecit nobis animam hanc, si occidero te, et si tradidero te in manus virorum istorum, qui quaerunt animam tuam.* 17. *Et dixit Jeremias ad Sedeciam:*

Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: si profectus exieris ad principes regis Babylonis, vivet anima tua, et civitas haec non succendetur igni: et salvus eris tu, et domus tua. 18. *Si autem non exieris ad principes regis Babylonis; tradetur civitas haec in manus Chaldaeorum, et succendent eam igni, et tu non effugies de manu eorum.* 19. *Et dixit rex Sedecias ad Jeremiam: sollicitus sum propter Judaeos, qui transfugerunt ad Chaldaeos, ne forte tradar in manus eorum, et illudant mihi.* 20. *Respondit autem Jeremias: non te tradent. Audi, quaeso, vocem Domini, quam ego loquor ad te, et bene tibi erit, et vivet anima tua.* 21. *Quod si nolueris egredi, iste est sermo, quem ostendit mihi Dominus:* 22. *Ecce omnes mulieres, quae remanserunt in domo regis Juda, educentur ad principes regis Babylonis, et ipsae dicent: seduxerunt te, et praevaluerunt adversum te viri pacifici tui.* Quos scilicet rex haberet, et existimaret, pacis, atque boni sui esse studiosos, et a quibus nihilominus in praeceps ageretur, dum ei svasores, et hortatores sunt, ne se ultro dedat Chaldaeis. Est igitur ironia in vocabulo: *pacifici:* siquidem hi non pacis, et boni conciliatores erant regi, sed eum perditum ibant suis consiliis: *Demerserunt te in coeno, et in lubrico pedes tuos, et recesserunt a te.* Est hoc etiam adhuc earumdem mulierum dictum, quo utentur erga regem. Et qui eius pacifici postquam demerserint ipsum ad lutum, civitasque in potestatem hostium

venerit; hi ipsi regem deserturi sint. 23. *Et omnes*
uxores tuae, et filii tui educentur ad Chaldaeos,
et non effugies manus eorum, sed in manu regis
Babylonis capieris, et civitatem hanc comburet
igni. 24. *Dixit ergo Sedecias ad Jeremiam: nullus*
sciat verba haec. Non morieris. 25. *Si autem au-*
dierint principes, quia locutus sum tecum, et ve-
nerint ad te, et dixerint tibi: indica nobis, quid
locutus sis cum rege, ne celes nos, et non te in-
terficiemus, et quid locutus est tecum rex; 26.
dices ad eos: Prostravi ego preces meas coram
rege, ne me reduci iuberet in domum Jonathan, et
ibi morerer. 27. *Venerunt ergo omnes principes*
ad Jeremiam, et interrogaverunt eum, et locutus
est eis iuxta omnia verba, quae praeceperat ei rex,
et cessaverunt ab eo. Nihil enim fuerat auditum.
28. *Mansit vero Jeremias in vestibulo carceris*
usque ad diem, quo capta est Jerusalem. Et fa-
ctum est, ut caperetur Jerusalem.

CAPVT XXXIX.

Capitur Jerusalem. Regi ex fuga retracto, et Reblatham in Syriam ad Nabuchodonosorem deducto, eius iussu eruuntur oculi, cum antea in eius conspectu interficerentur eius filii, vinctusque ducitur in Babyloniam. Pauperes de populo relinquuntur in Judaea. Jeremias e carcere eductus liberaliter habetur a Chaldaeis: item Abdemelech Aethiops incolumis servatur.

1. *ANNO nono Sedeciae regis Juda, mense de-*
cimo, venit Nabuchodonosor rex Babylonis, et

omnis exercitus eius ad Jerusalem, et obsidebant eam. 2. *Undecimo autem anno Sedeciae mense quarto, quinta mensis*, quinta dies mensis intelligitur, *aperta est civitas.* 3. *Et ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, et sederunt in porta media: Neregel, Sereser, Semegarnabu, Sarsachim, Rabsaces, Neregel, Sereser, Rebmag, et omnes reliqui principes regis Babylonis.* 4. *Cumque vidisset eos Sedecias rex Juda, et omnes viri bellatores, fugerunt, et egressi sunt nocte de civitate per viam horti regis, et per portam, quae erat inter duos muros, et egressi sunt ad viam deserti.* Duo muri civitatis intelliguntur propter duplicem moenium ambitum. 5. *Persecutus est autem eos exercitus Chaldaeorum, et comprehenderunt Sedeciam in campo solitudinis Jerichuntinae, et captum adduxerunt ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Reblatha, quae est in terra Emath, et locutus est ad eum iudicia.* Emath eadem est, quae Syria. Ex quo intelligitur, Reblatham quoque fuisse illius regionis aliquam urbem, et ubi Nabuchodonosor constiterat, exitumque obsidionis, et belli praestolabatur, quod per suos duces gesserat adversus Jerusalem, et Judaeos. 6. *Et occidit rex Babylonis filios Sedeciae in Reblatha in oculis eius, et omnes nobiles Juda occidit rex Babylonis.* 7. *Oculos quoque Sedeciae eruit, et vinxit eum compedibus, ut duceretur in Babylonem.* 8. *Domum quoque regis, et domum vulgi succenderunt Chaldaei igni, et murum Jerusalem subverterunt.* Do-

mum vulgi Hebraice: *domum populi* (בֵּית הָעָם) Syrus vertit: *domos populares.* Intelligitur ergo praeter regis domum, ceteras quoque aedes urbis fuisse eos demolitos. 9. *Et reliquias populi, qui remanserant in civitate, et perfugas, qui transfugerant ad eum, et superfluos vulgi, qui remanserant, transtulit Nabuzardan magister militum in Babylonem.* Quod diversimode Latinus transtulit ponendo prius: *Reliquias populi*, deinde: *superfluos vulgi*, in Hebraeo est utrobique ad eumdem modum: *Residuum populi, reliquias.* (אֶת־יֶתֶר הָעָם הַנִּשְׁאָרִים) Prioreque loco intelliguntur ii, qui reliqui erant in urbe, dum caperetur; altero vero loco Jeremias generatim de omnibus loquitur in Judaea, qui ex omni populo erant residui, quosque omnes Nabuzardan transtulerit in Babyloniam. Est vero superioris capitis versu 2. omnes, qui remanerent in urbe, et non transfugerent ad Chaldaeos, perituros gladio, vel fame, vel peste. Quare isti, qui in urbe remanserant, cum ea caperetur, aliique se fuga ex hostium manibus conati essent eripere, fugamque inivissent; ea voluntate intelligendi sunt remansisse, ut se Chaldaeis traderent; quosque etiam adhuc tum Chaldaei in suam fidem receperint. Nam idcirco, etiam in porta urbis principes exercitus videntur consedisse, cum iam apertam haberent, et sibi patentem, impetum que continuisse, ut potestatem sponte sua se se subiiciendi etiam tum adhuc illis facerent. 10. *Et de plebe pauperum, qui nihil penitus ha bebant, dimisit Nabu-*

zardan, magister militum, in terra Juda, et dedit eis vineas, et cisternas in die illa.

11. *Praeceperat autem Nabuchodonosor rex Babylonis de Jeremia Nabuzardan magistro militum, dicens:* 12. *Tolle illum, et pone super eum oculos tuos, nihilque ei mali facias: sed ut voluerit, sic facias ei.* 13. *Misit ergo Nabuzardan princeps militiae, et Nabusezban, et Rabsares, et Neregel, et Sereser, et Rebmag, et omnes optimates regis Babylonis* 14. *miserunt, et tulerunt Jeremiam de vestibulo carceris, et tradiderunt eum Godoliae filio Ahicam filii Saphan, ut intraret in domum, et habitaret in populo.* Godoliam hunc rex Babylonis praefecerat illis, quos reliquerat in Judaea, ut adhuc clarius sequetur. Huic ergo Jeremiam Nabuzardan commendavit, eiusque curam uti gereret, demandavit, et ut inter suos reliquos, liberam habitandi, agendique facultatem haberet, praecepit. Sequetur deinde altero capite, optionem etiam a Nabuzardane esse Jeremiae datam, malletne remanere, an venire in Babyloniam: illum vero sibi, ut remaneret, elegisse. 15. *Ad Jeremiam autem factus fuerat sermo Domini, cum clausus esset in vestibulo carceris, dicens:* 16. *Vade, et dic Abdemelech Aethiopi dicens: Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego inducam sermones meos super civitatem hanc in malum, et non in bonum, et erunt in conspectu tuo in die illa:* Hoc est: videbis illa mala tum, quae inducturus sum. 17. *Et liberabo te in die illa, ait Do-*

minus, et non traderis in manus virorum, quos tu formidas. 18. *Sed eruens liberabo te, et gladio non cades: sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus.*

CAPUT XL.

Jeremias optione sibi data a Nabuzardane, manerene vellet in Judaea, vel ire in Babyloniam, Judaeam ad manendum sibi eligit. Conveniunt ad Godoliam, qui dispersi ex Judaeis erant per vicinas regiones in bello.

1. *SERMO, qui factus est ad Jeremiam a Domino, postquam dimissus est a Nabuzardan magistro militiae de Rama, quando tulit eum vinctum catenis de medio omnium, qui migrabant de Jerusalem, et Juda, et ducebantur in Babylonem.* Nullus deinde toto hoc capite memoratur sermo, qui a Deo factus esset ad Jeremiam. Non restringitur vero istud ad praesens tantum caput, et quod nunc proxime narrabitur; sed est novus ingressus sermonis, et novum quasi exordium ad prophetias, quas Deus per illum edidit post tempus initae captivitatis, quasque deinde proponit interposita nunc prius hac, quae hic est, rerum narratione. Est autem superioris capitis versu 14. Nabuzardanis mandato ex carcere, in quo erat, esse eductum, Godoliaeque esse ab eo commendatum. Modo vero dicitur Ramae, quae civitas fuit tribus Benjamin, esse illum e reliquorum captivorum numero vincu-

lis solutum, et libertati restitutum. Quod ut inter se concilietur, observandum est, inter duces exercitus, cum occuparetur a Chaldaeis Jerusalem, quique sederunt in porta versu 3. antecedentis capitis, non commemorari Nabuzardanem principem totius exercitus ducem. Is ergo in Rama civitate in castris stationem suam habuit: (sex millibus passuum tantum ab Jerusalem distabat) eoque tum ceteri captivi, tum ipse Jeremias mandato illius Jerosolyma cum esset deductus; illum e numero reliquorum captivorum exemit, et libertati reddidit. 2. *Tollens ergo princeps militiae Jeremiam, dicit ad eum: Dominus Deus tuus locutus est malum hoc super locum istum.* 3. *Et adduxit, et fecit Dominus, sicut locutus est, quia peccastis Domino, et non audistis vocem eius, et factus est vobis sermo hic.* 4. *Nunc ergo ecce solvi te hodie de catenis, quae sunt in manibus tuis: si placet tibi, ut venias mecum in Babylonem, veni, et ponam oculos meos super te* (Syrus vertit: Curamque tui geram) *si autem displicet tibi venire mecum in Babylonem, reside. Ecce omnis terra in conspectu tuo est. Quod elegeris, et quo placuerit tibi, ut vadas, illuc perge.* 5. *Et mecum noli venire, sed habita apud Godoliam filium Ahicam filii Saphan, quem praeposuit rex Babylonis civitatibus Juda. Habita ergo cum eo in medio populi, vel quocumque placuerit tibi, ut vadas, vade. Dedit ei quoque magister militiae cibaria, et munuscula, et dimisit eum.*

6. *Venit autem Jeremias ad Godoliam filium Ahicam in Masphath, et habitavit cum eo in medio populi, qui relictus fuerat in terra.* 7. *Cumque audissent omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant per regiones, ipsi, et socii eorum:* qui aliquo modo vel Jerosolyma, vel ex aliis Judaeae civitatibus per Nabuchodonosorem captis fuga cladem, et comprehensionem evaserunt, seque, donec hostis demigravisset, in locis desertis tenuerunt, et occultaverunt, *quod praefecisset rex Babylonis Godoliam filium Ahicam terrae, et quod commendasset ei viros, et mulieres, et parvulos, et de pauperibus terrae, qui non fuerant translati in Babylonem;* 8. *venerunt ad Godoliam in Masphath: et Ismahel filius Nathaniae, et Johanan, et Jonathan filii Caree, et Sareas filius Thanehumeth, et filii Ophi, qui erant de Nethophati, et Jezonias filius Maachati, ipsi, et viri eorum.* Intellige illud etiam hic, quod antecessit: hi omnes ad Godoliam venerunt. 9. *Et iuravit eis Godolias filius Ahicam filii Saphan, et comitibus eorum, dicens: nolite timere servire Chaldaeis: habitate in terra, et servite regi Babylonis, et bene erit vobis.* 10. *Ecce ego habito in Masphath, ut respondeam praecepto Chaldaeorum, qui mittuntur ad nos: vos autem colligite vindemiam, et messem, et oleum, et condite in vasis vestris, et manete in urbibus vestris, quas tenetis.* 11. *Sed et omnes Judaei, qui erant in Moab, et in filiis Ammon:* apud filios Ammon, quo confugerant me-

tu Chaldaeorum, *et in Idumaea, et in universis regionibus, audito, quod dedisset rex Babylonis reliquias in Judaea*, quod sivisset illas esse, *et quod praeposuisset super eos Godoliam filium Ahicam filii Saphan.* Intelligitur hic quoque antecedens verbum in versu 8. *venerunt.* 12. *Reversi sunt, inquam, omnes Judaei de universis locis, ad quae profugerant, et venerunt ad terram Juda ad Godoliam in Masphath, et collegerunt vinum, et messem multam nimis.* 13. *Johanan autem filius Caree, et omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant in regionibus, venerunt ad Godoliam in Masphath,* 14. *et dixerunt ei: scito, quod Baalis rex filiorum Ammon misit Ismahel filium Nathaniae percutere animam tuam. Et non credidit eis Godolias filius Ahicam.* 15. *Johanan autem filius Caree dixit ad Godoliam, seorsum in Masphath loquens: ibo, et percutiam Ismahel filium Nathaniae nullo sciente, ne interficiat animam tuam, et dissipentur omnes Judaei, qui congregati sunt ad te, et peribunt reliquiae Juda.* 16. *Et ait Godolias filius Ahicam ad Johanan filium Caree: noli facere verbum hoc. Falsum enim tu loqueris de Ismahel.*

CAPVT XLI.

Ismahel interficit Godoliam, et eos, qui cum eo erant in Masphath, partim occidit partim captos abducit, item alios octoginta cum muneribus euntes ad domum Domini intercipit, et septvaginta ex iis necat. Johanan Ismahelem persecutus captos liberat, Ismahel in Ammonitidem regionem profugit. Johanan, et reliqui Judaei in Juda ad Bethlehem, et metu Chaldaeorum propter Godoliam interfectum decedere in Aegyptum parant.

1. *ET factum est in mense septimo venit Ismahel filius Nathaniae, filii Elisama de semine regali, et optimates regis, et decem viri cum eo ad Godoliam filium Ahicam in Masphath, et comederuni ibi panes simul in Masphath.* Quoniam novus annus non commemoratur, cuius anni iste mensis intelligatur fuisse septimus, qui hic memoratur; sequitur ut hoc ad eumdem annum etiam undecimum Sedeciae adhuc referatur, de quo supra fuit facta mentio capitis 39. versu 2. Cuius anni mense quarto cum patefacta esset civitas hostibus, alteroque deinde mense quinto incendio vastata 4. Reg. 25. v. 8. eiusdem deinde anni mense septimo est occisus Godolias. Cumque quinto, et septimo mense sit apud Zachariam cap. 7. v. 5. ieiunavisse Judaeos, toto illo spatio, quo in captivitate illa Babylonica fuerunt; mense quinto autem ieiunium hoc observaverint in memoriam templi, quod tum igne

consumptnm est; alterum ieiunium mense septimo in memoriam funestae istius caedis, qua peremptus est Godolias, quamque acerbe tulerint, intelliguntur instituisse. 2. *Surrexit autem Ismahel, filius Nathaniae, et decem viri, qui cum eo erant, et percusserunt Godoliam filium Ahicam filii Saphan gladio, et interfecerunt eum, quem praefecerat rex Babylonis terrae.* 3. *Omnes quoque Judaeos, qui erant cum Godolia in Masphath, et Chaldaeos, qui reperti sunt ibi, et viros bellatores percussit Ismahel.*

4. *Secundo autem die, postquam occiderat Godoliam nullo adhuc sciente,* 5. *venerunt viri de Sichem, et de Silo, et de Samaria, octoginta viri rasi barba, et scissis vestibus, et squallentes, et munera, et thus habebant in manu, ut offerrent in domo Domini.* Erat templum iam incendio vastatum. Ergo saltem inter ruinas illius, et muros, qui superessent, veluti stato, et pristino, legitimoque oblationum, et sacrificiorum loco munera illa sua Deo offere parabant. In squallore autem ipsi erant, quod etiam templum, ad quod pergerent, squallidum, atque dirutum esset. 6. *Egressus ergo Ismahel filius Nathaniae in occursum eorum de Masphath, incedens, et plorans ibat. Cum autem occurrisset eis, dixit ad eos: venite ad Godoliam filium Ahicam.* 7. *Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos Ismahel filius Nathaniae circa medium laci, ipse et viri, qui erant cum eo.* 8. *Decem autem viri reperti sunt inter eos,*

qui dixerunt ad Ismahel: noli occidere nos, quia habemus thesauros in agro frumenti, et hordei, et olei, et mellis. Et cessavit, et non interfecit eos cum fratribus suis. 9. *Lacus autem, in quem proiecerat Ismahel omnia cadavera virorum, quos percussit propter Godoliam, ipse est, quem fecit rex Asa propter Baasa regem Israel. Ipsum replevit Ismahel filius Nathaniae occisis.* Aperte dicitur propter Godoliam esse hos septvaginta interfectos ab Ismahele. Quod ergo illos ad Masphath ad Godoliam, qui iam tum occisus fuit, vocaverit; explorare tantum voluit, an erga illum bene essent affecti, a quo si dissensissent, ituri ad eum non fuissent. Ideo ergo illos occidit, quod subditi, et clientelares Godoliae fuissent. 10. *Et captivas duxit Ismahel omnes reliquias populi, qui erant in Masphath: filias regis, et universum populum, qui remanserat in Masphath, quos commendaverat Nabuzardan princeps militiae Godoliae filio Ahicam.* Superius versu 3. fuit omnes Judaeos, qui erant cum Godolia in Masphath, fuisse interemptos ab Ismahele: quomodo ergo aliquos adhuc inde captivos ducere potuit? sed advertendum est, ibi illud dici de viris Judaeis tantummodo bellatoribus. Hos ergo interfecit, reliquos, quorum vires non deberet pertimescere, in vita permisit. *Et cepit eos Ismahel filius Nathaniae, et abiit, ut transiret ad filios Ammon.*

11. *Audivit autem Johanan filius Caree, et omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, omne*

malum, quod fecerat Ismahel filius Nathaniae. 12. *Et assumptis universis viris profecti sunt, ut bellarent adversum Ismahel filium Nathaniae, et invenerunt eum ad aquas multas, quae sunt in Gabaon.* Chaldaeus: *Juxta piscinam Gabaon.* Cuius piscinae mentio fuit etiam 2. Reg. 2. v. 13. 13. *Cumque vidisset omnis populus, qui erat cum Ismahel, Johanan filium Caree, et universos principes bellatorum, qui erant cum eo, laetati sunt.* 14. *Et reversus est omnis populus, quem ceperat Ismahel in Masphath, reversusque abiit ad Johanan filium Caree.* 15. *Ismahel autem filius Nathaniae fugit cum octo viris a facie Johanan, et abiit ad filios Ammon.* 16. *Tulit ergo Johanan filius Caree, et omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, universas reliquias vulgi, quas reduxerant ab Ismahel filio Nathaniae de Masphath, postquam percussit Godoliam filium Ahicam, fortes viros ad praelium, et mulieres, et pueros, et eunuchos, quos reduxerat de Gabaon,* 17. *et abierunt, et sederunt peregrinantes in Charmaam, quae est iuxta Bethlehem:* hanc villam vocat S. Hieronymus in libro de locis Hebraicis, *ut pergerent, et introirent in Aegyptum* 18. *a facie Chaldaeorum. Timebant enim eos, quia percusserat Ismahel filius Nathaniae Godoliam filium Ahicam, quem praeposuerat rex Babylonis in terra Juda.*

CAPVT XLII.

Jeremias consultus ab Judaeis irene deberent in Aegyptum, an manere in Judaea, declarat illis Deum velle, ut maneant: et nisi manerent, perituros illos universos dicit in Aegypto.

1. ET accesserunt omnes principes bellatorum,
Johanan filius Caree, et Jezonias filius Osaiae, et
reliquum vulgus a parvo usque ad magnum, 2. di-
xeruntque ad Jeremiam prophetam: Cadat oratio
nostra in conspectu tuo, et ora pro nobis ad Do-
minum Deum tuum pro universis reliquiis istis:
quia derelicti sumus pauci de pluribus, sicut ocu-
li tui nos intuentur, 3. et annunciet nobis Domi-
nus Deus tuus viam, per quam pergamus, et ver-
bum, quod faciamus. 4. Dixit autem ad eos Jere-
mias propheta: Audivi. Ecce ego oro ad Domi-
num Deum vestrum secundum verba vestra. Omne
verbum, quodcumque responderit mihi, indicabo
vobis, nec celabo vos quidquam. 5. Et illi dixe-
runt ad Jeremiam: sit Dominus inter nos testis
veritatis, et fidei, si non iuxta omne verbum, in
quo miserit te Dominus Deus tuus ad nos, sic
faciemus. 6. Sive bonum est, sive malum, voci
Domini Dei nostri, ad quem mittimus te, obe-
diemus, ut bene sit nobis, cum audierimus vocem
Domini Dei nostri. 7. Cum autem completi essent
decem dies, factum est verbum Domini ad Jere-
miam. 8. Vocavitque Johanan filium Caree, et

*omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, et
universum populum a minimo usque ad magnum,
9. et dixit ad eos: Haec dicit Dominus Deus Israel,
ad quem misistis me, ut prosternerem preces ve-
stras in conspectu eius: 10. Si quiescentes manse-
ritis in terra hac, aedificabo vos, et non destruam;
plantabo, et non evellam. Jam enim placatus sum
super malo, quod feci vobis. 11. Nolite timere a
facie regis Babylonis, quem vos pavidi formida-
tis: nolite metuere eum, dicit Dominus, quia vo-
biscum sum ego, ut salvos vos faciam, et eruam
de manu eius. 12. Et dabo vobis misericordias,
et miserebor vestri, et habitare vos faciam in ter-
ra vestra. 13. Si autem dixeritis vos: non habi-
tabimus in terra ista, nec audiemus vocem Domi-
ni Dei nostri, 14. dicentes: nequaquam, sed ad
terram Aegypti pergemus, ubi non videbimus bel-
lum, et clangorem tubae non audiemus, et famem
non sustinebimus, et ibi habitabimus; 15. propter
hoc nunc audite verbum Domini reliquiae Juda:
Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: si
posueritis faciem vestram, ut ingrediamini Aegy-
ptum, et intraveritis, ut ibi habitetis; 16. gla-
dius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos
in terra Aegypti; et fames, pro qua estis solliciti,
adhaerebit vobis in Aegypto, et ibi moriemini. 17.
Omnesque viri, qui posuerunt faciem suam, ut ingre-
diantur Aegyptum, ut habitent ibi, morientur gla-
dio, et fame, et peste. Nullus de eis remanebit, nec
effugiet a facie mali, quod ego afferam super eos.*

18. *Quia haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: sicut conflatus est furor meus, et indignatio mea super habitatores Jerusalem; sic conflabitur indignatio mea super vos, cum ingressi fueritis Aegyptum: et eritis in iusiurandum, et in stuporem, et in maledictum, et in opprobrium, et nequaquam ultra videbitis locum istum.* In iusiurandum Hebraice *in execrationem* (לְאָלָה) 19. *Verbum Domini super vos reliquiae Juda: Nolite intrare Aegyptum. Scientes scietis, quia obtestatus sum vos hodie:* 20. *quia decepistis animas vestras. Vos enim misistis me ad Dominum Deum nostrum, dicentes: Ora pro nobis Dominum Deum nostrum, et iuxta omnia, quaecumque dixerit tibi Dominus Deus noster, sic annuncia nobis, et faciemus.* 21. *Et annunciavi vobis hodie, et non audistis vocem Domini Dei vestri super universis, pro quibus misit me ad vos.* Postquam Dei voluntatem, atque sententiam illis exposuisset, cum illos culpet, quod audire eum nolint, nec morigeros se se ei praebere; tametsi nihil adhuc modo ei responderint, consequens est, ut Prophetae hoc de illorum voluntate, quam defixerint ad abeundum iam aliunde innotescere debuerit. Illi ergo cum primum ad Prophetam recurrissent, Deumque per illum consulere instituissent, deinde non exspectato ulterius Dei responso, quod nunc decimo tantum die dabatur, apud se statuerunt, et decreverunt, quin iam eo vellent attendere, quod responsurus ipsis erat Deus. Quod de il-

lorum hac voluntate, et determinatione versus deinde etiam sequens confirmat: 22. *Nunc ergo scientes scietis, quia gladio, et fame, et peste moriemini in loco, ad quem voluistis intrare, ut habitaretis ibi.* Ad prophetam tamen audiendum convenerunt, ut si hoc illis, quod iam ipsi sibi elegerunt, et sequi decreverunt, responderetur, obsequentes fuisse viderentur. Erat ergo haec promptitudo obediendi, quam de se polliciti sunt, eiusmodi, ut si id praeciperetur, quo propria voluntas trahebat; omnino libenter obsequerentur: non autem, si res contraria eorum voluntati, et iudicio esset.

CAPVT XLIII.

Judaei obstinati in sua voluntate migrant in Aegyptum Jeremia, et Baruch secum etiam ductis. Ibi in urbe Taphni in crypta domus regiae Jeremias abscondit lapides, et vaticinatur Judaeis futurum, ut super illos Nabuchodonosor suum in Aegypto constituat solium.

1. *FACTUM est autem, cum complesset Jeremias, loquens ad populum universos sermones Domini Dei eorum, pro quibus miserat eum Dominus Deus eorum ad illos, omnia verba haec,* 2. *dixit Azarias filius Osaiae, et Johanan filius Caree, et omnes viri superbi dicentes ad Jeremiam: Mendacium tu loqueris. Non misit te Dominus Deus noster, dicens: Ne ingrediamini Aegyptum, ut habitetis illic.* Iste Azarias filius Osaiae superioris

capitis versu 1. Jezonias vocatur. Aut ergo idem duplici hoc nomine compellabatur; aut hi duo frátres erant eiusdem Osaiae filii. Quorum alter ibi verba fecit, alter hic. 3. *Sed Baruch filius Neriae incitat te adversum nos, ut tradat nos in manus Chaldaeorum, ut interficiat nos, et traduci faciat in Babylonem.* 4. *Et non audivit Johanan filius Caree, et omnes principes bellatorum, et universus populus vocem Domini, ut manerent in terra Juda.* 5. *Sed tollens Johanan filius Caree, et universi principes bellatorum universos reliquiarum Juda, qui reversi fuerant de cunctis gentibus, ad quas fuerant ante dispersi, ut habitarent in terra Juda,* 6. *viros, et mulieres, et parvulos, et filias regis, et omnem animam, quam reliquerat Nabuzardan princeps militiae cum Godolia filio Ahicam filii Saphan, et Jeremiam prophetam, et Baruch filium Neriae,* 7. *et ingressi sunt terram Aegypti, quia non obedierunt voci Domini, et venerunt usque ad Taphnis.* Civitas haec fuit Aegypti, ubi Pharao sedem sui regni habebat, ut hoc perspicuum fit ex versu etiam subsequente.

8. *Et factus est sermo Domini ad Jeremiam in Taphnis, dicens:* 9. *Sume lapides grandes in manu tua, et abscondes eos in crypta, quae est sub muro lateritio in porta domus Pharaonis in Taphnis cernentibus viris Judaeis.* Pro crypta est in Hebraeo vocabulum *Meleth* (מֶלֶט) quod caementum, vel lutum significat. Lapides ergo hos defodere est iussus prope murum domus regiae.

Quosque inde deinde erutos Chaldaei acceperunt, ut suggestum facerent, ubi regi Nabuchodonosori regiam sedem in atrio domus regiae constituerent. 10. *Et dices ad eos: Haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego mittam, et assumam Nabuchodonosor regem Babylonis, servum meum, et ponam thronum eius super lapides istos, quos abscondi, et statuet solium suum super eos.* Qua ratione Nabuchodonosorem Deus servum suum vocaverit, est iam demonstratum supra ad capitis 25. v. 9. 11. *Veniensque percutiet terram Aegypti: quos in mortem, in mortem; et quos in captivitatem, in captivitatem; et quos in gladium, in gladium.* 12. *Et succendet ignem in delubris deorum Aegypti, et comburet ea, et captivos ducet illos, et amicietur terra Aegypti, sicut amicitur pastor pallio suo, et egredietur inde in pace.* 13. *Et conteret statuas domus Solis, quae sunt in terra Aegypti, et delubra deorum Aegypti comburet igni.* Statuae Solis erant celeberrimae illae Aegypti pyramides, quae inter septem mundi miracula recensebantur, quaeque in honorem Solis erant constitutae in eiusdem Solis templo.

CAPVT XLIV.

Admoniti ab Jeremia in Aegypto Judaei, ne idola colerent, negant se se ei morem esse gesturos, sed omnino reginam caeli esse culturos. Quibus ille denunciat exitium.

1. VERBUM, *quod factum est per Jeremiam ad*
omnes Judaeos, qui habitabant in terra Aegypti, ha-
bitantes in Magdalo, et in Taphnis, et in Memphis,
et in terra Phatures, dicens : 2. *Haec dicit Do-*
minus exercituum, Deus Israel: Vos vidistis omne
malum istud, quod adduxi super Jerusalem, et su-
per omnes urbes Juda: et ecce desertae sunt hodie,
et non est in eis habitator 3. *propter malitiam,*
quam fecerunt, ut me ad iracundiam provocarent,
et irent, ut sacrificarent, et colerent deos alienos,
quos nesciebant et illi, et vos, et patres vestri.
4. *Et misi ad vos omnes servos meos prophetas,*
de nocte consurgens, mittensque, et dicens: No-
lite facere verbum obominationis huiuscemodi, quam
odivi. 5. *Et non audierunt, nec inclinaverunt au-*
rem suam, ut converterentur a malis suis, et non
sacrificarent diis alienis. 6. *Et conflata est indi-*
gnatio mea, et furor meus, et succensa est in
civitatibus Juda, et in plateis Jerusalem, et ver-
sae sunt in solitudinem, et vastitatem secundum
diem hanc. 7. *Et nunc haec dicit Dominus exer-*
cituum, Deus Israel: Quare vos facitis malum

grande hoc contra animas vestras, ut intereat ex vobis vir, et mulier, parvulus, et lactens de medio Judae, nec relinquatur vobis quidquam residuum, 8. *provocantes me in operibus manuum vestrarum, sacrificando diis alienis in terra Aegypti, in quam ingressi estis, ut habitetis ibi, et dispereatis, et sitis in maledictionem, et in opprobrium cunctis gentibus terrae?* 9. *Numquid obliti estis mala patrum vestrorum, et mala regum Juda, et mala uxorum eius, et mala vestra, et mala uxorum vestrarum, quae fecerunt in terra Juda, et in regionibus Jerusalem?* 10. *Non sunt mundati usque ad diem hanc, et non timuerunt, et non ambulaverunt in lege Domini, et in praeceptis meis, quae dedi coram vobis, et coram patribus vestris.* 11. *Ideo haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum, et disperdam omnem Judam.* 12. *Et assumam reliquias Judae, qui posuerunt facies suas, ut ingrederentur terram Aegypti, et habitarent ibi: et consumentur omnes in terra Aegypti, et cadent in gladio, et in fame, et consumentur a minimo usque ad maximum, in gladio, et in fame morientur, et erunt in iusiurandum* in exsecrationem, ut fuit iam supra cap. 42. v. 18. *et in miraculum, et in maledictionem, et in opprobrium.* 13. *Et visitabo super habitatores terrae Aegypti, sicut visitavi super Jerusalem, in gladio, et fame, et peste.* 14. *Et non erit, qui effugiat, et sit residuus de reliquiis Judaeorum, qui*

vadunt, ut peregrinentur in terra Aegypti, et revertantur in terram Juda, ad quam ipsi elevant animas suas, ut revertantur, et habitent ibi. Non revertentur, nisi qui fugerint.

15. *Responderunt autem Jeremiae omnes viri scientes, quod sacrificarent uxores eorum diis alienis, et universae mulieres, quarum stabat multitudo grandis, et omnis populus habitantium in terra Aegypti, in Phatures* Regio haec una erat Aegypti, *dicentes:* 16. *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te:* 17. *Sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus reginae caeli, et libemus ei libamina, sicut fecimus nos, et patres nostri, reges nostri, et principes nostri in urbibus Juda, et in plateis Jerusalem: et saturati sumus panibus, et bene nobis erat, malumque non vidimus.* 18. *Ex eo autem tempore, quo cessavimus sacrificare reginae caeli, et libare ei libamina, indigemus omnibus, et gladio, et fame consumpti sumus.* 19. *Quod si nos sacrificamus reginae caeli, et libamus ei libamina, numquid sine viris nostris fecimus ei placentas ad colendum eam, et libandum ei libamina?* 20. *Et dixit Jeremias ad omnem populum, adversum viros, et adversum mulieres, et adversum universam plebem, qui responderant ei verbum, dicens:* 21. *Numquid non sacrificium, quod sacrificastis in civitatibus Juda, et in plateis Jerusalem, vos, et patres vestri, reges vestri, et principes vestri, et populus terrae, horum recordatus*

est Dominus, et adscendit super cor eius? 22. *Et non poterat Dominus ultra portare propter malitiam studiorum vestrorum, et propter abominationes, quas fecistis: et facta est terra vestra in desolationem, et in stuporem, et in maledictum, eo quod non sit habitator, sicut est dies haec.* 23. *Propterea, quod sacrificaveritis idolis, et peccaveritis Domino, et non audieritis vocem Domini, et in lege, et in praeceptis, et in testimoniis eius non ambulaveritis; idcirco evenerunt vobis mala haec, sicut est dies haec.* 24. *Dixit autem Jeremias ad omnem populum, et ad universas mulieres: Audite verbum Domini omnis Juda, qui estis in terra Aegypti.* 25. *Haec inquit Dominus exercituum, Deus Israel, dicens: Vos, et uxores vestrae locuti estis ore vestro, et manibus vestris implestis, dicentes: Faciamus vota nostra, quae vovimus, ut sacrificemus reginae caeli, et libemus ei libamina. Implestis vota vestra, et opere perpetrastis ea.* 26. *Ideo audite verbum Domini omnis Juda, qui habitatis in terra Aegypti: Ecce ego iuravi in nomine meo magno, ait Dominus, quia nequaquam ultra vocabitur nomen meum ex ore omnis viri Judaei, dicentis: Vivit Dominus Deus in omni terra Aegypti.* Non vocabitur nomen Dei ex ore omnis viri Judaei in omni terra Aegypti, ex istis videlicet Judaeis, qui modo praefracte in Aegyptum iverunt, ibique se obstinaverunt adversus omnes Dei, et tantas obtestationes, ut colerent reginam caeli. His ergo iurat Deus, omnino

futurum, ut per nomen illius non iurent, hoc est, ut ipsum non invocent, non colant, speciem unam invocationis, quae fit per iuramentum, ponendo pro omni cultu Religionis. Similiter istud Deus fecit, atque dum etiam iuravit neminem illorum esse intraturum in terram Promissam, qui murmuraverunt in deserto, et reverti voluerunt in Aegyptum. Numer. 14. v. 28. et sicut asseveravit neminem illorum gustaturum esse coenam illius, qui invitati noluerunt venire. Luc. 4. v. 23. Deserit illos ergo Deus, a quibus ipse desertus est. Quae Dei erga peccatores gravissima poena est, dum sibi relinquuntur, qui sine Deo per seipsos salutem adipisci non possunt.

27. *Ecce ego vigilabo super eos in malum, et non in bonum, et consumentur omnes viri Juda, qui sunt in terra Aegypti, gladio, et fame, donec penitus consumantur.* 28. *Et qui fugerint gladium, revertentur de terra Aegypti in terram Juda viri pauci: et scient omnes reliquiae Juda ingredientium terram Aegypti, ut habitent ibi cuius sermo compleatur, meus, an illorum.* Erat illorum sermo, quod dum caeli reginam, luna haec erat, vel Juno, suis sacrificiis colerent, omnia ipsis prospere evenirent, ut est supra versu 17. Deus autem superiore versu gladio, vel fame dixit universos esse consumendos. Hocne ergo futurum esset, an quod ipsi sibi ex cultu reginae caeli pollicerentur, Deus dicit sua illos experientia scituros. 29. *Et hoc vobis signum, ait Dominus, quod visi-*

tem ego super vos in loco isto, ut sciatis, quia vere complebuntur sermones mei contra vos in malum: 30. *Haec dicit Dominus: Ecce ego tradam Pharaonem Ephree regem Aegypti in manu inimicorum eius, et in manu quaerentium animam illius, sicut tradidi Sedeciam regem Juda in manu Nabuchodonosor regis Babylonis inimici sui, et quaerentis animam eius.* Pharaonis commune erat nomen omnibus regibus Aegypti, ut hoc iam etiam in libro Geneseos demonstratum est. Huic autem communi nomini insuper additum habebant proprium, et peculiare. Ephree, vel ut ab Herodoto l. 6. cap. 161. compellatur Apries, filius erat Psammis, nepos Nechos, vel Nechao, qui bellum cum Josia rege Juda gessit. 4. Reg. 23. v. 29.

CAPUT XLV.

Jeremiae oratio ad Baruchum consolandum, dum sub Joakimo rege animo, propter adversa, quae ferebat, esset perturbato.

1. *VERBUM, quod locutus est Jeremias propheta ad Baruch filium Neriae, cum scripsisset verba haec in libro ex ore Jeremiae, anno quarto Joakim filii Josiae regis Juda, dicens:* 2. *Haec dicit Dominus Deus Israel ad te Baruch:* 3. *Dixisti: Vae misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo: laboraravi in gemitu meo, et requiem non inveni.* 4. *Haec dicit Dominus:*

sic dices ad eum: Ecce quos aedificavi, ego destruo, et quos plantavi, ego evello, et universam terram hanc: 5. et tu quaeris tibi grandia? Noli quaerere. Quia ego adducam malum super omnem carnem, ait Dominus, et dabo tibi animam tuam in salutem, in omnibus locis, ad quaecumque perrexeris. Supra capite 36. fuit de hac scriptura Baruch. Incidit vero in discrimen propterea, dum ideo, quod Volumen illud in templo publicasset; rex illum una cum Jeremia iusserat comprehendi. Absconditi autem erant, ut inveniri non possent: eo modo periculum, quod eis a furente rege instaret, evaserunt. Dabo tibi animam in salutem, hoc est: vitam in salutem. Securum ergo facit de incolumitate vitae, et ne huic metueret.

CAPUT XLVI.

De gentium omnium vastatione, et exitio, nominatimque de Aegyptiis cum consolatione erga Israelitas, quibus Deus libertatem concessurus, quosque in patriam revocaturus sit.

1. *QUOD factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam contra gentes. 2. Ad Aegyptum, adversum exercitum Pharaonis Nechao regis Aegypti, qui erat iuxta fluvium Euphratem in Charcamis, quem percussit Nabuchodonosor rex Babylonis, in quarto anno Joakim filii Josiae regis Juda.* Charcamis civitatis nomen est ad Euphratem, de qua etiam 2. Paral. 35. v. 20. mentio fit. Hic

idem Pharao rex Aegypti cognomine Nechao expeditionem bellicam instituerat ad Euphratem sub Josia rege Juda. Cui cum iste obsistere in itinere voluisset, cladem etiam accepit, ipseque interfectus est. 4. Reg. 23. v. 29. Etsi vero ibi non memoretur, quomodo ei negotium adversus Chaldaeos successerit; tamen hinc infertur, negotium ei bene processisse, quique illas ditiones ad Euphratem sub suam potestatem redegerit, quod deinde anno quarto Joakim, qui idem annus quartus etiam fuit a morte Josiae, quo bellum illud gestum est, renovatum in eodem illo loco rursus sit; unde scilicet Chaldaei Aegyptios voluerint habere depulsos, sibique vindicarent ea, quae ab Aegyptiis superiore bello essent occupata: ut de hoc etiam est apud Berosum Rerum Chaldaicarum lib. 3. et apud Josephum l. 10. Ant. cap. 11. Dum ergo ad bellum hoc Nechao iret, et illud appararet, propeque esset ipse illius eventus, prophetiam hanc Jeremias edidit.

3. *Praeparate scutum, et clypeum, et procedite ad bellum.* 4. *Jungite equos, et adscendite equites: state in galeis, polite lanceas, induite vos loricis.* 5. *Quid igitur? Vidi ipsos pavidos, et terga vertentes, fortes eorum caesos: fugerunt conciti, nec respexerunt: terror undique, ait Dominus.* 6. *Non fugiat velox, nec salvari se putet fortis. Ad Aquilonem iuxta flumen Euphratem victi sunt, et ruerunt.* 7. *Quis est iste, qui quasi flumen adscendit, et veluti fluviorum intumescunt gurgites eius?* 8. *Aegyptus fluminis instar adscen-*

dit, et velut flumina movebuntur fluctus eius, et dicet: Adscendens operiam terram, perdam civitatem, et habitatores eius. 9. *Adscendite equos, et exultate in curribus, et procedant fortes: Aethiopia, et Lybes tenentes scutum, et Lydii arripientes, et iacientes sagittas.* Aethiopia, et Lybia sunt regiones in Africa. Quarum ergo rex vel confoederatus in hoc bello fuit cum Aegyptiis, vel saltem auxilium ei misit. Lydia autem cum sit provincia minoris Asiae, intelligitur, inde quoque Nechaonem regem Aegypti adversus Chaldaeos habuisse auxiliares copias: nisi forte quaedam provincia isto nomine *Ludim*, sic pro Lydia est in Hebraeo, etiam fuisset in Africa, cuius tamen vestigii aliquod documentum nusquam apud Scriptores reperitur.

10. *Dies autem ille Domini Dei exercituum, dies ultionis, et sumat vindictam de inimicis suis. Devorabit gladius, et saturabitur, et inebriabitur sangvine eorum. Victima enim Domini Dei exercituum in terra Aquilonis iuxta flumen Euphratem.* 11. *Adscende in Galaad, et tolle rasinam filia virgo Aegypti: frustra multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi.* Resina est humor tenax, et viscosus, quem arbores exmittunt. Et quae ex certis arboribus omnino pro medicina adhibetur. Atque hanc ex Galaad in Aegyptum esse portatam, est etiam Genesis 37. v. 25. *Virgo filia Aegypti:* ipsa Aegyptus filiae, et virginis nomine compellatur, ea ratione, qua regiones, et civitates mente, et cogi-

tatione pinguntur in habitu puellari, et femineo. 12. *Audierunt gentes ignominiam tuam, et ululatus tuus replevit terram: quia fortis impegit in fortem, et ambo pariter conciderunt.* Dupliciter hoc sumi potest: primo, fortes Aegyptios in fortes incidisse Chaldaeos, et mutuis caedibus concidisse ambos, ita ut quamvis penes Chaldaeos steterit victoria, haec tamen illis non sine proprio sangvine venerit: altero modo, Aegyptios, posteaquam terga Chaldaeis verterunt, et in fuga se se agglomeraverunt, alium in alium impegisse, et ambos corruisse coram insequente hoste. Hoc vero altero modo videtur ideo magis istud esse accipiendum; quod non tam luctuosa accidisset Aegyptiis haec clades, si cum tali iactura victoriam adepti fuissent Chaldaei.

13. *Verbum, quod locutus est Dominus ad Jeremiam prophetam super eo, quod venturus esset Nabuchodonosor rex Babylonis, et percussurus terram Aegypti.* Quae modo antecessit prophetia, pertinebat ad illam cladem, quam Aegyptii quarto anno regni Joakim acceperunt ab Chaldaeis ad fluvium Euphratem, ut est in principio huius capitis. Hoc vero vaticinium, quod modo incipit fundere, spectat ad illud posterius tempus, quo Nabuchodonosor venturus erat cum exercitu in ipsam Aegyptum, debellaturusque Pharaonem, et Aegyptios: quodque modo erat futurum, cum illi residui Judaei se se recepissent in Aegyptum, et quibus ad hoc praesignificandum etiam lapides Jeremias recondidit iuxta palatium regis Aegypti, ostenditque

futurum, ut Nabuchodonosor adveniens super ipsos illos lapides positurus sit sibi thronum, et cuius gladio, cuius declinandi causa in Judaea manere noluerunt, contraque prohibitionem Dei in Aegyptum venerunt, ibi perituri essent. Supra cap. 43. v. 9. 14. *Annunciate Aegypto, et auditum facite in Magdalo, et resonet in Memphis, et in Taphnis dicite: sta, et praepara te, quia devorabit gladius ea, quae per circuitum tuum sunt.* Nomina haec sunt omnia praecipuarum in Aegypto civitatum. 15. *Quare computruit fortis tuus? Non stetit, quoniam Dominus subvertit eum.* Fortis Aegypti miles intelligitur, qui Deo illum subvertente resistere Chaldaeo non potuerit, interfectusque ab eo sit. 16. *Multiplicavit ruentes,* Dominus etiam hic intelligitur, qui multiplicaverit ruentes Aegyptios: *ceciditque vir ad proximum suum. Et dicent: surge et revertamur ad populum nostrum, et ad terram nativitatis nostrae, a facie gladii columbae.* Illorum haec vox inducitur, qui alienigenae erant vel in exercitu Pharaonis, vel alterius rei causa, qui tum essent in Aegypto, et quo in numero ipsi etiam erant, qui ex Judaea eo demigrarunt Judaei, quorumque aliquos fuga caedem esse evasuros est etiam supra capitis 44. v. 28. Columbae nomine designatur Nabuchodonosor, quod ei nomen iam etiam supra cap. 25. v. 38. datum fuit. 17. *Vocate nomen Pharaonis regis Aegypti: Tumultum adduxit tempus,* Hebraice *Advocaverunt tunc Pharaoni regi Aegypti devastationem: transire fecit eum*

tempus statutum. (קָרְאוּ שָׁם פַּרְעֹה מֶלֶךְ־מִצְרַיִם שָׁאוֹן
הֶעֱבִיר הַמּוֹעֵד) Transire autem eum quod fecerit tem-
pus statutum, significat, quod hoc tempore, quod
a Deo fuit decretum, et constitutum ipsius cessa-
verit, et evanuerit regia auctoritas.

18. *Vivo ego, inquit Rex, Dominus exercituum
nomen eius, quoniam sicut Thabor in montibus, et
sicut Carmelus in mari veniet.* Hoc est, quam certum
est, montem Thabor existere in numero montium, vel
civitatem Thabor sitam esse in monte, qui omnino,
talis eius situs fuit; et quam ceitum est, Carmelum
montem in mari, qui se nimirum instar promontorii
protenderet usque ad mare; tam certum esse, ut
hoc Pharaoni eveniat, quod fuit superiore versu.
Chaldaeus sic vertit: *Vivo ego, dicit Rex, Do-
minus exercituum nomen eius, quia sicut verum
est verbum hoc, quod Thabor est in montibus, et
sicut Carmelus in mari, sic veniet interitus eius.*
19. *Vasa transmigrationis fac tibi habitatrix filia
Aegypti: quia Memphis in solitudinem erit, et
deseretur, et inhabitabilis erit.* Hoc: *Et desere-
tur, et inhabitabilis erit*, est in Hebraeo: *Et de-
solabitur absque habitatore.* (וְנִצְּתָה מֵאֵין יוֹשֵׁב)
Hoc est, para tibi ea, quibus captivi, dum in ca-
ptivitatem abducuntur, ornati incedere solent, ut
sunt, catenae, vincula: in captivitatem autem Ba-
bylonicam. 20. *Vitula elegans, atque formosa Ae-
gyptus: stimulator ab Aquilone veniet ei.* 21. *Mer-
cenarii quoque eius, qui versabantur in medio eius,
quasi vituli saginati versi sunt, et fugerunt simul,*

nec

nec stare potuerunt: quia dies interfectionis eorum venit super eos, tempus visitationis eorum. Mercenarii, hi sunt milites mercede conducti a rege Aegypti. Quorum comparatio cum vitulo saginato in duplici re versatur; primum, in eorum fuga more vitulorum saginatorum, et pingvium, qui in cursu maxime lasciviunt; deinde in interfectione. Sicut enim vitulus, qui saginatur, destinatur ad occisionem; ita illos quoque dicit esse interficiendos ab hoste. 22. *Vox eius, quasi aeris sonabit, quoniam cum exercitu properabunt, et cum securibus venient ei, quasi caedentes ligna.* Hostis, et Chaldaei advenientis in Aegyptum vox aeris instar sonabit: hoc est: procul audietur, prout aes sonorum est, tumultus, et fremitus illius exercitus. 23. *Succiderunt saltum eius, ait Dominus, qui supputari non potest; multiplicati sunt super locustas, et non est eis numerus.* Primum hominum frequentia confertur cum arboribus in saltu, atque silva. Quas arbores hostes exciderunt, hoc est: incolarum multitudinem in Aegypto peremerunt. Secundo hostium iterum multitudo cum locustis comparatur, quarum vis, et numerus solet innumerabilis esse, et quae omnia depascuntur, et vastant, quocumque veniunt. 24. *Confusa est filia Aegypti, et tradita in manus populi Aquilonis.*

25. *Dixit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego visitabo super tumultum Alexandriae:* (*No* civitas haec in Hebraeo vocatur, quaeque tantum postea ab Alexandro M. novum nomen acce-

pit: Interpres autem notiore eius nomine usus est) *et super Pharaonem, et super Aegyptum, et super deos eius, et super reges eius, et super Pharaonem, et super eos, qui confidunt in eo.* Tumultus nomine frequentia hominum illius urbis designatur. Reges Aegypti in numero etiam plurali commemorantur vel intelligendo totam regiam familiam, vel comprehendendo, et prophetiam dirigendo ad posteriores etiam Aegypti reges; qui itidem a Cambyse, ut scribit Herodotus l. 3. cap. 14. victi, et vehementer afflicti sunt. 26. *Et dabo eos in manus quaerentium animam eorum, et in manus Nabuchodonosor regis Babylonis, et in manus servorum eius: et post haec habitabitur, sicut diebus pristinis, ait Dominus.* 27. *Et ne timeas serve meus Jacob, et ne paveas Israel: quia ecce salvum te faciam de longinquo, et semen tuum de terra captivitatis tuae, et revertetur Jacob, et requiescet, et prosperabitur, et non erit, qui exterreat eum.* Sub typo, et imagine Judaeorum, ex captivitate Babylonica reducendorum, Israelem intelligi, qui non ratione carnalis propagationis, sed spiritu fidei ad stirpem Abrahae pertineret, perspicuum fit ex eo, quod futurum dicatur, ut iam illos posteaquam rediissent ex captivitate, nemo exterreat: qui Machabaeorum aetate plurimis, et maximis bellis exagitati, acerbissimeque vexati sunt. At populum spiritu fidei Israeliticum, et Christianum posteaquam plene, et perfecte peracta fuerit in eo redemptio, nunc enim Redemptionem adhuc

corporis nostri exspectamus, et spe tantum salvi facti sumus, Rom. 8. v. 23. nemo erit, qui illum exterreat. 28. *Et tu noli timere serve meus Jacob, ait Dominus, quia tecum ego sum: quia ego consumam cunctas gentes, ad quas eieci te. Te vero non consumam, sed castigabo te in iudicio, nec quasi innocenti parcam tibi.* Idem hoc iam fuit, quod modo dicitur, supra capitis 30. v. 10.

CAPVT XLVII.

Vaticinium in Philisthaeos, Sidonios, et Tyrios.

1. *QUOD factum est verbum Domini ad Jeremiam Prophetam contra Palaestinos, antequam percuteret Pharao Gazam.* Palaestini iidem sunt, qui alias in Scriptura etiam Philisthaei appellantur. In quinque dynastias, et civitates erat divisa eorum regio, ut est 1. Reg. 6. v. 5, 17. et inter quas una fuit Gaza. Quisnam autem Pharao, cum hoc nomen commune omnibus fuerit regibus Aegypti, Gazam percusserit, nec hic clarius proponitur, nec ex profanis scriptoribus certum aliquod documentum, reperitur. Omnium maxime verisimile est, Nechaonem hunc fuisse. Qui cum Syriam sibi subiugasset ad Euphratem usque, et victo, interfectoque Josia rege Judaeam sibi quoque fecisset tributariam, in vicinam quoque Gazam, et Philisthaeos impetum tum eodem tempore fecerit. Hoc autem de percussa Gaza a Pharaone eatenus tantum hic me-

moratur; ut tempus editae huius prophetae designetur. Nam clades, quam Philisthaeis modo Propheta praenunciat, est illa, quae illata illis per Chaldaeos est. Aquae enim, quibus obruti esse dicuntur, venerunt illis ab Aquilone, et quarum aquarum nomine, ut hoc iam alias etiam demonstratum est, vis, et multitudo alicuius populi solet significari, et quae deinde etiam hic aquae e vestigio declarantur fuisse milites, et arma hostilis exercitus.

2. *Haec dicit Dominus: Ecce aquae adscendunt ab Aquilone, et erunt, quasi torrens inundans, et operient terram, et plenitudinem eius, urbem, et habitatores eius: clamabunt homines, et ululabunt omnes habitatores terrae* 3. *a strepitu pompae armorum, et bellatorum eius, a commotione quadrigarum eius, et multitudine rotarum illius. Non respexerunt patres filios manibus dissolutis.* Metu nimirum manibus dissolutis, in fuga praecipiti dum essent, patres filiorum etiam curam neglexerunt, eorumque non meminerunt, 4. *pro adventu diei* Hebraice: *ad adventum diei* (עַל־הַיּוֹם הַבָּא) cum venisset illa dies: nectitur autem hoc cum extrema parte versus antecedentis: *in quo vastabuntur omnes Philisthiim, et dissipabitur Tyrus, et Sidon cum omnibus reliquis auxiliis suis.* Oppida cetera ad illas civitates pertinentia intelliguntur, unde suum haberent collectum militem. *Depopulatus est enim Dominus Palaestinos, reliquias insulae Cappadociae.* Erant Philisthaei Cappadocum colonia, ut est Deuteronomii 2. v. 23. qui

ex Cappadocia egressi regionem illam occupaverunt pulsis Hevaeis, qui eam ante illos incoluerunt.

5. *Venit calvitium super Gazam: conticuit Ascalon, et reliquiae vallis earum. Usquequo concideris?* In luctu sibi solebant vellere capillos, quod in gravi consternatione etiam nonnumquam modo fit, sed tum plane hoc affectabatur, etiamsi non semper tantus dolor esset, ut de industria etiam sibi raderent capita. Ascalon itidem civitas fuit Philisthaeorum. Haec ergo conticuit, dum per hostem vastata, redacta esset ad solitudinem cum reliquiis vallis earum: hoc est, cum reliqua tota sua valle, viciniam illarum, subiectamque eis regionem vallis nomine designando. *Quousque concideris?* Tu scilicet Gaza, et Ascalon. Hebraice autem est: *Quousque incides te?* (עַד־מָתַי תִּתְגּוֹדָדִי) Hoc vero iterum pertinet ad significandum illarum civitatum luctum. In quo se se gentiles soliti essent etiam incidere, corpusque cruentare: et unde ipsae digladiationes Romanorum in funeribus originem acceperunt: et quae ob eam rem incisio vetita etiam fuit Hebraeis Levit. 19. v. 28. 6. *O mucro Domini usquequo non quiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, et sile.* 7. *Quomodo quiescet, cum Dominus praeceperit ei adversus Ascalonem, et adversus maritimas eius regiones, ibique condixerit illi?* Hebraice: *eo illum destinaverit?* (שָׁם יְעָדָהּ

CAPUT XLVIII.

Vaticinium in Moabitas.

1. *Ad Moab haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Vae super Nabo, quoniam vastata est, et confusa: capta est Cariathaim, confusa est fortis, et tremuit.* Tam Nabo, quam Cariathaim, civitates duae in possessione fuerunt tribus Ruben, ut est Numerorum cap. 32. v. 37, et 38. Cumque de his civitatibus sic modo instituatur oratio, quasi quae civitates fuerint Moabitarum; consequens est, has postea in eorum ditionem transiisse. Quod videtur factum esse, cum a Salmanasare Assyriorum rege decem eae tribus, ex quibus regnum Israel constabat, in Assyriam translatae sunt, et tota illa regio nudata incolis est. 4. Reg. 18. v. 11. Hocque idem tenendum est de reliquis etiam pluribus civitatibus, quae adhuc memorabuntur. Eadem Cariathaim vel Nabo fortis appellatur, Hebraice *Misgab;* quod significat altum, et munitum locum. Et reipsa Nabo in eiusdem nominis monte erat exstructa.
2. *Non est ultra exultatio in Moab contra Hesebon. Cogitaverunt malum: Venite, et disperdamus eam de gente. Ergo silens conticesces, sequeturque te gladius.* Hebraice: *Non est ultra exultatio Moabo in Hesebon.* (אין עוד תהלת מואב בחשבון) Rursus vero etiam haec civitas antea erat in ditione regum Israel, quam a rege Sehon Amorrhaeorum

acceptam in suam potestatem redegerant Israelitae. Num. 21. v. 25. Idem ergo tenuit erga hanc civitatem Hesebon, quod erga duas priores Nabo, et Cariathaim, ut eas Moabitae post devastationem regni accupaverint: et ad quos proinde dicitur non gavisuros esse ultra de ista occupatione, suorumque finium dilatatione. *Cogitaverunt malum: venite et disperdamus eam de gente.* Qui vero cogitaverunt malum hoc, et adversus quem? Hostes cogitaverunt malum adversus Moab, atque illi se cohortabantur, ut eam disperderent de gente. Quamobrem deinde sequitur: *Ergo silens conticesces, sequeturque te gladius.*

3. *Vox clamantis de Oronaim: et contritio magna.* Oronaim fuit civitas in finibus Moabiticae regionis Chaldaeam versus. Ab Oronaim ergo, hoc est, a finibus Moabiticae regionis diffusus undique est, et foras prolatus Moabitarum clamor, dum eorum regio vastaretur. Vastitas, et contritio magna fuit, inquit. 4. *Contrita est Moab: annunciate clamorem parvulis eius.* Hoc est, annunciate Moabitis, futurum, ut parvuli eorum clament, et plorent. 5. *Per adscensum enim Luith plorans adscendet in fletu: quoniam in descensu Oronaim hostes ululatum contritionis audierunt.* Luith fuit clivus aliquis, per quem ex regione Moab iter erat in Babyloniam. Per hunc ergo clivum Moab flens adscendet, dum ducetur in captivitatem. Item Oronaim fuisse in finibus Moabiticae regionis iam est paulo ante dictum. Illac ergo eundo, et iter faciendo ululatum Moabitarum, quos captivos ducent, hostes audituri sunt.

quem illi edent, quod contriti sint. 6. *Fugite, salvate animas vestras, et eritis quasi myricae in deserto.* Myrica est genus fruticis, quod in desertis, et sterilibus locis tantum crescit. Hortatur igitur illos Propheta, ut fuga, qui se possent, ex illa clade eripiant desertaque petant, atque ibi myricarum instar sint.

7. *Pro eo enim, quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis, et in thesauris tuis, tu quoque capieris: et ibit Chamos in transmigrationem, sacerdotes eius, et principes eius simul.* Chamos fuit idolum Moabitarum 3. Reg. 11. v. 7. 8. *Et veniet praedo ad omnem urbem, et urbs nulla salvabitur, et peribunt valles, et dissipabuntur campestria: quoniam dixit Dominus:* 9. *Date florem Moab, quia florens egredietur, et civitates eius desertae erunt, et inhabitabiles.* Ubi Latinus florem vertit, in Hebraeo est vocabulum *Tzitz*: quod vero Haebraeis et florem, et alam etiam significat. In hac vero altera significatione esse potius sumendum, illud svadet, quod deinde sequatur iuxta Hebraeum: *quia avolando avolabit* (כִּי נָצֹא תֵּצֵא) Cuius loco Latinus posuit: *Quia florens egredietur*, ut continuaret de flore in priore vocabulo coeptam similitudinem.

10. *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter, et maledictus, qui prohibet gladium suum a sangvine.* Opus Domini vocatur illa caedes, quae exercenda esset in Moabitas. Quod ex altera parte versus perspicuum fit: *Maledictus, qui prohibet gladium suum a sangvine.* Explicatur namque hic, quod-

nam ibi prius opus Dei intelligeretur. Qui ergo fraudulenter, non sincere, non studiose, sed connivendo, et parcendo aliquibus caedem illam patrarent, Deique imperium de Moabitis caedendis, et interficienpis exsequerentur; maledicti pronunciantur milites. Quare autem maledicti? quia nimirum, dum Deus ultionem expetit de suis hostibus, atque huius executionem alicui committit; adversus Dei mandatum facit, si illam non sic, ut sibi praescriptum ha het, peragat, atque effectam det. Itaque Saul in hoc genere cum peccavisset, et erga Amalecitas universos interficiendos cum ipsis etiam pecorum gregibus tale Dei praeceptum non observavisset; iratum sibi propterea Deum habuit, abiecitque ipsum ex dignitate regia, et Agagum regem, cui Saul pepercerat, Samuel propheta interfecit manu sua. 1. Reg. 15. v. 9. At Jehu laudatus a Deo et praemiatus est, quod negotium sibi commissum de exscindenda tota stirpe Achab fideliter, atque diligenter fuisset executus. 4. Reg. 10. v. 30. Item Psaltes beatos illos praedicat, qui de Babyloniis poenam repeterent, eorumque parvulos allidereut ad petras. „Filia Babylonis, inquit, misera! Beatus, qui re„tribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti „nobis. Beatus, qui tenebit, et allidet parvulos „tuos ad petram.“ Ptal. 136. v. 8.

11. *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in foecibus suis: nec transfusus est de vase in vas, et in transmigrationem non abiit; idcirco permansit gustus eius in eo, et odor eius non*

est immutatus. Fertilis fuit, Hebraice: *Tranquillus fuit* (שַׁאֲנַן) Moab ab adolescentia sua, hoc est turbatus in sua habitatione, inde ab initio suae aetatis, et quando gens Moabitarum existere, adolescereque coepit, non est, numquam ei evenit, ut captivus alio abduceretur: cum vinoque confertur, quod si relictum sit supra suas foeces, nec transfusum de vase ad vas, vim, atque spiritus suos magis retineat: qui Moab similiter, quod numquam subivisset talem captivitatem, sedeque sua motus non sit, arrogantiae sibi maiores spiritus sumpserit, nec pristinum suum fastum, et superbiam mutaverit. 12. *Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus, et mittam ei ordinatores, et stratores laguncularum, et sternent eum, et vasa eius exhaurient, et laguncula eorum collident.* Superior continuatur allegoria. Hebraice: *Quare ecce dies venient, dicit Dominus: Et mittam ei extractores, et extrahent eum, et vasa eius evacuabunt, et utres illius disrumpentur.* (וְשִׁלַּחְתִּי־לוֹ צֹעִים וְצֵעֻהוּ וְכֵלָיו יָרִיקוּ וְנִבְלֵיהֶם יְנַפֵּצוּ) 13. *Et confundetur Moab a Chamos, sicut confusa est domus Israel a Bethel, in qua habebat fiduciam.* In Bethel Israelitae coluerunt in locum veri Dei vitulos aureos, quos Jeroboam rex ibi constituit. 3. Reg. 12. v. 28. Sicut ergo hi vituli tuiti adversus hostes Israelitas non sunt, ita nec Chamos Moabitarum deus Moabitas.

14. *Quomodo dicitis: Fortes sumus, et viri robusti adpraeliandum?* 15. *Vastata est Moab, et civitates illius succiderunt,* in Hebraeo est verbum: *ad-*

scenderunt (עָלָה) quod significat vaporis instar adscendisse, et evanuisse. Inter nomen autem, quod numeri pluralis est, et verbum, quod singularis numeri, non est convenientia: ut amant Hebraei tali figura orationis uti. *Et electi iuvenes eius descenderunt in occisionem, ait Rex, Dominus exercituum nomen eius.* 16. *Prope est interitus Moab, ut veniat, et malum eius velociter accurret nimis.* 17. *Consolamini eum omnes, qui estis in circuitu eius, et universi, qui scitis nomen eius,* hoc est, qui noscitis illum. *Dicite: quomodo confracta est virga fortis, baculus gloriosus?* Baculus, virga pro sceptro regio sumitur. 18. *Descende de gloria, et sede in siti habitatio filiae Dibon: quoniam vastator Moab adscendit ad te, dissipavit munitiones tuas.* Sedere in siti est positum pro laborare summa rerum omnium penuria. Nam cum facilius sit habere aquam, qua sitim restingvas, et haec plerumque gratuita sit, si ne haec quidem suppetat, est tum angustia ex rerum defectu, quibus vita sustentetur, maxima. Dibon est nomen civitatis Moabiticae. Filiaque Dibon vocatur ea ratione, qua iam in hoc etiam libro dictum est solere civitates, et regiones filiarum, et virginum nomine compellari. 19. *In via sta, et prospice habitatio Aroer: interroga fugientem, et ei, qui evasit, dic: quid accidit?* Moabitica rursus haec fuit civitas. Habitatio autem abstractum nomen est positum pro concreto: habitator. Huic ergo dicitur, ut quaerat ex eo, quem viderit fugientem, et elapsum ex clade, quidnam acciderit.

20. *Confusus est Moab, quoniam victus est: ululate, et clamate, annunciate in Arnon, quoniam vastata est Moab.* Arnon est fluvii nomen in Moabitica regione. 21. *Et iudicium venit ad terram campestrem: super Helon, et super Jasa, et super Mesphaath,* 22. *et super Dibon, et super Nabo, et super domum Deblathaim,* 23. *et super Cariathaim, et super Bethgamul, et super Bethmaon,* 24. *et super Carioth, et super Bosra, et super omnes civitates terrae Moab, quae longe, et quae prope sunt.* Cum esset prius dictum: „Vastator Moab adscendit ad te, dissipavit munitiones tuas" supra versu 18. atque adeo de civitatibus in edito positis, ubi munitiones suas constituere solebant, esset dictum, futurum, ut vastentur; nunc de altera etiam regionis parte, quae in plano, vel declivi posita, campestrisque esset, idem dicit, ut declaret, nullam partem regionis futuram immunem a vastatione. Bosra autem fuit civitas Idumaeae, ut est sequentis etiam capitis versu 13. Quare vel eodem nomine quaedam etiam civitas exstitit in regione Moab; aut haec Bosra nunc in ditione regis Moab eadem est cum illa, quae alias a Latino Interprete *Bosor* Deut. 4. v. 43. ab Hebraeo *Betzer* (בֶּצֶר) appellatur, quaeque antea in tribus Ruben sita fuerat possessione.

25. *Abscissum est cornu Moab, et brachium eius contritum est, ait Dominus.* 26. *Inebriate eum, quoniam contra Dominum erectus est, et allidet manum Moab in vomitu suo, et erit in de-*

risum etiam ipse. Superius cap. 25. v. 27. Jeremias propinans calicem furoris Domini omnibus gentibus, ,,Bibite, inquit, et inebriamini, et vomite, et ,,cadite." Hunc ergo talem ex ebrietate casum hic etiam intelligit, ut ebrius et vomat, et cadat inter vomendum ex temulentia, cadendoque pronus allidat palmas manuum terrae. 27. *Fuit enim in derisum tibi Israel, quasi inter fures reperisses eum: propter verba ergo tua, quae adversum illum locutus es, captivus duceris.* ,,Confunditur fur, quan- ,,do deprehenditur:" ait supra ipse Jeremias cap. 2. v. 26. Sensus ergo est, a Moabitis esse derisos Israelitas in sua calamitate, quam erant passi ab Assyriis, dum ducerentur ab illis in captivitatem, esseque illis insultatum a Moabitis, quemadmodum furi insultatur, dum in suo facinore deprehenditur. 28. *Relinquite civitates, et habitate in petra habitatores Moab, et estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.* Svadetur illis, ut deserta loca, et latebras quaerant, ubi effugiant hostem. 29. *Audivimus superbiam Moab: superbus est valde; sublimitatem eius, et arrogantiam, et superbiam, et altitudinem cordis eius.* 30. *Ego scio, ait Dominus, iactantiam eius, et quod non sit, iuxta eam virtus eius, nec iuxta quod poterat, conata sit facere.* Hebraice: *Ego scio, ait Dominus, excandescentiam eius* (עֶבְרָתוֹ) *et non sic, mendacia eius non sic facient.* (וְלֹא־כֵן בַּדָּיו לֹא־כֵן עָשׂוּ) Hoc est, magnas minas iactat, sed maiora minatur, quam possit.

31. *Ideo super Moab ululabo, et ad Moab universum clamabo; ad viros muri fictilis lamentantes.* Propheta hoc in sua persona dicit condolendo. Hoc autem: *Ad viros muri fictilis lamentantes*, est in Hebraeo: *Ad viros muri fictilis gemet.* (יֶהְגֶּה) Intelligitur vero: unusquisque gemet videndo illius ruinas, et busta. Quem hic murum fictilem, hunc S. Hieronymus murum cocti lateris vertit Isaiae cap. 16. v. 7. Ubi haec in Moabitas etiam per Isaiam edita prophetia est. *Ar* autem civitas princeps Moabitarum designatur, quae lateritiis fortissimis moenibus erat munita, et circumdata. 32. *De planctu Jazer plorabo tibi, vinea Sabama: propagines tuae transierunt mare, usque ad mare Jazer pervenerunt: super messem tuam, et vindemiam tuam praedo irruit.* Vinea Sabama fuit in regione Moab sita, debet autem intelligi non una vinea, sed mons totus vitifer. Jazer est nomen proprium civitatis, quae sita fuit in Judaeae ea parte, quae est trans Jordanem. Sensus igitur est: Quo fletu, atque planctu prosequerer Jazerem mei populi civitatem; eodem etiam deplorabo vineam Sabama, huius vineae nomine intelligendo totam Moabiticam regionem ponendo partem per figuram orationis pro toto. *Propagines tuae transierunt mare: usque ad mare Jazer pervenerunt.* Populus tuus diffugiens transivit mare, currendo venit usque ad mare Jazer. Stagnum autem hoc erat civitati Jazer vicinum. Nam Hebraei eodem nomine *Jam* solent et mare, et paludes, atque lacus, et stagna deno-

minare. Est autem quaedam transpositio contra ordinem rei, ut facta est, in oratione. Prius enim ad mare illud Jazer pervenerunt, ac postea illud etiam transiverunt, cursum suum prosequendo ulterius.

33. *Ablata est laetitia, et exultatio de Carmelo, et de terra Moab, et vinum de torcularibus sustuli: nequaquam calcator uvae solitum celeuma cantabit.* Mons Carmelus in Palaestina, cuius summa erat ubertas, et fertilitas, per antonomasiam est positus pro Moabiticae regionis foecundissimo solo. Ipse autem Propheta se dicit sustulisse vinum de eorum torcularibus, quatenus nimirum Dei hanc sententiam proposuit: quemadmodum etiam supra capitis 15. v. 1. fuit a Deo ad illum dictum: „Eiice illos a facie mea, et egrediantur." Neque tamen ipse Judaeos, de his enim eiiciendis est ibi sermo, eiecit, sed tantum hanc Dei sententiam, velut praeco enunciavit. Celeuma, ut iam supra etiam cap. 25. v. 30. dictum est, significat hortationem ad strenue aliquid agendum. Cantu autem ad calcandas uvas in torculari ad alacritatem operis mutuo se se excitabant.

34. *De clamore Hasebon usque Eleale, et Jasa dederunt vocem suam, a Segor usque ad Oronaim vitula conternante: aquae quoque Nemrim pessimae erunt.* De clamore Hesebon usque Eleale, et Jasa dederunt vocem suam: hoc est, ex clamore, quem in Hesebon civitate Moabitae ediderunt, vox pervenit usque in civitates Eleale, et Jasa. Pertinet ergo hoc ad magnitudinem clamoris, qui tam

procul exauditus sit, significandum. *Jasa* erat civitas in ipsis finibus Moabiticae regionis. Istud vero: *A Segor usque ad Oronaim vitula conternante* verti iuxta Hebraeum etiam sic potest: *A Segor usque Oronaim vitula conternans:* (עֶגְלַת שְׁלִשִׁיָּה) atque ita magis inter se cohaeret oratio. Vitula autem conternans, est vitula trima, et trium annorum. Istoque nomine Moab compellatur, quae insolenter se gessisset, moreque vitulae trimae lascivisset opibus suis, atque fortitudine. Haec ergo a Segor vitula usque Oronaim dabit vocem suam. Quod verbum in anteriore membro huius versus antecessit. Erant autem haec loca in oppositis terminis: atque adeo sensus est sic daturam esse vocem hanc vitulam, ut tota regio ea personet. Aquae Nemrim erant amarae, et insalubres, quod iam de his aquis fuit ad Isaiae 15. v. 6. Dum ergo his aquis comparat Moabiticam regionem, istarumque aquarum nomine eam appellat; significat solitudinem illius, et desertum, ad quod sit redigenda hostili vastatione.

35. *Et auferam de Moab, ait Dominus, offerentem in excelsis, et sacrificantem diis eius.*
36. *Propterea cor meum ad Moab, quasi tibiae resonabit, et cor meum ad viros muri fictilis dabit sonitum tibiarum: quia plus fecit, quam potuit, idcirco perierunt.* Querulum illud, quod solet esse in dolore, cum tibiarum sono confertur. *Quia plus fecit, quam potuit, idciro perierunt:* significat, propter iactantiam eos periisse: de qua iam etiam

etiam superius versu 29. fuit. 37. *Omne enim caput calvitium, et omnis barba rasa erit.* De hoc more se radendi, pilosque sibi evellendi in luctu, iam fuit superioris capitis versu 5. *In cunctis manibus colligatio, et super omne dorsum cilicium.* Saccus is erat ex pilis caprarum. 38. *Super omnia tecta Moab, et in plateis eius omnis planctus: quoniam contrivi Moab, sicut vas inutile, ait Dominus.* 39. *Quomodo victa est, et ululaverunt? quomodo deiecit cervicem Moab, et confusus est? Eritque Moab in derisum, et in exemplum omnibus in circuitu suo.* Pro hoc: *in exemplum*, est in Hebraeo: *in consternationem* (לִמְחִתָּה) Cuius nimirum casu omnes exterreantur, et percellantur.

40. *Haec dicit Dominus: Ecce quasi aquila volabit, et extendet alas suas ad Moab.* Intellige hostem sic advolaturum, quasi nimirum ad praedam. 41. *Capta est Carioth, et munitiones comprehensae sunt, et erit cor fortium Moab in die illa, sicut cor mulieris parturientis.* Inter civitates Moabiticas iam etiam versu 24. Carioth posita fuit. 42. *Et cessabit Moab esse populus, quoniam contra Dominum gloriatus est.* Derisit Israelitas, dum in captivitatem ducerentur, ut est supra versu 27. Ea autem re una despexerunt Deum Israel, quasi propter impotentiam illis contra hostem esse auxilio non potuisset, gloriabanturque se in suo deo Chamos maius habere praesidium, quam illis fuerit in Deo suo. Sic enim vulgo pervasum fuit gentilibus, dum natio aliqua bello superabatur, viribus

defecisse ad defendendum illam ipsos illius deos, ut sunt istius generis exempla Isa. 36. v. 18. 3. Reg. 20. v. 28. Ideoque Deus, cum Judaei ducti essent in captivitatem, queritur, quod per eos nomen ipsius blasphemaretur. Isa. 52. v. 5. 43. *Pavor, et fovea, et laqueus super te, o habitator Moab, dicit Dominus.* 44. *Qui fugerit a facie pavoris, cadet in foveam; et qui conscenderit de fovea, capietur laqueo.* Sensus est, ipsos, dum effugere voluerint pericula; ex aliis in alia semper graviora incursuros, nec evasuros. *Adducam enim super Moab annum visitationis eorum, ait Dominus.* Hoc est, annum, quo visitentur, puniantur, et Deus quasi ad illos veniat actorum ab illis rationes exacturus.

45. *In umbra Hesebon steterunt de laqueo fugientes: quia ignis egressus est de Hesebon, et flamma de medio Sehon, et devorabit partem Moab, et verticem filiorum tumultus.* Hesebon, et Sehon eadem fuit urbs, ut hoc intelligitur ex Numerorum, 21. v. 27. a regeque Sehon alterum hoc ei nomen accessit, in cuius ditione fuit, antequam ab Israelitis sub potestatem redacta esset, et quibus in captivitatem abductis, ut iam dictum est, Moabitae sui illam iuris fecerunt. Sensus igitur est, Moabitas, dum hostium metu premerentur, Hesebonem confugisse, tamquam ad praesidium, sub illiusque umbram, et protectionem, effugere conantes hostilem laqueum. At vero, ut fuit superiore versu, illos ex periculo in periculum casuros,

nec perfugium uspiam reperturos, ignis, inquit, egressus est de Hesebon, et flamma de medio Sehon, et ubi perfugium quaesiverunt, inde premebantur maxime, *et devorabit partem Moab* Hebraice *angulum Moab* (פְּאַת מוֹאָב) extremaque pars Moabiticae regionis intelligitur, quo se ignis, et flamma illa erumpens ex Hesebon diffuderit. Eademque flamma dicitur verticem filiorum tumultus devoratura: Moabitaeque filii tumultus vocantur ab iactatione suarum virium, in illorumque verticem dicitur flamma illa saeviisse, ad notandam ipsorum superbiam, et fastum, propter quem poenas tum dederint. Intelligitur ergo hoc ita accidisse, ut cum illi metu hostis ad civitatem Hesebon se se recepissent, itemque hostis ante alia loca huc impetum fecisset, urbemque cepisset; hostilem deinde flammam hinc esse propagatam, et fusam per totam eorum regionem, ad extremos usque illius fines. 46. *Vae tibi Moab! Periisti popule Chamos:* Chamos, ut iam dictum est, fuit Moabitarum Deus: *Quia comprehensi sunt filii tui, et filiae tuae in captivitatem.* 47. *Et convertam captivitatem Moab in novissimis diebus, ait Dominus. Hucusque iudicia Moab.* Promittitur ergo illis reditus iterum ex captivitate. Quod factum esse docet Josephus l. 13. Antiq. cap. 21. sub Cyro. Judicia Moab intelliguntur Dei iudicia, et poenae adversus Moab.

CAPVT XLIX.

Vaticinium adversum Ammon, Idumaeam, Damascum, Cedar, et Aelam.

1. *AD filios Ammon. Haec dicit Dominus: Numquid non filii sunt Israel?* Nomen Israel est in tertio inflexionis casu, ut hoc deinde subsequens pronomen declarat: *aut haeres non est ei? Cur igitur haereditate possedit Melchom Gad, et populus eius in urbibus eius habitavit?* Melchom idolum fuit Ammonitarum, qui tamquam deus suae gentis, qualis ratio loquendi, tribuendique possessionem falso numini, iuxta illorum hominum videlicet captum, qui tale idolum colerent, reperitur quoque Judicum 11. v. 24. qui inquam tamquam auctor illarum rerum, quae ab Ammonitis gestae sunt, inducitur. Arguitur vero Melchom, et sub illius nomine Ammonitae, quod terram tribus Gad occupaverint, quasi Israelitis non essent iam futuri haeredes. Quando hoc Ammonitae fecerint, aperte hoc alicubi nusquam est in Scriptura: sed omnino probabile est illos hoc tunc fecisse, quando decem tribus a Salmanasare ductae in captivitatem sunt. Id quod iam superiore capite etiam de Moabitis dictum est, qui isto tempore, dum hoc Propheta dicebat, urbes tenebant, et loca ex Israelitarum regione. Quasi ergo Israeliticum nomen ibi in illa regione, ubi antea habitabant, esset deletum penitus,

dum ivissent in captivitatem, nec futurum esset, ut rursus aliquando ibi reflorescat, illorum terram, quasi derelictam, Ammonitae occuparunt. Ezechiel cap. 25. v. 3. aliam etiam causam proponit, cur Deus Ammonitas ista clade affecerit, quam modo per Jeremiam illis denunciat, quod Israelitis in captivitatem ductis insultaverint, voluptatemque ex ea re ceperint. Nempe utraque causa patrocinabatur isti eorum poenae, qua eos Deus propterea affecit. Alteram autem Jeremias, aliam Ezechiel explicuit, ut Scripturae mos est, non semper omnia simul in eodem loco, etiamsi ad eamdem rem pertineant, exponere.

2. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon fremitum praelii, et erit in tumulum dissipata, filiaeque eius igni succendentur, et possidebit Israel possessores suos, ait Dominus.* Rabbath urbs prima fuit, et metropolis Ammonitarum. Filiarum eius nomine intelliguntur reliquae civitates, et loca, quae ad illam tamquam matrem referebantur. Machabaeorum autem aetate omnino victi Ammonitae ab Judaeis sunt. 1. Mach. 5. v. 6. Sub hoc vero typo fit respectus ad illam subiugationem, quae sicut aliarum omnium gentium, ita Ammonitarum quoque facta est per Evangelium erga eum, qui spiritu fidei futurus erat Israel, ut hoc erga Babylonios quoque dictum est ab Isaia cap. 14. v. 2. „Erunt, inquit, capientes eos, qui se ceperant, et subiicient exactores suos." 3. *Ulula Hesebon, quo-*

niam vastata est Hai: clamate filiae Rabbath, accingite vos ciliciis, plangite, et circuite per sepes, quoniam Melchom in transmigrationem ducetur, sacerdotes eius, et principes eius simul. Fuit superiore capite Hesebon inter civitates, quas Moabitae occupatas tenuerunt, numerata. Quare, quod ea hic rursus de Ammonitis memoretur, consequens est, illam ab utrisque fuisse occupatam, et inter se divisam, posteaquam relicta ab Israelitis in captivitatem euntibus esset: ut alias quoque Moabitae, et Ammonitae in suis negotiis consociationem facere consveverant. Nam et in illa seductione Ammonitae cum Moabitis fuerunt coniuncti, dum ad idololatriam, et scortationem inducti sunt Israelitae, quod de Ammonitis propterea poenas repetierit Deus Num. 31. v. 2. et Jud. 3. v. 13. 2. Paral. 20. v. 10. reperiuntur plura istiusmodi confoederationis exempla. Hai autem civitas, quae hic memoratur inter Ammoniticae regionis loca, procul dubio diversa fuit ab ea, de qua fit mentio Josue cap. 8. v. 1. quaeque in citeriore parte erat Jordanis, cum Ammonitarum regio sita esset ultra Jordanem. Cum ergo Hai iam esset vastata ab hoste; Heseboni etiam indicitur ululatus, quo se ab Hai hostilis impetus verterit, indeque se deinde ulterius per omnem Moabiticam regionem, ut fuit in fine superioris capitis, diffuderit. Hoc: *circuite per sepes,* luculentius est in Hebraeo: *Oberrate in maceriis.* (התשוטטנה בגדרות) Latibuli scilicet alicuius quaerendi causa, hoc illis dicitur, ubi se abdant, et

abscondant coram hoste inter strues lapidum, unde constant maceriae.

4. *Quid gloriaris in vallibus? Defluxit vallis tua, filia delicata, quae confidebas in thesauris tuis, et dicebas: quis veniet ad me?* Uberes, et fertiles valles cum possedissent, in hisque gloriam suam posuissent, facultatibusque, atque opibus praediti fuissent, in hisque fiduciam suam collocavissent, dicitur flosculus istius gloriae brevi esse interiturus. 5. *Ecce ego inducam super te terrorem, ait Dominus Deus exercituum, ab omnibus, qui sunt in circuitu tuo, et dispergemini singuli a conspectu vestro, nec erit, qui congreget fugientes.* Qui sunt in circuitu tuo, intelliguntur ii, quos quisque circa se haberet, et in quorum contubernio, et eadem domo esset, et qui tamen familiares etiam coeco metu non eamdem fugiendi viam sequerentur, a seque invicem dissiparentur. 6. *Et post haec reverti faciam captivos filiorum Ammon, ait Dominus.* Quod in fine superioris capitis Moabitis est promissum, ut captivitas eorum finem acciperet; hoc idem etiam ostenditur futurum erga Moabitas.

7. *Ad Idumaeam.* Huc nimirum se vertit Propheta in vaticinando. *Haec dicit Dominus exercituum: Numquid non ultra est sapientia in Theman? Periit consilium a filiis, inutilis facta est sapientia eorum.* Theman nomen est civitatis in Idumaea. Ab huius ergo filiis, et incolis dicitur consilium recessisse, nec illis sapientiam profuisse, qua se tutos praestarent adversus vim hostium. 8. *Fugite,*

et terga vertite, descendite in voraginem habitatores Dedan: quoniam perditionem Esau adduxi super eum, tempus visitationis eius. Dedan alterum est nomen civitatis in eadem Idumaea. Huius ergo habitatores iubentur descendere ad voragines, hoc est petere, et quaerere foveas, et speluncas, ut se in illis abdant, et recondant propter hostem: *Quoniam perditionem Esau adduxi super eum:* super eundem videlicet Esau, et tempus, quo is visitetur, hoc est, puniatur. Esau enim fuit Idumaeorum pater. 9. *Si vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemum: si fures in nocte, rapuissent, quod sufficeret sibi.* Anterior pars versus cum interrogatione legi debet. Secus non cohaeret bene cum comparatione altera in versus parte secunda. Interrogatio autem facit postea affirmationem. Vindemiatores si super te venissent, aliquos saltem racemos reliquissent, ut fieri solet in vindemia: dum nonnulli racemi, qui collectorum oculos fugiunt, praetereuntur: itemque fures, dum in metu sunt, ne comprehendantur, raptis, quae cito habere, et auferre possunt, quaedam relinquunt.

10. *Ego vero discooperui Esau, revelavi abscondita eius, et celari non poterit: vastatum est semen eius, et fratres eius, et vicini eius, et non erit.* Revelavi abscondita eius, hoc est thesauros illius. Hi enim abscondi solent. *Et celari non poterit.* Nescient ita illos celare, ut non hostis illos inveniat. *Vastatum est semen eius, et fratres eius, et vicini eius, et non erit.* Per semen Esau intel-

liguntur ipsi Idumaei, tamquam eius posteri. Per fratres intelliguntur Israelitae, et Judaei, qui originem ducerent ab Jacobo, qui frater fuit Esau. Vicini autem illius sunt Ammonitae, Moabitae, aliique Arabiae populi: qui omnes bello attriti per Chaldaeos fuerunt. Non futurus autem dicitur Esau: dissipatus videlicet, et ad eam paucitatem redactus, ut iam populi nomine gloriari non posset. 11. *Relinque pupillos tuos: ego faciam eos vivere, et viduae tuae in me sperabunt.* Huc nimirum dicitur redigendus Esau, ut pupilli aliqui, et viduae remaneant, et quibus ipsis nihil spei sit relictum in suo populo, et quibus nuspiam, nisi in sola Dei providentia auxilium constitutum sit, et qui proinde etiam perituri fuissent omni humana ope destituti, nisi solus Deus misertus illorum fuisset, illisque providisset.

12. *Quia haec dicit Dominus: Ecce, quibus non erat iudicium, ut biberent calicem, bibentes bibent, et tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed bibens bibes.* Jerusalem intelligitur, cui, si Deus parcere voluisset, imprimis favere eum oportuisset, ne eumdem illum furoris calicem biberet, cum civitas esset illius cultui consecrata, et in qua ipse Deus haberet habitationem, et domum, et quam nihilominus non exceperit. Quodsi autem erga illam Deus usus non est aliqua exceptione, et dissimulatione; minus ista spe sibi debere blandiri Idumaeam. Sic namque hoc idem iam fuit etiam Supra capitis 25. v. 29. „Ecce in civitate,

„in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere, et vos, quasi innocentes, et immunes eritis? Non eritis immunes. Gladium enim „ego voco super omnes habitatores terrae, „dicit Dominus exercituum." 13. *Quia per memetipsum iuravi, dicit Duminus, quod in solitudinem, et in opprobrium, et in desertum, et in maledictionem erit Bosra, et omnes civitates eius erunt in solitudines sempiternas.* Pro hoc epitheto: *sempiternus* est in Hebraeo: *Holam:* quod non semper stricte sumptam aeternitatem, et durationem perpetuam significare, sed tantum pro spatio longioris alicuius temporis etiam adhiberi ab Hebraeis, et in ipsa Scriptura, est dictum iam saepius. Idumaea enim rursus postea refloruit, et Machabaeorum aetate stetit rursum res Idumaeorum publica. Bosra autem fuit princeps civitas totius Idumaeae.

14. *Auditum audivi a Domino, et legatus ad gentes missus est: Congregamini, et venite contra eam, et consurgamus in praelium.* Propheta dicit se hoc, quod modo proponit, habere auditum a Deo: esse legatum ad gentes missum, ut contra Idumaeam consurgant ad bellum. Hoc modo etiam Jsaiae 5. v. 26. dicitur Deus signum, et vexillum erexisse nationibus ad veniendum etiam adversus Jerusalem. *Venite contra eam:* pronomen concordat cum antecedente nomine Bosra. 15. *Ecce enim parvulum dedi te in gentibus, contemptibilem inter homines.* Modo vero rursus ad Esau est sermo Prophetae directus. *Arrogantia tua decepit te,*

et superbia cordis tui, qui habitas in cavernis petrae, et apprehendere niteris altitudinem collis. Cum exaltaveris, quasi aquila, nidum tuum; inde detraham te, dicit Dominus. Non est in Hebraeo: *Apprehendere niteris altitudinem collis,* sed: *Apprehendis altitudinem collis:* (תֹּפְשִׂי מְרוֹם גִּבְעָה) Quae scilicet Idumaea in montibus esset sita, in editoque haberet urbes suas constitutas, et ob quam causam se duceret esse insuperabilem. Sic Syrus quoque vertit: *Qui habitas in rupe petrae, verticem tenes collis, et apud temetipsum dicis: Quis me in terram devolvet?* Ad quam vero confidentiam Deus respondet: *Cum exaltaveris, quasi aquila, nidum tuum, inde detraham te.* Quod idem ab Abdia versu 4. ita expressum est: „Si exaltatus fueris, ut aquila, et si inter sidera posueris „nidum tuum; inde detraham te.“ Non ergo illud solum dicitur, si sibi urbes, et munimenta construeret in ea altitudine, in qua solent aquilae; sed si ita alte evolaret, ut aquilae, atque ibi, quousque aquila adscendit, nidum, et habitationem in caelo, atque inter nubes sibi construeret, tamen inde illum detractum iri a Deo.

17. *Et erit Idumaea deserta. Omnis, qui transibit per eam, stupebit, et sibilabit super omnes plagas eius.* 18. *Sicut subversa est Sodoma, et Gomorrha, et vicinae eius, ait Dominus: non habitabit ibi vir, et non incolet eam filius hominis.* 19. *Ecce quasi leo adscendet de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam: quia subito*

currere faciam eum ad illam, et quis erit electus, quem praeponam ei? Quis enim similis mei, et quis sustinebit me? et quis iste pastor, qui resistat vultui meo? Ecce quasi leo adscendet, Nabuchodonosor inducitur cum exercitu veniens ad afficiendam clade Idumaeam *de superbia Jordanis.* Superbusque hic fluvius appellatur propter vim, et magnitudinem fluctuum, quando intumescit, et adscensus illius confertur cum leonis impetu, qui ex illa vicinia Jordanis veniret. Debuit ea regionis pars infestior esse leonibus: ideo nominatim comparationis gratia assumptus est. Ad pulchritudinem robustam vero adscendet Hebraice: *Ad habitaculum forte* (אֶל־נְוֵה אֵיתָן) urbesque, et munimenta Idumaeorum magnifica designantur. *Quia subito currere faciam eum ad illam:* ad illam nimirum pulchritudinem robustam. Deus autem hoc loquens est. *Et quis erit electus, quem praeponam ei?* Quis erit tam singularis virtutis, ut Idumaeae illum praeficiam, qui hanc adversus me defendat? *Quis enim similis mei? Et quis sustinebit me? Et quis est iste pastor* populi videlicet Idumaeorum, *qui resistat vultui meo?*

20. *Propterea audite consilium Domini, quod iniit de Edom, et cogitationes eius, quas cogitavit de habitatoribus Theman: si non deiecerint eos parvuli gregis, nisi dissipaverint cum eis habitaculum eorum.* Si non deiecerint: vim habet affirmandi, futurum omnino, ut eos deiiciant. Parvuli gregis: intelliguntur ii, qui imbelles sunt in exercitu Na-

buchodonosoris, et quibus etiam solis pugnantibus illi pares non sint futuri resistendo. Procul dubio autem non illos solos delectos ex exercitu misit adversus Idumaeos Nabuchodonosor. Sed est hoc tantum per modum conditionis dictum, quod etiamsi hi soli essent, qui eos aggrederentur; eos deiecturi, et una habitacula etiam eorum, et civitates eversuri, depopulaturique essent. Quali ratione etiam supra fuit cap. 37. v. 9. de iisdem Chaldaeis erga Jerusalem: „Sed et si percusseritis „omnem exercitum Chaldaeorum, qui praeliatur adversum vos, et derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati; singuli de tentorio suo consurgent, et „incendent civitatem hanc igni." 21. *A voce ruinae eorum commota est terra: clamor in mari Rubro auditus est vocis eius.* Fragoris magnitudo ex casu domorum, et urbium per hyperbolem exprimitur, cuius sonitus usque ad mare Rubrum pervenerit. Intercedit enim fere tota Arabia deserta. 22. *Ecce quasi aquila adscendet, et avolabit, et expandet alas suas super Bosram, et erit cor fortium Idumaeae in die illa, quasi cor mulieris parturientis.* Deus adscendet sic per exercitum Nabuchodonoris, et avolabit Hebraice: *et volabit* (וְיִדְאֶה) alasque suas expandet diffundendo exercitum, et milites super Bosram.

23. *Ad Damascum.* Est titulus novae rursus contra Syriam, cuius Damascus caput fuit, prophetiae. *Confusa est Emath, et Arphad: quae auditum pessimum audierunt, turbati sunt in mari,*

prae sollicitudine quiescere non potuit. Emath, et Arphard sunt Syriae civitates, quarum prior postea Epiphania ab Antiocho Epiphane denominata est. *Auditum pessimum audiverunt:* fama haec intelligitur de adventu hostis adversum eos. *Turbati sunt in mari.* Est hic ellipsis voculae similitudinis, pro eo, quod sic plenius diceretur: Turbati sunt, sicut in mari. Est ergo sensus, esse illos sic metu, et tremore agitatos, quemadmodum mare movetur fluctibus. Prae sollicitudine quiescere non potuit Emath, et Arphad. 24. *Dissoluta est Damascus, versa est in fugam, tremor apprehendit eam: angustia, et dolores tenuerunt eam, quasi parturientem.* 25. *Quomodo dereliquerunt civitatem laudabilem, urbem laetitiae!* Ab incolis videlicet suis Damascus, quomodo deserta est, et facta vacua. 26. *Ideo cadent iuvenes eius in plateis eius, et omnes viri praelii conticescent in die illa, ait Dominus exercituum.* 27. *Et succendam ignem in muro Damasci, et devorabit moenia Benadad.* Isto nomine plures in Syria reges fuerunt 3. Reg. 15. v. 18. 4. Reg. 13. v. 3. quin Nicolaus Damascenus apud Josephum l. 7. Ant. cap. 6. docet fuisse hoc nomen generale, et commune omnibus regibus Syriae. Ab hoc ergo regio nomine moenia Damasci cognominata sunt.

28. *Ad Cedar, et ad regna Asor, quae percussit Nabuchodonosor rex Babylonis. Haec dicit Dominus: Surgite, et adscendite ad Cedar, et vastate filios Orientis.* Alia hic rursus succedit pro-

phetia. Cedar, unde dicti sunt Cedareni, vel ut S. Hieronymus docet in cap. 21. Isaiae, Agareni, et corrupto nomine Saraceni, ut se hoc nomine ferrent quasi a Sara Abrahae uxore productos, cum essent tantum ex Agare Abrahae ancilla prognati, neque id proxime, sed per Cedar Agaris nepotem ex Ismaele filio, Gen. 25. v. 13. hi inquam Cedareni erant Arabiae populi: eorumque civitas vocata fuit Asor, ut idem S. Hieronymus tradit in illo, quem modo commemoraveram loco: quamvis potissimam partem sub tentoriis habitarent, deque loco ad locum per Arabiae deserta se promoverent, quo illos pascuorum ratio, et commoditas vocaret. Iidem filii Orientis vocantur. Ab Judaea enim ad eam plagam eorum pertinebat regio. 29. *Tabernacula eorum, et greges eorum capient: pelles eorum, et omnia vasa eorum, et camelos eorum tollent sibi, et vocabunt super eos formidinem in circuitu.* Metus illos, et pavor cinget undique, quem hostes illis afferent. 30. *Fugite, abite vehementer, in voraginibus sedete, qui habitatis Asor, ait Dominus. Iniit enim contra vos Nabuchodonosor rex Babylonis consilium, et cogitavit adversum vos cogitationes.* Abire vehementer, est positum pro eo, ut fuga se procul eripiant: in voraginibus ut sedeant, hoc est, in cavernas, et speluncas, ut se recondant, illis dicitur. 31. *Consurgite, et adscendite ad gentem quietam, et habitantem confidenter, ait Dominus: nec ostia, nec vectes eis; soli habitant.* Deus sic inducitur, quasi

Chaldaeos exstimulans ad expeditionem in Cedarenos suscipiendam. Solos habitare est positum pro eo, quod sine metu, nullius in se impetum formidantes. Estque haec ratio loquendi inde desumpta, quod securitas illius loci intelligatur esse maxima, ubi, ut aliquis tutus sit, alieno non indiget praesidio. Qua de re iam etiam fuit Numer. 23. v. 9. et Deut. 33. v. 28. Non ergo illi sic habitaverunt, quos sic deinde hostes exagitaverunt, sed talem securitatem ipsi tantum de se sibi persvadebant. 32. *Et erunt cameli eorum in direptionem, et multitudo iumentorum in praedam, et dispergam eos in omnem ventum, qui sunt attonsi in comam, et ex omni confinio eorum adducam interitum super eos, ait Dominus.* 33. *Et erit Asor in habitaculum draconum, deserta usque in aeternum. Non manebit ibi vir, nec incolet eam filius hominis.* Draco Hebraice *Tannim* Hebraeis generatim feram aliquam, et silvestrem belluam significat.

34. *Quod factum est verbum Domini ad Jeremiam prophetam adversus Aelam in principio regni Sedeciae regis Juda, dicens:* Est initium novae rursus prophetiae adversus Aelamitas, hoc est, Persas, ut hoc ad Isaiae 21. v. 2. demonstratum est: 35. *Haec dicit Dominus exercituum: Ecce ego confringam arcum Aelam, et summam fortitudinem eorum:* In quo videlicet arcu summa illorum esset fortitudo, et in quo genere armorum essent exercitatissimi. Chaldaeus vertit, *Caput robo-*

roboris eorum. Caput autem ponitur pro eo, quod in aliquo genere est praecipuum. 36. *Et inducam super Aelam quatuor ventos a quatuor plagis caeli, et ventilabo eos in omnes ventos istos: et non erit gens, ad quam non perveniant profugi Aelam.* 37. *Et pavere faciam Aelam coram inimicis suis, et in conspectu quaerentium animam eorum: et adducam super eos malum, iram furoris mei, dicit Dominus, et mittam post eos glaudium, donec consumam eos.* 38. *Et ponam solium meum in Aelam, et perdam inde reges, et principes, ait Dominus.* Solium Divinae suae auctoritatis, et tribunal ibi suum Deus constituet, dum ad eos veniet, poenas ab iis repetiturus. 39. *In novissimis autem diebus reverti faciam captivos Aelam, dicit Dominus.* Persarum imperium evertit Alexander M. Quod vero postea rursus rem suam publicam restauraverint, etsi numquam ad illam pristinam imperii sui auctoritatem pervenerint; docent res eorum gestae primoribus Ecclesiae Christianae seculis, et quod modo etiam regia apud eos floreat dignitas.

CAPUT L.

Prophetia in Babylonem, et Chaldaeos.

1. V*ERBUM, quod locutus est Dominus de Babylone, et de terra Chaldaeorum in manu Jeremiae prophetae.* 2. *Annunciate in gentibus, et*

auditum facite: levate signum, praedicate, et nolite celare, dicite: Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach, confusa sunt sculptilia eius, superata sunt idola eorum. Bel erat Babyloniorum deus. Dan. 14. v. 2. Ex collatione vero huius loci cum Isaiae Cap. 46. v. 1. ubi itidem est: „Confractus est Bel, contritus est Nabo, fa„cta sunt simulacra eorum bestiis, et iumentis one„ra vestra gravi pondere, usque ad lassitudinem." Intelligitur idem iste, qui hic vocatur Merodach, et ab Isaia Nabo, fuisse alter Babyloniorum etiam deus. Quomodo pro idolo etiam hoc sumpsit Chaldaeus: *Confracti sunt*, inquit, *qui colebant Merodach.* Levatio signi pertinet hic eo, ut universis indicatur attentio ad percipiendum id, quod deinde de Babylone praedicaretur. 3. *Quoniam adscendit contra eam gens ab Aquilone, quae ponet terram eius in solitudinem; et non erit, qui habitet in ea ab homine usque ad pecus; et moti sunt, et abierunt.* Gens haec erat Medorum, atque Persarum. Per hos enim vastata, et eversa est Babylon. Deque hac Babylonis vastatione esse sermonem, perspicuum fit ex versu subsequente: quod eodem tempore dicantur filii Israel, et Juda quaesituri Deum, et in Sionem esse redituri. Quod sub Cyro accidit, qui Persarum rex fuit, a quo cum Dario rege Medorum superata est Babylon. Moti autem sunt, et abierunt Babylone tam homines, quam pecudes, hoc est e medio sublati sunt: siquidem in eam solitudinem sit conversa, ut ab

hominibus desierit inhabitari. Qua de re iam fuit ad Isaiae Cap. 13. v. 19.

4. *In diebus illis, et in tempore illo, ait Dominus, venient filii Israel, ipsi, et filii Juda simul: ambulantes, et flentes properabunt, et Dominum Deum suum quaerent.* 5. *In Sion interrogabunt viam:* hoc est, quaerent, quae via ducat ad Sion: *huc facies eorum: venient, et adponentur ad Dominum foedere sempiterno, quod nulla oblivione delebitur.* Ad novum hoc foedus pertinere, perspicuum fit ex eo, quod dicatur sempiternum, et nulla oblivione delendum. Foedus autem vetus non fuit sempiternum, utpote, quod a Deo abrogatum est Hebr. 8. v. 8. Si autem ille filiorum Israel, et Juda ad Sionem reditus, et conventus ad novum foedus pertinuit; Sion quoque intelligitur novi foederis Ecclesia. Sub typo igitur redeuntium e captivitate Babylonica Judaeorum, quod iam saepius fuit, altius res erigitur, et spectat ad conversionem omnium gentium, earumque consociationem in unum Dei populum, ad unamque Christi Ecclesiam. 6. *Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus: de monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui.* In montibus, et collibus excelsa sua, atque in his idola sua Israelitae habuerunt, eaque venerabantur. Dum ergo de monte ad collem transiisse dicuntur; significatur, illos ex alio in aliud genus idololatriae semper cecidisse, diversosque deos coluisse, suique cubi-

lis esse oblitos: hoc est templi, quod eorum, qui modo grex vocantur, debebat esse ovile. 7. *Omnes, qui invenerunt, comederunt eos, et hostes eorum dixerunt: non peccavimus, pro eo, quod peccaverunt Domino decori iustitiae, et exspectationi patrum eorum Domino.* Omnes, qui invenerunt eos, comederunt eos, velut errantes oves, et non positas sub cura, et custodia sui pastoris: et hostes eorum dixerunt se se non peccare comedendo illos, siquidem pro merito hoc illis accidat, qui Deo peccaverint, qui decor iustitiae est, et in quo patres eorum suam habuerint exspectationem. Sensus igitur est, illos direptioni hostium iuste esse traditos, atque permissos a Deo, quem iniquissime deseruerint, quique a Dei cultu, quem a patriarchis sibi traditum habuerunt, desciverint.

8. *Recedite de medio Babylonis, et de terra Chaldaeorum egredimini, et estote quasi hoedi ante gregem.* Monitio haec eo pertinet, ut quemadmodum haedi praecurrerent oves, quae sunt in eodem grege; sic ipsi in redeundo ex Babylonia anteriores studerent esse. Hoc autem Judaei non fecerunt, praeter Apostolos, et eos, qui in Christum crediderunt, potissimaque eorum pars in Babylonia, hoc est in infidelitate erga Christum, peregreque ab eius Ecclesia mansit. Talis adhortatio ad eos etiam fuit Isaiae 42. v. 18. „Surdi audite, et coeci intuemini ad videndum. „ Quis „ coecus, nisi servus meus? et surdus, nisi ad quem „ nuncios meos misi?“ „Factique sunt novissimi primi, et primi novissimi.“ Luc. 13. v. 30. 9. *Quo-*

niam ecce ego suscito, et adducam in Babylonem congregationem gentium magnarum de terra Aquilonis, et praeparabuntur adversus eam, et inde capietur: sagitta eius, quasi viri fortis interfectoris, non revertetur vacua. Tam hic, quam supra versu 3. Medorum, et Persarum gentes, quae hoc exitium, quod nunc praedicitur, Babyloniae attulerunt, respectu Judaeae, dicuntur ab Aquilone venisse. Est enim hoc in more Scripturae, ut plagae cum respectu ad Judaeam determinentur, resque adcommodaretur Judaeis, quorum gratia, non illis, de quibus scribebatur. Sagitta eius, in numero singulari, intelligitur, uniuscuiusque eorum, qui in illa congregatione gentium magnarum adversus Babylonem futuri erant. 10. *Et erit Chaldaea in praedam: omnes vastantes eam replebuntur: ait Dominus.* Praeda replebuntur omnes, qui eam vastabunt. 11. *Quoniam exultatis, et magna loquimini diripientes haereditatem meam: quoniam effusi estis, sicut vituli super herbam, et mugistis sicut tauri.* Chaldaeis, dum cepissent Jerusalem hoc exprobratur. Comparatio cum mugitu tauri denotat et ferociam, qualis est in tauro, et aviditatem hostium, qua ferrentur ad praedam, ut tauri, atque boves magiunt, dum cupidius appetunt escam. „Num rugiet onager, cum habue„rit herbam, ait Job Cap. 6. v. 5. aut mugiet bos, „cum ante praesepe plenum steterit?“

12. *Confusa est mater vestra nimis, et adaequata pulveri, quae genuit vos. Ecce novissi-*

ma erit in gentibus, deserta, invia, et arens. Babylon haec eorum mater vocatur, quaeque sic conterenda dicitur, ut similis fiat pulveri, et cuius cum amplissimum fuisset in orbe imperium; vix illius nationis aliquod vestigium relictum est. 13. *Ab ira Domini non habitabitur, sed redigetur tota in solitudinem. Omnis, qui transibit per Babylonem; stupebit, et sibilabit super universis plagis eius.* 14. *Praeparamini contra Babylonem per circuitum omnes, qui tenditis arcum: debellate eam, non parcatis iaculis, quia Domino peccavit.* 15. *Clamate adversus eam: ubique dedit manum:* hoc est, victa est omni ex parte: victus enim victori manus dat, captivumque se praebet, dum vitam saltem conservare conatur, qui ultra resistere hosti non potest: *ceciderunt fundamenta eius, destructi sunt muri eius, quoniam ultio Domini est. Ultionem accipite de ea: sicut fecit, facite ei.* 16. *Disperdite satotem de Babylone, et tenentem falcem in tempore messis.* Ad exaggerandam cladem hoc pertinet, quando non soli milites, qui in acie steterunt, sed coloni etiam, et agrorum cultores iubentur interfici in victoria. *A facie gladii columbae unusquisque, ad populum suum convertetur, et singuli ad terram suam fugient.* Columba est Babylonius, ut isto nomine iam etiam supra cap. 25. v. 38. et cap. 46. v. 16. idem fuit compellatus. A facie ergo gladii, quo Babylonius affectus est, unusquisque, qui in eius exercitu erit, confugiet, atque exercitus, qui co-

actus erat ex omnibus eius provinciis, dilabetur, singulis domum, et ad suam patriam confugientibus, ut solet fieri, quando desperatio invadit milites de ratione ulterius resistendi hosti, qui iam potitus victoria est.

17. *Grex dispersus Israel, leones eiecerunt eum. Primus comedit eum Assur: iste novissimus exossavit eum Nabuchodonosor rex Babylonis.* Primus Assur fuit Salmanasar rex Assyriorum, qui decem tribus Israel in captivitatem duxit 4. Reg. 17. v. 3. Dumque Nabuchodonosor de duabus etiam reliquis tribubus Juda, et Benjamin, ex quibus regnum Juda constabat, idem fecit, exossata gens tota, et spoliata dignitate omni et auctoritate sua est. 18. *Propterea haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego visitabo regem Babylonis, et terram eius, sicut visitavi Assur.* Assyriorum imperium evertit Nabopolassar, illius Nabuchodonosoris, qui Jerusalem cepit, et Judaeos in captivitatem duxit, pater, illudque ad Chaldaeos transtulit, ut est apud Petavium Rationarii Temporum Part. 2. l. 3. cap. 4. Hoc ergo est, quod nunc dicitur futurum; ut Deus ita visitet regem Babylonis, sicut antea visitavit regem Assyriorum. Saracus is fuit rex Assyriorum, qui in civitate Ninive cum habuisset imperii sui sedem, hac capta et expugnata a Nabopolassare, imperio privatus est. Babyloniorum rex ultimus fuit Balthasar, et in quo contigit illud, quod modo praedicitur. 19. *Et reducam Israel ad habitaculum*

suum, et pascetur Carmelum, et Basan, et in monte Ephraim, et Galaad saturabitur anima eius. 20. *In diebus illis, et in tempore illo, ait Dominus, quaeretur iniquitas Israel, et non erit: et peccatum Juda, et non invenietur: quoniam propitius ero eis, quos reliquero.* Quorsum hoc iterum pertineat, et quae ista intelligatur liberatio sub nomine illius liberationis, quae facta est ex captivitate Babylonica, et quo tamquam ad primarium suum scopum referatur haec praedictio; non est difficile iterum perspicere, quod Deus se tum ita ablaturum dicat iniquitatem et peccatum Israelis, atque Juda, ut non sit, nec reperiatur, et illis, quos reliquerit, propitium se fore dicat. Finem enim accepit peccatum, et deleta est iniquitas per Christum. Dan. 9. v. 24. Et cum esset multitudo filiorum Israel, ut arena maris, solae reliquiae salvae factae sunt etiam per eumdem Christum. Isa. 10. v. 22. Rom. 9. v. 27.

21. *Super terram dominantium adscende, et super habitatores eius visita, dissipa, et interfice, quae post eos sunt, ait Dominus, et fac juxta omnia, quae praecepi tibi.* Ad hostem, vastatorem Babyloniorum, Dei hoc est imperium, atque mandatum. *Interfice, quae post eos sunt:* intelliguntur Babyloniorum posteri. Praecipitur ergo, ut stirpitus evellantur, et exscindantur. 22. *Vox belli in terra, et contritio magna.* 23. *Quomodo confractus est, et contritus malleus universae terrae? Quomodo versa est in desertum*

Babylon in gentibus? inter gentes? 24. *Illaqueavi te, et capta es Babylon, et nesciebas: inventa es, et apprehensa, quoniam Dominum provocasti.* Non nesciebat se capi, dum iam caperetur; sed antea istud non cogitabat sibi eventurum, neque hoc prospexerat. 25. *Aperuit Dominus thesaurum suum, et protulit vasa irae suae, quoniam opus est Domino Deo exercituum in terra Chaldaeorum.* Pro thesauro in Hebraeo est vocabutum *Otzar* (אוֹצָר) quod generatim significat repositorium. Syrus luculentissime *armamentarium* vertit. Vasa consvetudine loquendi Hebraeorum eadem sunt, quae instrumenta. Arma igitur bellica, tamquam ex armamentario prolata, intelliguntur.

26. *Venite ad eam ab extremis finibus, aperite, ut exeant, qui conculcent eam: tollite de via lapides, et redigite in acervos, et interficite eam: nec sit quidquam reliquum.* Hebraice: *Venite ei a fine, aperite horrea eius, calcate eam sicut acervos, et delete internecione eam, ne sit ei residuum.* (באו־לָהּ מִקֵּץ פִּתְחוּ מַאֲבֻסֶיהָ סָלּוּהָ כְמוֹ־עֲרֵמִים וְהַחֲרִימוּהָ אַל־תְּהִי־לָהּ שְׁאֵרִית) Venite ei a fine, Chaldaeus vertit: *Ingredimini ad eam a latere.* Sensus igitur est, ut hostes eam circumdent, et cingant. Deinde dicitur, ut eius horrea aperiant, et calcent eam sicut acervos, urbes autem intelliguntur, ipsique Babylonii deinde ut more frumenti, quod adhuc in acervo est, calcentur, et internecione deleantur, ne ullae ei remaneant re-

liquiae. 27. *Dissipate universos fortes eius, descendant in occisionem. Vae eis, quia venit dies eorum, tempus visitationis eorum.* 28. *Vox fugientium, et eorum, qui evaserunt de terra Babylonis, ut annuncient in Sion ultionem Domini Dei nostri, ultionem templi eius.* Judaeos inducit, et laetas eorum voces, dum redirent ex Babylonia, quibus Deum celebrarent, quod ultionem sumpserit de Babylone propter eversum templum, et vastatam Sionem. 29. *Annunciate in Babylonem plurimis:* Fit convocatio quam plurimorum contra Babylonem. Quare hoc ita Syrus vertit: „Convo„cate multos contra Babelem:“ *Omnibus, qui tendunt arcum:* intellige antecedens verbum: annunciate: *consistite adversus eam per gyrum, et nullus evadat. Reddite ei secundum opus suum; iuxta omnia, quae fecit, facite illi, quia contra Dominum erecta est, adversum Sanctum Israel.* 30. *Idcirco cadent iuvenes eius in plateis eius, et omnes viri bellatores conticescent in die illa, ait Dominus.* 31. *Ecce ego ad te Superbe, dicit Dominus Deus exercituum, quia venit dies tuus, tempus visitationis tuae.* Per Superbum rex Babylonis intelligitur, ut hoc Chaldaeus manifeste posuit pro hoc: *Superbe* ponendo: *O rex impie.* 32. *Et cadet Superbus, et corruet, et non erit, qui suscitet eum: et succendam ignem in urbibus eius, et devorabit omnia in circuitu eius.*

33. *Haec dicit Dominus exercituum: Calumniam sustinent* Hebraice *oppressi sunt* (עֲשׁוּקִים)

filii Israel, et filii Juda simul. Omnes, qui ceperunt eos, tenent: nolunt dimittere illos. 34. *Redemptor eorum fortis, Dominus exercituum nomen eius, iudicio defendet causam eorum, ut exterreat terram, et commoveat habitatores Babylonis.* 35. *Gladius ad Chaldaeos, ait Dominus, et ad habitatores Babylonis, et ad principes, et ad sapientes eius.* 36. *Gladius ad divinos eius, qui stulti erunt.* Divini intelliguntur, qui divinationem faciebant, futurorumque praedicendorum scientiam profitebantur. Hi ergo stulti dicuntur facti esse, qui de hoc suo casu divinare nihil sciverint. *Gladius ad fortes illius, qui timebunt.* 37. *Gladius ad equos eius, et ad currus eius, et ad omne vulgus, quod est in medio eius: et erunt, quasi mulieres; gladius ad thesauros eius, qui diripientur.* 38. *Siccitas super aquas eius erit, et arescent: quia terra sculptilium est, et in portentis gloriantur.* Euphratem, qui Babylonis moenia subiens urbem interluebat, Cyrus cum in plures ramos divisisset, in fossasque aquas derivasset, militibus viam aperuit, qua per fluminis alveum, qui defecerat, aqua militum tantum umbilicos attingente, intra moenia, et ad urbem penetrarent, nihil eiusmodi opinantibus Chaldaeis, et vel tum maxime genio indulgentibus, convivium celebrante ipso etiam rege Balthasare cum mille suis optimatibus, ut est in Daniele cap. 5. v. 30. et apud Xenophontem Cyropaediae l. 7. et Herodotum l. 1, c. 161. Sequenti quoque capite non obscure tangit Jeremias istius expugnatio-

nis per derivationem fluminis rationem, dum in ea memorat versu 32. vada esse praeoccupata, et incensas paludes. Pro portentis, in quibus Babylonii gloriarentur, in Hebraeo est vocabulum *Emim*. Quod vero significat aliquid terrorem afferens: quam ob causam etiam gigantibus tributum fuit Deut. 2. v. 10. Itaque pro vano terriculamento hic a Propheta usurpatur. Quali omnino inani metu ferebantur erga suos deos gentiles, qui sensu, et vita carentes nec boni quidquam, nec mali poterant illis facere. Chaldaeus manifestius hic pro portentis posuit *idola*, Syrus *simulacra*.

39. *Propterea habitabunt dracones cum faunis ficariis, et habitabunt in ea struthiones: et non inhabitabitur ultra in sempiternum.* Pro draconibus in Hebraeo est vocabulum *Tziim*, pro faunis ficariis *Ijim*. Quae eadem nomina iam producta sunt etiam ad Isaiae cap 13. v. 21. et 22. ibique declaratum est priore feles silvestres designari, altero thoes, quod genus animalium in Arabia fere lupo est simile. Pro struthionibus autem in Hebraeo sunt *filiae ululae*. (בְּנוֹת יַעֲנָה) Ulula autem est avis ex genere noctuarum. 40. *Sicut subvertit Dominus Sodomam, et Gomorrham, et vicinas eius, ait Dominus: non habitabit ibi vir, et non incolet eam filius hominis.* Quis squallor solitudinis Babylonem sit secutus; est demonstratum ad Isaiae locum, quem modo paulo ante commemoravi. 41. *Ecce populus venit ab Aquilone, et gens magna, et reges multi consurgent a finibus terrae.* In il-

la expeditione, qua subversum est Babyloniae imperium, fuisse in Cyri exercitu plures reges cum suis copiis, quos partim habuerit sibi subiectos, et clientelares, partim foedere consociatos, ut Armeniorum, Lydiorum, Hircaniorumque reges, docet etiam Xenophon lib. 5. Cyropaediae.

42. *Arcum, et scutum apprehendent: crudeles sunt, et immisericordes: vox eorum, quasi mare, sonabit: et super equos adscendent, sicut vir paratus ad praelium contra te filia Babylon.* 43. *Audivit rex Babylonis famam eorum, et dissolutae sunt manus eius: angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientem.* 44. *Ecce quasi leo adscendet de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam: quia subito currere faciam eum ad illam. Et quis erit electus, quem praeponam ei? Quis est enim similis mei? Et quis sustinebit me? et quis est iste pastor, qui resistat vultui meo?* Eadem ratione supra usus est iam Jeremias capite 49. v. 19. ad explicandam vim exercitus Nabuchodonosoris adversus Idumaeam, qua modo hic utitur de Medis, et Persis adversus Babyloniam; et utrobique eam comparat cum leonis impetu venientis ab Jordane, dum turget fluctibus: et fortasse tum in vere, quando abundat aquis ex solutione nivium in monte Libano Jordanes, etiam leones aliqua ex causa existunt ferociores, fereque ad verbum reliquam orationem ita hic componit, etiam subsequente adhuc versu, ut ibi fit. Quibus proinde immorandum hic iam non est, cum ibi

explanata sint. 45. *Propterea audite consilium Domini, quod mente concepit adversum Babylonem, et cogitationes eius, quas cogitavit super terram Chaldaeorum: nisi detraxerint eos parvuli gregum, nisi dissipatum fuerit cum ipsis habitaculum eorum.* 46. *A voce captivitatis Babylonis commota est terra, et clamor inter gentes auditus est.* Chaldaeus: *A voce, qua capta est Babylon, commota est terra, et clamor in populis auditus est.* Syrus: *Prae fragore captae Babelis contremuit terra, clamore eius impletus est orbis.*

CAPVT LI.

Eadem Prophetia in Babylonios continuatur.

1. *HAEC dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super Babylonem, et super habitatores eius, qui cor suum levaverunt contra me, quasi ventum pestilentem.* 2. *Et mittam in Babylonem ventilatores, et ventilabunt eam, et demolientur terram eius, quoniam venerunt super eam undique in die afflictionis eius:* isti scilicet ventilatores. 3. *Non tendat, qui tendit arcum suum, et non adscendat loricatus.* Non tendat, non adscendat, utrobique, ubi Latinus negativam particulam *non* posuit, est in Hebraeo *El.* (אל) Haec vero vocula apud Hebraeos verbis-praefixa, facit etiam hunc sensum: *Propter quod tendat, qui tendit arcum suum, et adscendat loricatus.* Et ita res magis nectitur tam cum antecedente, quam subsequente oratione. Non

solet quidem illa vocula cum vocali *Segol* ut modo est in Bibliis, sed cum *Pathach*, ut eam Hebraei vocant, notar. Sed cum puncta non sint Bibliis coaeva, sed postea a Masorethis tantum subiecta; non est haec punctatio illius auctoritatis; ut, si ratio sit, liberum non sit recedere: atque eo magis, quod nec tunc scribatur per *Segol*, sed per *Pathach*, quando significationem Latinae voculae: *non* facit: quomodo tamen Latinus Interpres, et S. Hieronymus hic vertit. Cum ergo ventilatores dixisset se Deus missurum, istique essent Medi, et Persae milites, ad hos deinde armatos, loricaque vestitos, et sagittis, atque arcu instructos fit hortatio, ut sibi datum negotium in Chaldaeos strenue exsequantur. *Nolite parcere iuvenibus eius, interficite omnem militiam eius.* 4. *Et cadent interfecti in terra Chaldaeorum, et vulnerati in regionibus eius.* 5. *Quoniam non fuit viduatus Israel, et Juda a Deo suo Domino exercituum: terra autem eorum repleta est delicto a sancto Israel.* Quoniam Israel, et Juda non sunt derelicti a Deo suo, Domino exercituum: terram autem illorum sanctus Israel replevit delicto: id est poena, per metonymiam, quae ipsorum debetur delicto. Syrus vertit: *Terra illorum plena est iniquitate coram Sancto Israel.*

6. *Fugite de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam: nolite tacere super iniquitatem eius, quoniam tempus ultionis est a Domino, vicissitudinem ipse retribuet ei.* Nolite tacere super iniquitatem eius. Hebraice: *Ne disperdamini*

propter iniquitatem eius: (אל־תדמו בעונה) Syrus vertit: *Fugite de medio Babylonis, et eripite quisque seipsum, ne scelerum eius poenas luatis. 7. Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram: de vino eius biberunt gentes, et ideo commotae sunt.* Per Chaldaeos Deus prius punivit ceteras gentes. Hoc est ergo, quod nunc dicitur, Babylonem fuisse aureum calicem in manu Dei, unde toti terrae, omnibusque aliis nationibus ad bibendum dederit, illasque inebriaverit, quaeque ebriae illo calice furoris Domini, quem exercuit per Chaldaeos, commotae sint, hoc est more ebriorum titubaverint, et ceciderint. Hoc vero eo pertinet, quod proxime antecessit, Deum suam ei vicissitudinem retribuisse, et quod illa erga alios fecit, idem etiam ipsi rependisse. Ex hoc vero intelligitur, tametsi Deus Nabuchodonosorem servum suum, et columbam vocet, supra cap. 25. v. 9, 38. iniquum id fuisse, quod Nabuchodonosor, et Chaldaei fecerunt, dum bello lacessivissent, sibique subiecissent ceteras nationes, quantum attinet ad belli causam, quam pro se Nabuchodonosor habuit, et ad crudelitatem, quam in victoria exercuit; et eatenus tantum servivisse Dei voluntati, quatenus Deus illius actione, quantumvis iniqua, ut instrumento, uti voluerit ad puniendos tam Judaeos, quam ceteros etiam populos, ut hoc fecit etiam erga Davidem: dum contra hunc coniurasset Absalom filius, maledixissetque ei Semei, et quam coniurationem suscitasse 2. Reg. 12. v. 11. maledictionemque Semeio imperasse Deus di-
citur

citur 2. Reg. 16. v. 10. tametsi hoc utrumque is solummodo permiserit, uti David, qui propter adulterium, et homicidium noxius erat, plecteretur, et cui Divinae voluntati quantum res spectabat ad plectendum Davidem, tam Semei, quam Absalom, sua etiam iniquitate, et flagitiosissimo facinore servierint. 8. *Subito cecidit Babylon, et contrita est: ululate super eam, tollite resinam ad dolorem eius, si forte sanetur.* De resina, quod adhiberetur pro medicina, fuit etiam supra cap. 46. v. 11.

9. *Curavimus Babylonem, et non est sanata: derelinquamus eam, et eamus unusquisque in terram suam: quoniam pervenit usque ad caelum iudicium eius, et elevatum est usque ad nubes.* Illi, qui convenerant, ut ei auxilium adversus Persas, et Medos ferrent, hoc dicebant, uti Babylonem derelinquerent, et quisque in suam propriam regionem, unde venerat, rediret, cum viderent salutem eius esse desperatam. Huc ergo resina quoque superiore versu pertinet, ut si in casu illam suo adhuc possent servare, et ei, antequam totum exhalet spiritum, aliquid opis adferre, illamque ex casu erigere, et recreare; probarent, hanc ei adhiberent, afflictaeque subvenirent. Desperasse autem, ut modo hoc versu est, illos ipsos, qui pro eius auxilio fuerant, et tamquam animam agentem, de cuiusque salute iam esset conclamatum, deserendi eam consilium suscepisse. Judicium eius hi iidem dicebant pervenisse usque ad caelum, et nubes, quod quomodo caelum expositum est omnium oculis; ita ma-

nifestum sit, esse de illa Dei factum iudicium, ut intereat, cuius proinde servandae ulterius spes nulla sit.

10. *Protulit Dominus iustitias nostras. Venite, et narremus in Sion opus Domini Dei nostri.* In sua, et Judaeorum persona Propheta loquitur. Sensus autem est, Deum, dum tale de Babyloniis supplicium sumpsit, declarasse, scelus illud fuisse, quod Jerosolymam, et templum vastaverint, Judaeosque tam acerbe habuerint. Justitias autem suas prolatas, et quasi demonstratas esse dicunt, quia tametsi ipsi poenam illam, quam ab Chaldaeis subiverunt, meruissent; non ideo tamen ius fuit Chaldaeis saeviendi in illos, et quatenus hoc ipsi ex malignitate erga eos fecerunt, peccaverunt, iniquitatemque, ut paulo ante demonstratum est, commiserunt; peraeque ut non propterea vel Absalom, vel Semei non iniuriosus in Davidem, et immunis a crimine fuit, quod illud, quod admiserunt in eum, huius iusta poena fuerit. Opus Dei sui vocant ipsum hoc de Babyloniis sumptum a Deo supplicium, vindictamque, quam in illos exercuit. 11. *Acuite sagittas, implete pharetras: suscitavit Dominus spiritum regum Medorum, et contra Babylonem mens eius est, ut perdat eam, quoniam ultio Domini est, ultio templi sui.*

12. *Super muros Babylonis levate signum, augete custodiam, levate custodes, praeparate insidias:* Ad Babylonios est versa Prophetae oratio,

ut se vi omni, et ratione defendant, et quae defensio moenium omnis futura sit cassa, et inanis: *quia cogitavit Dominus, et fecit*, et faciet, *quaecumque locutus est contra habitatores Babylonis.* 13. *Quae habitas super aquas multas, locuples in thesauris, venit finis tuus pedalis praecisionis tuae.* Per mediam Babylonem Euphrates fluvius transibat, cuius aquae in fossam deductae totam urbem insuper ambiebant, ut protegerentur moenia, arcerentque ab accessu hostem: Tigris quoque alter fluvius unum eius latus alluebat. Itaque propterea habitare super aquas multas dicitur. Hoc: *Venit finis tuus pedalis praecisionis tuae*, est in Hebraeo: *Venit finis tuus, mensura lucri tui* (בָּא קִצֵּךְ אַמַּת בִּצְעֵךְ) Praecessit proxime in hoc versu: *locuples in thesauris.* Quae erat ergo locuples in thesauris suis, huic dicitur venisse finis in coacervandis illis thesauris, huiusque lucra, ne ulterius accumularentur, dicuntur attigisse suam mensuram, atque terminum.

14. *Juravit Dominus exercituum per animam suam: quoniam replebo te hominibus quasi brucho, et super te celeuma cantabitur.* Hoc: *Juravit Dominus per animam suam*, Syrus vertit: *Juravit Dominus per semetipsum.* Homines autem hi, quibus se repleturum dicit Deus Babylonem, hostium intelligitur vis, et multitudo. Celeuma, ut iam saepius dictum est, hortatorium carmen est ad strenue aliquid agendum, speciatimque, dum calcarentur in vindemia uvae. Sensus igitur est, futurum, ut

Babylon quoque sic conculcetur per bachantes in victoria hostes. 15. *Qui fecit terram in fortitudine sua, praeparavit orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit caelos.* 16. *Dante eo vocem, multiplicabuntur aquae in caelo: qui levat nubes ab extremo terrae, fulgura in pluviam fecit, et produxit ventum de thesauris suis.* Fulgura Deus in pluviam dicitur facere, quod post fulgur in tempestate, atque tonitru per concussionem inter se nubium vehementior deinde imber effundi consvescat. Ventos vero Deus dicitur habere in suis thesauris, quorum ipse producendorum solus sibi reconditam, atque servatam teneat potestatem.

17. *Stultus factus est omnis homo a scientia, confusus est omnis conflator in sculptili, quia mendax est conflatio eorum, nec est spiritus in eis.* Stultus factus est omnis homo a scientia, scientia intelligitur sculpturae artis, fingendorumque simulacrorum, quod deinde altera pars versus declarat. Mendaxque eorum conflatio dicitur, quod, dum hominem sculptor fingit, simulacrum illud, quod finxit, hominem tantummodo mentiatur, non reapse sit homo, quod vita, et sensu careat. 18. *Vana sunt opera, et risu digna: in tempore visitationis suae peribunt.* Dum simulacris deorum casus adversus accidit, verbi gratia, si ignis incidat, pereunt, vertunturque in cinerem. 19. *Non sicut haec, pars Jacob: quia, qui fecit omnia, ipse est, et Israel sceptrum haereditatis eius: Dominus exercituum nomen eius.* Deus dicitur pars Jacob, sive quod

idem est, haereditas populi Israelitici. Ratione enim totius alicuius haereditatis, quae obtingit haeredibus, est illa erga singulos haeredes solummodo pars, siquidem eius divisio fiat. Hinc vero vocabulum partis translatum est generatim ad haereditatem, etiam dum eam haeres ex asse acciperet. Ut profecto, dum Deus dicitur pars Israelitis, possidendus Deus singulis Israelitis totus promittitur. Vicissimque Deo idem Israeliticus populus fuit, estque haereditas: et in quo iure haereditario, atque perpetuo sceptrum, regiamque dignitatem teneret.

20. *Collidis tu mihi vasa belli, et ego collidam in te gentes, et disperdam in te regna.* Hebraice: *Malleus tu mihi, instrumenta belli:* (מַפֵּץ־אַתָּה לִי כְּלֵי מִלְחָמָה) Est autem apostrophe ad Babylonem, qua Deus usurum se dicit veluti malleo, atque bellico instrumento ad collidendas, et concutiendas gentes, disperdenda, dissipandaque regna. Praepositio *in* tam in hoc versu, quam in subsequentibus, est in locum praepositionis *per* posita. 21. *Et collidam in te equum, et equitem eius, et collidam in te currum, et adscensorem eius;* 22. *et collidam in te virum, et mulierem, et collidam in te senem, et puerum, et collidam in te iuvenem, et virginem:* 23. *et collidam in te pastorem, et gregem eius; et collidam in te agricolam, et iugales eius; et collidam in te duces, et magistratus.* 24. *Et reddam Babyloni, et cunctis habitatoribus Chaldaeae omne malum suum, quod fecerunt in Sion, in oculis vestris, ait Dominus.*

Postquam vero Chaldaeis, velut instrumento usurum se dixisset adversus istos omnes, qui modo enumerati sunt; illis quoque redditurum se Deus ostendit, quod adversus Sionem commiserunt, idque in oculis Judaeorum, ut eorum supplicium ipsi cernant.

25. *Ecce ego ad te mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis universam terram: et extendam manum meam super te, et evolvam te de petris, et dabo te in montem combustionis.* Erat Babylon in plano sita. Montis tamen nomine compellatur ob eius superbiam, ut hoc iam ad Isaiae 13. v. 2. demonstratum est. Pestiferque vocatur, qui totam terram corruperit, hoc est perdiderit vastando. Evolvam te de petris, hoc est protraham te ex moenibus tuis, atque munimentis tuis. Dabo te in montem combustionis, hoc est, faciam ex te acervum favillae, et cinerum. 26. *Et non tollent de te lapidem in angulum, et lapidem in fundamenta, sed perditus in aeternum eris, ait Dominus.* Igne, et incendio lapides alias duri ita vitiantur, ut iam eo, ubi firmitate opus est, adhiberi non possint. In angulis autem, et fundamentis consistit soliditas aedificiorum, eorumque firmitas.

27. *Levate signum in terra, clangite buccina in gentibus, sanctificate super eam gentes, annunciate contra illam regibus Ararat, Menni, et Ascenez; numerate contra eam Taphsar, adducite equum, quasi bruchum aculeatum.* Levare signum, est vexillum in alto constituere, quo milites ad exer-

citum confluant, quo signum quoque buccinae pertinet ad convocandum: sanctificare gentes adversus Babylonem significat eas cogere, et praeparare ad bellum, de qua significatione istius verbi iam alias etiam dictum est: nominatimque Ararat, Menni, et Ascenez regibus, ut ad bellum hoc conveniant, promulgandum dicitur. *Ararat* est regionis nomen in Armenia, ut S. Hieronymus etiam docet in Isaiae cap. 37. *Menni* itidem est in Armenia, quod regnum Minyarum Josephus l. 1. Ant. c. 4. vocat. Ascenez fuit Armeniae vicina regio: nomen accepit ab Ascenez filio Gomer, ex stirpe Joseph. Gen. 10. v. 3. *Numerate contra eam Taphsar.* Est hoc Hebraicum vocabulum, quod significat ducem, vel principem. Praecipitur ergo, ut duces exercitus constituantur, et recenseantur, veluti fit in expeditionibus bellicis, dum in magno exercitu singulis ducibus suae partes assignantur, copiaeque inter eos dividuntur sub unius tamen supremo imperio. Bruchorum vero cum sit caeco impetu in volatu ferri, et involare in omnia, in hoc tali impetu equi illis in bello assimilantur, ut audacter, et sine metu in Babylonios incurrant. 28. *Sanctificate contra eam gentes*, hoc est praeparate, ut Paulo ante declaratum est, *reges Mediae, duces eius, et universos magistratus eius, cunctamque terram potestatis eius.* 29. *Et commovebitur terra, et conturbabitur, quia evigilabit contra Babylonem cogitatio Domini, ut ponat terram Babylonis desertam, et inhabitabilem.*

30. *Cessaverunt fortes Babylonis a praelio, habitaverunt in praesidiis, devoratum est robur eorum, et facti sunt quasi mulieres: incensa sunt tabernacula eius, contriti sunt vectes eius.* Praelium nimirum commissum fuit cum Chaldaeis a Medis, et Persis in campo, ubi ab his illi victi et fugati, se se receperunt intra Babylonis moenia, ut est etiam apud Xenophontem in Cyropaedia. 31. *Currens obviam currenti veniet, et nuncius obvius nuncianti, ut annunciet regi Babylonis, quia capta est civitas eius a summo usque ad summum.* Hoc est, ab una extremitate ad alteram. Dicitur ergo eodem tempore accursuros nuncios ab aliis, et aliis urbis partibus, et qui nuncii sibi occurrant, dum ut hoc nuncient, captam esse totam urbem, et in manibus hostium, currunt ad regem. 32. *Et vada praeoccupata sunt, et paludes incensae sunt igni, et viri bellatores conturbati sunt.* Qua ratione milites in urbem penetraverint, aquis ex Euphrate deductis, atque derivatis alio, ad superioris capitis versum 38. demonstratum est. In ora autem fluminis, in eiusque aestuariis crescit arundo, nostra multo crassior, et robustior. Quo ergo militibus daretur maior facultas per flumen in urbem irrumpendi; arundo haec quoque succensa, et combusta ab illis est. 33. *Quia haec dicit Dominus exercituum Deus Israel: Filia Babylonis quasi area: tempus triturae eius:* intelligitur verbum: Filia Babylonis quasi area est, tempus triturae eius erit: *adhuc modicum, et veniet tempus messionis eius.*

34. *Comedit me, devoravit me Nabuchodonosor rex Babylonis: reddidit me quasi vas inane, absorbuit me quasi draco, replevit ventrem suum teneritudine mea, et eiecit me.* 35. *Iniquitas adversum me, et caro mea super Babylonem, dicit habitatio Sion, et sangvis meus super habitatores Chaldaeae, dicit Jerusalem.* Replevit ventrem suum teneritudine mea, Hebraice *deliciis meis.* (מעדני) Res autem pretiosae intelliguntur, quas cum Nabuchodonosor omnes diripuisset, atque his se implevisset, Jerusalemque inanem, et vacuam tam rebus, quam hominibus fecisset; thesauros, quos rapuit; hos deinde Persis, et Medis evomuerit, in quorum potestatem haec omnia postea transiverint. Recidit super Babylonem iniquitas, quam adversum me, Jerusalem, et Sion ita loquitur, exercuit; et caro, atque sangvis meus, caedes, quas in me patraverunt, venerunt super Chaldaeos.

36. *Propterea haec dicit Dominus: Ecce ego iudicabo causam tuam, et ulciscar ultionem tuam, et desertum faciam mare eius, et siccabo venam eius.* Maris nomine tropice affluentia rerum omnium Babylone, et hominum multitudo, quae eam incoluit, intelligitur. Et quod mare Deus ita exhauserit, ut venas etiam ei omnes, unde ei aquae rursus affluere possent, recuperareque statum pristinum, praeciderit. Sensus ergo est Babylonem sic esse vastandam, ut ex ruinis suis numquam consurgat. 37. *Et erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, stupor, et sibilus eo, quod non sit ha-*

bitator. Draco, Hebraice *Tannim*, quod hoc nomine ferum quodcumque animal intelligatur, iam est saepius declaratum. 38. *Simul ut leones rugient, excutient comas velut catuli leonum.* De Chaldaeis est hoc, ut est perspicuum ex contextu. Fit vero hic eorum comparatio cum leone, dum sauciatur, et ad vitae desperationem impellitur, ex eaque fremit, et se iactat, atque iubas excutit. 39. *In calore eorum ponam potus eorum, et inebriabo eos, ut sopiantur, et dormiant somnum sempiternum, et non consurgant, dicit Dominus.* In calore eorum ponam potus eorum: hoc est potum illis praebebo, quo incalescant, et accendantur ad rabiem, atque furiam. Est ergo duplex assimilatio cum inebriatione, ex qua et ad desperationem impellantur, moreque ebriorum insaniant; et etiam ad soporem inducantur, mortiferum illum, ex quo non amplius evigilent. 40. *Deducam eos, quasi agnos, ad victimam, et quasi arietes cum haedis.*

41. *Quomodo capta est Sesach, et comprehensa est inclyta universae terrae? quomodo facta est in stuporem Babylon inter gentes?* Qua ratione Babylon vocetur etiam Sesach, est demonstratum ad capitis 25. v. 26. 42. *Adscendit super Babylonem mare, multitudine fluctuum eius operta est.* Mare positum est pro multitudine hominum in hostili exercitu, cuius vi oppressa est. Quamobrem Chaldaeus hoc ita vertit: *Adscendit contra Babylonem rex cum copiis suis numerosis, quasi aquis*

maris, tumultu fluctuum eius cooperta est. 43. *Factae sunt civitates eius in stuporem, terra inhabitabilis, et deserta, terra, in qua nullus habitet, nec transeat per eam filius hominis.* 44. *Et visitabo super Bel in Babylone, et eiiciam, quod absorbuerat de ore eius, et non confluent ad eum ultra gentes, siquidem et murus Babylonis corruet.* Bel Babyloniorum deus pro ipsis Babyloniis est positus. Istos ergo praedas reddere coget, quibus se repleverant. 45. *Egredimini de medio eius populus meus, ut salvet unusquisque animam suam ab ira furoris Domini.* 46. *Et ne forte mollescat cor vestrum, timeatis auditum, qui audietur in terra; et veniet in anno auditio, et post hunc annum auditio, et iniquitas in terra, et dominator super dominatorem.* Hortatus erat Propheta Judaeos populares suos, ut vitae suae servandae studio, quisque se conaretur subducere Babylone, ne forte mollescat, inquit, cor vestrum, metuque dissolvatur, dum fama audietur de adventu hostilis exercitus, quique rumor adventum antecedet uno, et altero anno: et quem rumorem consequetur iniquitas, Hebraice: *violentia* (חָמָס) hostilis illa nimirum violentia, et dominator erit super dominatorem, Medus videlicet super Chaldaeum.

47. *Propterea ecce dies veniunt, et visitabo super sculptilia Babylonis, et omnis terra eius confundetur, et universi interfecti eius cadent in medio eius.* 48. *Et laudabunt super Babylonem caeli, et terra, et omnia, quae in eis sunt, quia ab*

Aquilone venient ei praedones, ait Dominus. Dum ab Aquilone adversus Babylonem venerint praedatores, et hostes laudabunt, Hebraice *cantabunt* (רִנְּנוּ) caeli, et terra, gaudio scilicet exultantes de vindicta, quae sumeretur de Babyloniis propter eorum flagitia contra Deum. 49. *Et quomodo fecit Babylon, ut caderent occisi in Israel; sic de Babylone cadent occisi in universa terra.* Intellige in universa ipsorum terra, et regione. „Idioma est „enim S. Scripturae, ait S. Hieronymus in cap. „13. Jsaiae, ut omnem terram illius significet pro„vinciae, de qua sermo est." 50. *Qui fugistis gladium, venite, nolite stare; recordamini procul Domini, et Jerusalem adscendat super cor vestrum.* Ad Judaeos dirigitur iste sermo, ut postquam conservatos se viderint in vita, caesis, et prostratis Chaldaeis; redeat illis in mentem Jerusalem, et de reditu incipiant cogitare, atque istius rei cura, atque studium eos teneat. 51. *Confusi sumus, quoniam audivimus approbrium, operuit ignominia facies nostras, quia venerunt alieni super sanctificationem domus Domini.*

52. *Propterea ecce dies veniunt, ait Dominus, et visitabo super sculptilia eius, et in omni terra eius mugiet vulneratus.* 53. *Si adscenderit Babylon in caelum, et firmaverit in excelso robur suum; a me venient vastatores eius, ait Dominus.* 54. *Vox clamoris de Babylone, et contritio magna de terra Chaldaeorum:* 55. *quoniam vastavit Dominus Babylonem, et perdidit ex ea*

vocem magnam, et sonabunt fluctus eorum, quasi aquae multae: dedit sonitum vox eorum. Vocem magnam perdidit Deus de Babylonia, quando interfecta multitudine ad solitudinem, atque silentium redacta est civitas: rursus vero fluctus eorum sonuerunt instar aquarum multarum, dum occiderentur, fremitusque eorum, et eiulatus undique exaudirentur. 56. *Quia venit super eam, id est super Babylonem praedo, et apprehensi sunt fortes eius, et emarcuit arcus eorum, quia fortis ultor Dominus reddens retribuet.* 57. *Et inebriabo principes eius, et sapientes eius, et duces eius, et magistratus eius, et fortes eius, et dormient somnum sempiternum, et non expergiscentur, ait Rex, Dominus exercituum nomen eius.* 58. *Haec dicit Dominus exercituum: Murus Babylonis ille latissimus suffossione suffodietur, et portae eius excelsae igni comburentur, et labores populorum ad nihilum, et gentium in ignem erunt, et disperibunt.* Erant moenia alta quinquaginta, lata cubitos ducentos, longa sic, ut cum spatium, per quod tendebantur, quadratum esset, latera singula continerent sedecim millia passuum, et portas viginti quinque, atque adeo undique in circuitu portas centum, ut est apud Herodotum l. 1. et de qua magnitudine iam etiam mentio a me facta est ad Jsaiae 14. v. 23.

59. *Verbum, quod praecepit Jeremias propheta Sarajae filio Neriae filii Maasiae, cum pergeret cum Sedecia rege in Babylonem in anno*

quarto regni eius. Sarajas autem erat princeps prophetiae. Sedecias undecimo anno regni sui ductus est Babylonem post captam, et vastatam ab Chaldaeis Jerosolymam, ut etiam sequentis capitis versu 5. est. Hic vero dicitur Sarajas anno quarto illius regni ivisse cum illo. In Hebraeo ubi praepositionem *cum* Latinus Interpres posuit, et vertit: *cum rege*, est vocula *Eth.* (אֵת) Quae vero aliis etiam usibus in oratione inservit, et praestat saepe officium praepositionis nostrae *a* vel *ab* ut sunt istiusmodi exempla Gen. 4. v. 1. cap. 44. v. 4. cap. 49. v. 25. Exod. 9. v. 29. Quare ita hic quoque hanc voculam accipiendo vertendum istud magis videtur sic: Verbum, quod praecepit Jeremias Sarajae, cum pergeret a Sedecia rege in Babylonem: ut intelligatur istud, quod modo narratur, ante adventum Chaldaeorum, et captam Jerosolymam factum esse, cum iam pars Judaeorum cum Jechonia, qui rex ante Sedeciam fuit, ducta Babylonem in captivitatem fuisset. Fuit Sedecias sic rex constitutus a Nabuchodonosore, ut in eius esset fide, et subiectione 2. Paral. 36. v. 13. Quamobrem verisimile est tributi causa, quod deferret ad Nabuchodonosorem, fuisse Sarajam modo a Sedecia missum in Babyloniam. Hic vero Sarajas dicitur princeps fuisse prophetiae. In Hebraeo autem est: *Princeps quietis* (שַׂר־מְנוּחָה) Pro quo Chaldaeus posuit: *Princeps munerum:* quo modo etiam Septvaginta verterunt: ἄρχων δώρων. Quando sub Jechonia Nabuchodonosor venit Jerosolymam, illam-

que oppugnare incepit; gravius aliquid tum in Judaeos constituisset; nisi Jechonias ultro venisset ad Nabuchodonosorem in castra, seque eius fidei tradidisset. Et tamen tam ipsum, quam partem populi, et quidem primores secum abduxit captivos. Quod ergo tributum ei deinde Sedecias pendere debuit; id eo nomine solvebatur, ut quietis illis liceret manere, neve gravius aliquid in eos a Nabuchodonosore constitueretur. In illa igitur missione tributi, quod annuum proculdubio erat impositum, Sarajas fuit inter eos, qui una missi sunt, princeps, quaeque munerum missio a quiete, pace, et tranquillitate fuit denominata, quod huius obtinendae causa a Nabuchodonosore, facta esset. Nec versio Latina hinc re, sed solo verbo discrepat. Prophetia enim consvevit etiam sumi pro interpretatione, et officio pro alio loquendi: quemadmodum Aaron dictus est propheta Moysis Exod. 7. v. 1. quod Moysis loco verba ad Pharaonem regem faceret. Cum ergo Sarajae partes impositae fuissent, tamquam primi inter eos, qui cum tributo, et muneribus missi sunt, verba faciendi ad Nabuchodonosorem regis sui nomine, princeps prophetiae vocatus est.

60. *Et scripsit Jeremias omne malum, quod venturum erat super Babylonem in libro uno: omnia verba haec, quae scripta sunt contra Babylonem.* 61. *Et dixit Jeremias ad Sarajam: cum veneris in Babylonem, et videris, et legeris omnia verba haec,* 62. *dices: Domine, tu locutus*

es contra locum istum, ut disperderes eum, ne sit, qui in eo habitet ab homine usque ad pecus, et ut sit perpetua solitudo. 63. *Cumque compleveris legere librum istum; ligabis eum ad lapidem, et proiicies illum in medium Euphratem:* 64. *et dices: Sic submergetur Babylon, et non consurget a facie afflictionis, quam ego adduco super eam, et dissolvetur. Hucusque verba Jeremiae.* Haec extrema verba sic videntur sonare, quasi iam hic terminaretur totus Jeremiae liber, et id, quod adhuc subsequitur, sit tantum ab alio, qui prophetias Jeremiae in unum volumen collegit, adiectum. Sed quoniam antiqua auctoritas est, quae totum hunc librum una cum subsequente etiam capite sub Jeremiae nomine semper legit, et recognovit; non est hoc illi temere abiudicandum. Quare sicut antea novum saepe titulum interposuit, ut est capitis 49. versu 1, 7, 23, et 28. ita, quae adhuc prophetice est fatus, nunc concludit, atque reliquum, quod deinde restat, historice adhuc subiicit: atque adeo, ut haec conclusio de prophetiis tantum, quas modo de pluribus, et diversis nationibus pronunciavit, debeat accipi, non ad universum eius librum, cuius adhuc unum caput restat, sit extendendum.

CAPUT

CAPUT LII.

Status rerum sub Sedecia rege usque ad urbis depopulationem, et devastationem.

1. FILIUS viginti, et unius anni erat Sede-
cias, cum regnare coepisset, et undecim annis
regnavit in Jerusalem, et nomen matris eius Ami-
tal, filia Jeremiae de Lobna. 2. Et fecit malum
in oculis Domini iuxta omnia, quae fecerat Joa-
kim. 3. Quoniam furor Domini erat in Jerusa-
lem, et in Juda, usquequo proiiceret eos a facie
sua, et recessit Sedecias a rege Babylonis. 4.
Factum est autem in anno nono regni eius in men-
se decimo, decima mensis, venit Nabuchodono-
sor rex Babylonis, ipse, et omnis exercitus eius
adversus Jerusalem, et obsederunt eam, et aedi-
ficaverunt contra eam munitiones in circuitu. 5.
Et fuit obsessa usque ad undecimum annum re-
gis Sedeciae. 6. Mense autem quarto, nona men-
sis obtinuit fames civitatem, et non erant alimen-
ta populo terrae. 7. Et dirupta est civitas, et
omnes viri bellatores eius fugerunt, exieruntque
de civitate nocte per viam portae, quae est inter
duos muros, et ducit ad hortum regis, Chaldaeis
obsidentibus urbem in gyro, et abierunt per viam,
quae ducit in eremum. 8. Persecutus est autem
Chaldaeorum exercitus regem, et apprehenderunt
Sedeciam in deserto, quod est iuxta Jericho, et

omnis comitatus eius diffugit ab eo. 9. *Cumque comprehendissent regem, adduxerunt eum ad regem Babylonis in Reblatha, quae est in terra Emath, et locutus est ad eum iudicia.* Emath eadem est, quae Syria. Judicia ibi ad eum locutus est, hoc est iudicium de eo exercuit, et rationem facti ab eo exegit, cur ab illo defecerit, seque ab eius subiectione subducere conatus sit. Quod illum fecisse supra versu 3. fuit. 10. *Et iugulavit rex Babylonis filios Sedeciae in oculis eius: sed et omnes principes Juda occidit in Reblatha.* 11. *Et oculos Sedeciae eruit, et vinxit eum compedibus, et adduxit eum rex Babylonis in Babylonem, et possuit eum in domo carceris usque ad diem mortis eius.*

12. *In mense autem quinto decima mensis, ipse est annus nonusdecimus Nabuchodonosor regis Babylonis, venit Nabuzardan princeps militiae, qui stabat coram rege Babylonis, in Jerusalem.* Est 4. Reg. 25. v. 8. die septima mensis quinti Nabuzardanem venisse Jerosolymam ad incendendam urbem, et templum. Nempe ibi in libro Regum posita est dies septima, qua Nabuzardan iter illud ingressus est; hic in Jeremia, quando illud terminavit, Jerosolymamque pervenit. Fecit autem illud iter non cum exercitu, sed cum capta, et expugnata fuisset urbs rediit ad regem permisso exercitu ad Jerosolymam. Et cum mandatum accepisset a suo rege de incendenda urbe; celerrimo itinere, et procul dubio a spositis

equis, et commutatione eorum facta rediit Jerosolymam spatio tridui. 13. *Et incendit domum Domini, et domum regis, et omnes domos Jerusalem, et omnem domum magnam igni combussit.* 14. *Et totum murum Jerusalem per circuitum destruxit cunctus exercitus Chaldaeorum, qui erat cum magistro militiae.* 15. *De pauperibus autem populi, et de reliquo vulgo, quod remanserat in civitate, et de perfugis, qui transfugerant ad regem Babylonis, et ceteros de multitudine transtulit Nabuzardan princeps militiae.* 16. *De pauperibus vero terrae reliquit Nabuzardan princeps militiae vinitores, et agricolas.* 17. *Columnas quoque aereas, quae erant in domo Domini, confregerunt Chaldaei, et tulerunt omne aes eorum in Babylonem.* 18. *Et lebetes, creagras, et psalteria, et phialas, et mortariola, et omnia vasa aerea, quae in ministerio fuerant, tulerunt.* Creagrae instrumenta erant ad amovendos cineres ex altari, ut ad 2. Paral. 4. v. 11. declaratum iam est. Psalterium est nomen instrumenti musici, in quo chordae tensae pulsabantur ita ut fit in cithara. Psal. 143. v. 9. Cetera instrumentorum nomina iam fuerunt etiam 4. Reg. 25. v. 14. 19. *et hydrias, et thymiamateria, et urceos, et pelves, et candelabra, et mortaria, et cyathos: quotquot aurea, aurea; et quotquot argentea; argentea tulit Nabuzardan magister militiae;* 20. *et columnas duas, et mare unum, et vitulos duodecim aereos, qui erant sub basibus, quas fecerat rex Salamon in domo Domini. Non erat pon-*

dus aeris omnium horum vasorum. Tantum videlicet erat pondus, ut illius numerus iniri non posset. 21. *De columnis autem, decem et octo cubiti altitudinis erant in columna una, et funiculus duodeim cubitorum circuibat eam: porro grossitudo eius quatuor digitorum, et intrinsecus cava erat.* De columnis autem, Hebraice: *Et columnas* (וְהָעַמּוּדִים) intelligiturque verbum etiam hic antecedens: *tulit:* ac deinde columnarum harum descriptio fit. Hae vero duae columnae 2. Paral. 3. v. 15. dicuntur altae fuisse cubitos triginta quinque. Sumuntur ibi nimirum duae columnae coniunctim, atque istud etiam sic, ut in qualibet columna medius cubitus ad columnae altitudinem pertinens haereat absconditus in capitello columnae. Grossitudo eadem est, quae crassities: de columna autem est fuisse eam crassam digitos quatuor undique nimirum per eius circuitum, reliquo autem spatio introrsum fuisse cavam. 22. *Et capitella super utramque aerea: altitudo capitelli unius quinque cubitorum, et retiacula, et malogranata super coronam in circuitu omnia aerea. Similiter columnae secundae, et malogranata.* Similiter videlicet et columnae alterius omnia eiusdem modi fuerunt, similiaque malogranata, ut fuerunt in priore. 23. *Et fuerunt malogranata nonaginta sex dependentia, et omnia malogranata centum retiaculis circumdabantur.* Erant malogranata in quavis columna centum, ita ut simul per utramque columnam essent ducenta, ut est 3. Reg. 7. v. 20 Sed

nonaginta sex hic dicuntur fuisse dependentia. Nimirum quatuor alia erant fixa ad columnam per quatuor capitelli angulos, quaeque ex se pendentem reliquorum malogranatorum catenam sustinerent.

24. *Et tulit magister militiae Sarajam sacerdotem primum, et Sophoniam sacerdotem secundum, et tres custodes vestibuli,* 25. *et de civitate tulit eunuchum unum, qui erat praepositus super viros bellatores, et septem viros de his, qui videbant faciem regis, qui inventi sunt in civitate, et scribam principem militum, qui probabat tyrones, et sexaginta viros de populo terrae, qui inventi sunt in medio civitatis.* Est 4. Reg. 25. v. 19. de his, qui videbant faciem regis, quinque fuisse, quos Nabuzardan vinctos duxerit ad regem Reblatham. Nimirum reapse tantum quinque erant de his, qui faciem videbant regis, intelliguntur autem ministri, qui regi semper assisterent, intimique essent eius consiliarii: qui perducti sunt usque ad regem, tametsi omnes septem essent comprehensi, sed quorum duo in Syriam usque ad regem non pervenerint. Fieri enim potuit, ut in via decesserint, aut gratiam deinde ab rege, ne occiderentur, obtinuerint, et quos propterea ex illo numero Scriptor libri Regum omiserit, Jeremias autem tempus comprehensionis eorum spectaverit, dum septenarium eorum numerum hic posuit. 26. *Tulit autem eos Nabuzardan magister militiae, et duxit eos ad regem Babylonis in Reblatha.* 27. *Et percussit eos rex Ba-*

bylonis, et interfecit eos in Reblatha in terra Emath; et translatus est Juda de terra sua.

28. *Iste est populus, quem transtulit Nabuchodonosor: In anno septimo Judaeos tria millia, et viginti tres.* Istud factum est tum, cum Jechonias ductus fuisset captivus: 29. *in anno octavo decimo Nabuchodonosor de Jerusalem animas octingentas tringinta duas.* Hoc vero modo accidit, dum caperetur Sedecias, urbsque cum templo esset tradita incendio. At vero supra versu 12. dicitur hoc factum esse anno decimo nono Nabuchodonosoris. Nempe is annus decimus nonus tum adhuc agebatur; hic vero altero loco anni ponuntur Nabuchodonosoris octodecim in regnando integri, et iam peracti. 30. *In anno vigesimo tertio Nabuchodonosor transtulit Nabuzardan magister militiae animas Judaeorum septingentas quadraginta quinque. Omnes ergo animae, quatuor millia sexcentae.* Cum post Sedeciam nullum iam vestigium uspiam sit alicuius expeditionis ex Chaldaea in Judaeam, sed ne Judaei ulli remanserint, siquidem illae etiam reliquiae a Nabuchodonosore post captum Sedeciam in Judaea relictae demigraverint in Aegyptum, supra cap. 43. v. 7. deque illis sit capitis 44. v. 12. esse perituras fame, et gladio ibi in Aegypto; hi captivi septingenti quadraginta quinque anno quinto post eversam Jerosolymam ducti in Babyloniam, non alii potuerunt esse, quam profugi ad civitates alias, exterasque gentes, dum de suis rebus desperare coepissent Judaei sub Sedecia, et qui compre-

hensi tum sint, quando illas etiam nationes adgressus Nabuchodonosor, vicit, et sub suam potestatem redegit, in captivitatemque duxit. Hi autem videntur fuisse, qui ad Moabitas, Ammonitas, aliasque vicinas civitates confugerunt, dumque hi ab Chaldaeis subiugarentur, ipsi quoque in manus, quas prius effugerant, inciderint.

31. *Et factum est in trigesimo septimo anno transmigrationis Joachin regis Juda, duodecimo mense, vigesima quinta mensis, elevavit Evilmerodach rex Babylonis, ipso anno regni sui, caput Joachin regis Juda, et eduxit eum de domo carceris.* Istud cum Joachin, qui alio nomine Jechonias appellabatur, dicitur vigesima septima die illius trigesimi septimi anni transmigrationis esse factum 4. Reg. 25. v. 27. quod eductus ex carcere, sublevatusque ad honorem ab Evilmerodacho sit. Nempe negotium hoc peractum non fuit uno momento. Sed cum ab Evilmerodacho emissus primum fuisset ex carcere, deinde alio novo favore tributum est ei et illud, ut honore anteponeretur omnibus aliis secum in captivitate positis regibus, convivaque regis fieret. Pro diversa autem consideratione, dum alter initium, alter finem istius rei spectavit, quae cum Joachino gesta est, positus etiam est dies non idem a scriptore diverso. 32. *Et locutus est cum eo bona, et posuit thronum eius super thronos regum, qui erant post se in Babylone.* Praesens locus lumen praebet ad perspiciendum, fuisse hoc in more regibus Chaldaeorum, ut devi-

ctos a se reges etiam cum insignibus regiis apud se tenerent, ut eo magis potentiam suam ostentarent. 33. *Et mutavit vestimenta carceris eius, et comedebat panem coram eo semper cunctis diebus vitae suae.* 34. *Et cibaria eius cibaria perpetua dabantur ei a rege Babylonis statuta per singulos dies usque ad diem mortis suae, cunctis diebus vitae eius.* Quae res Evilmerodachum ad tantam clementiam moverit erga Joachinum, non dicitur. Videtur tamen illud eum movisse, quod cum se Nabuchodonosoris fidei Joachin commisisset, ad eumque in castra cum matre, et primoribus civitatis prodivisset; indignum ei, et inhumanum visum sit, tam duriter illum tractare, qui se ultro tradiderit.

THRENI
ID EST
LAMENTATIONES JEREMIAE PROPHETAE.

Praefatio.

Hunc titulum habet in versione Vulgata hic liber. Threnos est vocabulum Graecum, quod luctum, et planctum significat. Quare iidem threni deinde apertiore vocabulo Lamentationes dicuntur. Habent hae Lamentationes hanc quasi praefatiunculam sibi in fronte libri adscriptam: *Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel, et Jerusalem deserta est; sedit Jeremias propheta flens, et planxit lamentatione hac in Jerusalem, et amaro animo suspirans, et eiulans dixit.* Existit autem haec praefatio in Versione Latina, deinde in Versione Septvaginta, non vero in Hebraeo: etiam Chaldaeus, et Syrus praetermissam habet. Hac de causa disputatur inter Criticos, sitne Canonicae auctoritatis. Pollere illam tali auctoritate potest videri ex Editione Bibliorum Clementina: siquidem in huius praefatione sit, omnia in ea esse omissa, quae Canonicae non essent auctoritatis, et tamen haec Threnorum praefatiuncula in ea posita sit. Attamen Bellarminus, cum illius praefationis Editiouis Cle-

mentinae auctor ipse sit, et is illam composuerit atque scripserit; non dubitavit tamen in suo libro 1. de Verbo Dei cap. 20. sic pronunciare: *Apocrypha quoque videtur esse praefatiuncula, quae praefigitur Threnis Jeremiae. Nam nec est in Hebraeis Codicibus, nec in omnibus Latinis, et ab Expositoribus non attingitur.* Quare illa omissio rerum, quae non sunt canonicae auctoritatis ex Editione Clementis VIII. Romani Pontificis ad eos libros tantum pertinet, qui sunt apocryphi, quique alias ad Bibliorum calcem reperiuntur additi, ut sunt tertius, et quartus Esdrae, oratio Manassis, et in quibusdam tertius etiam, et quartus Machabaeorum: non autem ad ea, quae vel nonnumquam ad initium librorum, vel ante capita ponuntur, et in quibus argumentum libri, summaeque capitum explicantur. Secus hae quoque summae capitum omnes forent canonicae auctoritatis, siquidem in Clementina Editione deprehendantur.

Quamvis ergo Threnorum haec praefatiuncula non videatur canonicae esse auctoritatis; tamen cum illa iam antiquissimo tempore exstiterit in Versione Septvaginta, intelligitur, quae illius antiquitas, et propter antiquitatem etiam auctotitas sit, fuisseque iam antiquitus existimatum esse has lamentationes factas ab Jeremia post urbis, et templi funestum illum casum, huncque ipsum deplorari amare a Propheta, contra illam opinionem, in qua sunt moderni Judaei, et quidam etiam ex Christianis, Jeremiam deflere in his suis lamentationibus Josiae re-

gis mortem. Nam etsi sit 2. Paral. 35. v. 25. ipsum omnino de Josia lamentationes fecisse, tamen negatur illas has esse, quae in hoc libro proponuntur. Non enim tum Judas migravit in servitutem, non sunt deiecta moenia urbis, non vastatum incendio templum, propter quae plorat, et lamentatur in his Threnis suis Jeremias.

Lamentationes hae sic dispositae sunt, ut versiculi capitum semper iuxta alphabethi Hebraici literas procedant, et literarum, quot sunt in alphabetho, numerum aequent. Nec hae literae aliam vim habent, quam ad numerandos versus. Alphabethi enim sui literis Hebraei utuntur, quemadmodum et Graeci ad notas numerorum. Huc ad lamentationes spectat etiam Jeremiae oratio, quae post illas posita est, et in qua post calamitatem per lamentationes declaratam, in qua ipse, totusque populus esset, Deum orat, ut benignioribus eos oculis intueatur. Sed notis illis alphabethicis distincta non est. Tractatur argumentum huius libri sic, brevis autem est, nec pluribus, quam quinque capitibus una etiam cum oratione constat, ut illud aliis, atque aliis coloribus semper verset, et proponat, causasque planctus sui, et acerbissimi doloris alias super alias per rerum adiuncta proferat, atque explicet. Quare cum tota tractatio ex plurimis eiusmodi rebus constet minutis, et concisis; nec breviter in Synopsim colligi possint; per se autem in Interpretatione in conspectum veniant; praetermisi hic synopsim], et argumenta ipsorum etiam capitum pro-

ponere; quodque idem tenet in Editione nostra Vulgata, quae sola illa praefatione contenta est, quae est in huius libelli initio, nec aliud quidquam praeterea praemittit.

CAPVT I.

ALEPH. 1. *Quomodo sedet sola civitas plena populo: facta est quasi vidua domina gentium, princeps provinciarum facta est sub tributo.* Quomodo sedet sola Hebraice: *Quomodo sedet solitaria* (בָדָד) civitas plena populo: quae scilicet antea plena fuerat populo. Facta est quasi vidua domina gentium Hebraice *magna inter gentes* (רַבָּתִי בַגּוֹיִם) Dominabatur autem etiam aliis gentibus, quando imperium Davidis, atque Salomonis protendebatur usque ad Euphratem, vicinasque nationes omnes sibi subiectas, et tributarias tenerent. 2. Reg. 8. v. 3. 3. Reg. 4. v. 24. Eadem Jerusalem princeps etiam provinciarum appellatur sive ob respectum ad illa anteriora eius tempora, quando una omnium maxime florebat, et eminebat; vel solius etiam dignitatis causa, qua antecelleret etiam postea omnes alias civitates. BETH. 2. *Plorans ploravit in nocte, et lacrimae eius in maxillis eius: non est, qui consoletur eam, ex omnibus charis eius: omnes amici eius spreverunt eam, et facti sunt ei inimici.* Fletus, et ploratus in nocte significat doloris vehementiam, qui nullam capere quietem sinat. Quinam vero eam

spreverunt antea amici, et postea facti inimici? Est Jeremiae 27. v. 2. reges Edom, Ammon, Moab, Sidonis, et Tyri habuisse suos legatos Jerosolymae apud Sedeciam, et per quos Jeremias vincula, et catenas miserit omnibus illis regibus denunciando ipsis captivitatem, quam subituri a Nabuchodonosore essent. Ex qua Prophetae facta illis declaratione perspicuum fit, fuisse omnes illas legationes apud Sedeciam, uti se cum illo omnes illi reges consociarent, quo unitis viribus fortiores essent ad resistendum Chaldaeis, cum de illius adventu iam percrebrescens rumor omnes terruisset: et qui tamen amici non tantum auxilium aliquod non tulerint Jerosolymae, sed etiam illam prodiderint, atque hostes potius adiuverint, in illiusque exitio exultaverint, ut istud Moabitis exprobrat Jeremias cap. 48. v. 27. Idumaeis Propheta Abdias versu 11. „In die, inquit, cum stares adversus eum, „quando capiebant alieni exercitum eius, et ex„tranei ingrediebantur portas eius, et super Jeru„salem mittebant sortem: tu quoque eras quasi „unus ex eis.“ Idumaeo istud sic exprobratur, quod adversus Jacob fratrem suum, cuius posteri essent Judaei, eiusmodi inimico, et perduelli animo esset.

Ghimel. 3. *Migravit Judas propter afflictionem, et multitudinem servitutis: habitavit inter gentes, nec invenit requiem: omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias.* Migravit Judas propter afflictionem, hoc est, ut affligatur, et multam atque gravem sustineat servitutem: istis-

que de causis, ut eum affligerent, et servitute premerent, hostes eum abduxerunt. *Omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias.* Utrumque pronomen est in genere feminino, et concordat cum nomine *civitas*, quod fuit in versu 1. DALETH. 4. *Viae Sion lugent, eo quod non sint, qui veniant ad solennitatem. Omnes portae eius destructae, sacerdotes eius gementes, virgines eius squalidae, et ipsa oppressa amaritudine.* Ter singulis annis ad praecipuas festivitates tenebantur omnes undique convenire ad Dei tabernaculum, et templum. Exod. 23. v. 17. Tum vero illae viae, nemine iter faciente, erant desertae. HE. 5. *Facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt: quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum eius: parvuli eius ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.* Facti sunt hostes eius in capite, Syrus vertit: *Oppressores eius effecti sunt superiores.* Dominus locutus est super eam, hoc videlicet malum, ut sic subderetur inimicis.

VAV. 6. *Et egressus est a filia Sion omnis decor eius: facti sunt principes eius velut arietes non invenientes pascua, et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.* Egressus est, hoc est, amisit Sion omnem suum pristinum decorem. Ante faciem autem subsequentis, hostis nimirum, qui sequebatur, et captivos ante se veluti gregem agebat, principes more arietum, enervati autem, et sine viribus, ibant in captivitatem. ZAIN. 7. *Re-*

cordata est Jerusalem dierum afflictionis suae, et praevaricationis omnium desiderabilium suorum, quae habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus eius in manu hostili, et non esset auxiliator: viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata eius. Post vocabulum: *Praevaricationis* fieri debet interpunctio, et comma est ponendum, quemadmodum hoc et in Hebraeo cum tali accentu est, qui interpungit orationem, et Septvaginta quoque idem in sua Versione observaverunt, dum sic eam fecerunt: Ἐμνήσθη Ἰερουσαλὴμ ἡμερῶν ταπεινώσεως αὐτῆς, καὶ ἀπωσμῶν αὐτῆς, πάντα ἐπιθυμήματα αὐτῆς, ὅσα ἦν ἐξ ἡμερῶν ἀρχαίων. *Recordata est dierum humiliationis suae, rebellionis suae, eorum omnium, quae olim ipsi erant pretiosissima.* Sensus igitur est, Jerosolymae civitati tum omnia simul versata ante oculus esse, et praesens tempus suae afflictionis, deinde suam rebellionem, ex praevaricationem adversus Deum, ac demum quibus antea desiderabilibus, laetisque, et secundis rebus affluxisset, usaque esset. Venerunt autem ei haec omnia in mentem, dum hostili gladio caderet eius populus, et nemo esset, qui auxilium ferret.

HETH. 8. *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est: omnes, qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam eius: ipsa autem gemens conversa est retrorsum.* Hoc est, pudore se avertit, tamquam quae adspectum, et oculos intuentium ferre propter suam ignominiam non posset. THETH. 9. *Sordes eius in*

pedibus eius, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non habens consolatorem: vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. Sordes eius in pedibus eius: Hebraice: *in fimbriis eius,* (בְּשׁוּלֶיהָ) Exhibetur Jerusalem veluti mulier, quae menstruis laborat, atque his ita foedata est, ut menstruorum sordes ad extremitates usque vestium diffluant, foeditasque conspicua aliis fiat. Huius autem finis sui, et ut ad hanc conditionem deveniret, miseriae, quam modo pateretur, non sibi antea persvadebat, neque cogitabat. *Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.* Vox haec ipsius Jerusalem est. Quod et postea saepius Propheta facit, ut eam ipsam, inter sua lamenta, loquentem inducat.

Jod. 10. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius: quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus praeceperas, ne intrarent in ecclesiam tuam.* Desiderabilia Jerusalem intelligitur pretiosa supellex, et vasa templi, siquidem dicatur, gentes esse ingressas sanctuarium, et templum. De Moabitis autem, et Ammonitis fuit constitutum Deuter. 23. v. 3. ne umquam admitterentur ad ecclesiam, hoc est, ut ibi explicatum est, ne reciperentur sic ad civitatem, ut huius jus cum illis communicetur. Est ergo hoc sic per comparationem dictum: Gentes alienas, et incircumcisas esse ingressas templum, de quibus esset cautum, ne vel reciperentur ad civitatem. Sunt vero sanctuarium ingressi Chaldaei, et illud profanaverunt

naverunt, omnemque illius apparatum asportaverunt. Habet tamen vim, et robur argumentatio, ut quod erga aliquas nationes non licebat vel de civitate; id gravius intelligeretur fuisse interdictum et vetitum alienis omnibus nationibus erga templum. CAPH. 11. *Omnis populus eius gemens, et quaerens panem: dederunt pretiosa quaeque pro cibo ad refocillandam animam. Vide Domine, et considera, quoniam facta sum vilis.* Dum obsidione cincta teneretur urbs, famem fuisse, est etiam supra capitis ultimi versu 6. in Jeremia.

LAMED. 12. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor, sicut dolor meus: quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die irae furoris sui.* Vindemiatio hic illam vindemiae actionem respicit, dum calcantur uvae, et sub prelo, et torculari arctissime premuntur, ut quidquid succi in illis est, exprimatur. In Hebraeo autem loco verbi: *vindemiavit* est *Holel* (עולל) quod ad vineam applicitum, significat botrorum ex vitibus collectionem. Qua consideratione adhibita, sensus erit Jerosolymae homines omnes esse more vindemiae collectos, et hostili ferro excisos. MEM. 13. *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me, expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum, posuit me desolatam, tota die moerore confectam.* Igne immisso in ossa, necesse est, ut medulla aduratur, et consumatur. Quo non modo vehementissimus dolor significatur; qui semper gravior in medulla, quam in

alia parte corporis esse solet; sed virium etiam omnium, utpote quae firmitas corporis ossibus innititur, perditio, atque consumptio. Sensus igitur est, spoliatam esse omni suo robore, et igne esse vastata omnia illius moenia, munimenta, et praesidia. Sicque erudivit illam. Hebraice: *dominatus est ei* (וַיִּרְדֶּנָּה) Significat ergo Deum, sic puniendo, vim, et potestatem suam in eam exercuisse. *Expandit rete pedibus meis*, hoc est, illaqueavit me veluti feram. *Convertit me retrorsum*, hostibus, uti succumberem, fecit.

Nun. 14. *Vigilavit iugum iniquitatum mearum: in manu eius convolutae sunt, et impositae collo meo, infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.* Hebraice: *Compactum est iugum praevaricationum mearum in manu eius, implexae sunt, adscenderunt super collum meum.* (נִשְׂקַד עֹל פְּשָׁעַי בְּיָדוֹ יִשְׂתָּרְגוּ עָלוּ עַל־צַוָּארִי) Dicitur ergo iugum, quod Deus Jerosolymae imposuit ob eius praevaricationes, firmiter esse compactum ipsius Dei manu: causamque ponendo pro effectu dicit, has praevaricationes, hoc est iugum, ob praevaricationes collo impositum, esse implexum collo videlicet, ne hoc educi inde possit. Hostilis autem manus est, cui tradita a Deo est, et qua premeretur, ut se non possit erigere. Samech. 15. *Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocavit adversum me tempus, ut contereret electos meos, torcular calcavit Dominus virgini filiae Juda.*

Abstulit omnes magnificos meos Hebraice: *robustos meos* (אַבִּירַי), vocavit tempus, ut contereret electos meos Hebraice *iuvenes meos* (בַּחוּרָי) aptique bello intelliguntur.

AIN. 16. *Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas: quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam: facti sunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus.* Conversio animae intelligitur illius translatio ex tristitia, et moerore ad tranquillitatis statum. PHE. 17. *Expandit Sion manus suas: non est, qui consoletur eam: mandavit Dominus adversum Jacob in circuitu eius hostes eius: facta est Jerusalem quasi polluta menstruis inter eos.* Expandit Sion manus suas, implorandi scilicet auxilii causa. *Mandavit Dominus adversum Jacob in circuitu eius hostes eius*, hostibus eius. Fuit nomen in casu positum, quem sibi verbum Hebraeum exigebat. Facta est Jerusalem quasi polluta menstruis intes hostes, et quam propterea despectui haberent, ut nulla erga eam reverentia ducerentur. SADE. 18. *Justus est Dominus, quia os eius ad iracundiam provocavi. Audite, obsecro, universi populi, et videte dolorem meum: virgines meae, et iuvenes mei abierunt in captivitatem.* Os positum est pro vultu, et facie, in qua se ira exhibet, ad quam quis concitatus est. COPH. 19. *Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me: sacerdotes mei, et senes mei in urbe consumpti sunt: quia quaesierunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam.* Consequens au-

tem est, illos cibum, quem quaesierunt, non invenisse; tum enim fame consumpti non fuissent. Quosnam vero amicos habuerit, et in quibus fiduciam suam collocaverit, ostensum iam est supra ad versum 2. Etiam de Aegyptiis est Superioris Jeremiae libri cap. 37. v. 6. iam iter suscepisse, et movisse, ut subvenirent Judaeis, dum a Nabuchodonosore obsidione essent cincti in urbe Jerusalem. Qui vero non venerunt, sed consilio mutato domum reversi sunt, nec Jerosolymae, quod ab iis exspectabat auxilium, tulerunt.

RES. 20. *Vide Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus, subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum: foris interficit gladius, et domi mors similis est:* Hoc est, domi peraeque est intereundum: propter famem. Quod Jeremias superioris libri cap. 14. v. 18. sic luculentius posuit: „Si egressus fuero „ad agros, ecce occisi gladio; et si introiero in „civitatem, ecce attenuati fame.“ SIN. 21. *Audierunt, quia ingemisco ego, et non est, qui consoletur me. Omnes inimici mei audierunt malum meum; laetati sunt, quoniam tu fecisti: adduxisti diem consolationis, et fient similes mei.* Laetati sunt, quoniam tu fecisti: Syrus clarius hoc sic posuit: *Gavisi sunt te id fecisse mihi.* Adduxisti diem consolationis: est enallage in verbo, futurumque tempus est intelligendum: Adduces diem consolationis, quo scilicet videam hanc eorum petulantiam adversum me esse a te vindicatam: et ut

fiant similes mei, eamdemque poenam subeant, in qua nunc ego sum, qui de malis meis gratulantur, afflictamque me libentissimis oculis adspiciunt. THAV. 22. *Ingrediatur omne malum eorum coram te: et vindemia eos, sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas. Multi enim gemitus mei, et cor meum moerens.* Pro vindemiare idem rursus est in Hebraeo verbum, quod iam supra ad versum 12. demonstratum est.

CAPVT II.

1. ALEPH. 1. *Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion, proiecit de caelo in terram inclytam Israel, et non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui.* De caelo in terram proiicere est per hyperbolem positum pro deiectione ex suma altitudine ad maximam profunditatem. Scabelli pedum Dei nomine arca intelligitur. 2. Paral. 28. v. 2. et cuius nulla habita consideratione, quae in templo posita esset, templum illud vastari permiserit. Fuit autem prius elata ex templo, et ad securum locum reposita per Jeremiam, quam templum vastaretur. 2. Mach. 2. v. 4. Ad templum igitur hoc refertur, cuius Deus respectum non habuerit propter arcam, ut ei parceret, in quo illa domicilium haberet. BETH. 2. *Praecipitavit Dominus nec pepercit, omnia speciosa Ja-*

cob: destruxit in furore suo munitiones virginis Juda, et deiecit in terram: polluit regnum, et principes eius. Polluit, hoc est, ut pollutos habuit proiiciendo illos a se veluti rem sordidam. GHIMEL. 3. *Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel, avertit retrorsum dexteram suam a facie inimici, et succendit in Jacob quasi ignem flammae devorantis in gyro.* Cornu vis, et robur significatur, vocabuli translatione a cornutis animantibus. Dexteram suam Deus retrorsum retraxit a facie inimici, hoc est, coram Israelitarum inimico, quem non percusserit, et propulsaverit.

DALETH. 4. *Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis, et occidit omne, quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiae Sion, effudit, quasi ignem, indignationem suam.* HE. 5. *Factus est Dominus velut inimicus: praecipitavit Israel, praecipitavit omnia moenia eius, dissipavit munitiones eius, et replevit in filia Juda humiliatum, et humiliatam:* Hebraice: *Multiplicavit moerorem, et tristitiam* (וַיֶּרֶב תַּאֲנִיָּה וַאֲנִיָּה) VAV. 6. *Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum, oblivione tradidit Dominus in Sion festivitatem, et sabbatum, et in opprobrium, et in indignationem furoris sui, regem, et sacerdotem.* Initium versus Hebraice est: *Et perrupit velut hortum sepem eius* (וַיַּחְמֹס כַּגַּן שֻׂכּוֹ) Pertinetque hoc eo, quod modo praecessit de moenibus, et munimentis Jerusalem deiectis. Est similitudo in eo,

quod quam facile sepimenta horti perrumpuntur; tam Deo paratum fuerit dissipare urbis eorum moenia. Tabernaculum vero, quod demolitus est, fuit eius templum. Zain. 7. *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suae, tradidit in manu inimici muros turrium eius: vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solenni.* Maledixit sanctificationi suae, Hebraice: *Abominatus est sanctuarium suum.* (נִאֵר מִקְדָּשׁוֹ) Solennes autem dies cum laetitia celebrabantur. Dum ergo similiter, ut in die solenni, hostes eorum dicuntur edidisse vocem, significat laetas ipsorum in victoria voces, inter quas depraedati sunt templum.

Heth. 8. *Cogitavit Dominus dissipare murum filiae Sion, tetendit funiculum suum, et non avertit manum a perditione: luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est.* Cogitavit Dominus dissipare murum filiae Sion: Syrus vertit: *Constituit*; decrevit. Tensio funiculi pertinet eo, ut postquam diruta esset urbs, materia ex ruinis complanaretur, soloque aequaretur. Sensus igitur est, Deum applicuisse voluntatem ad funditus delendam urbem. Antemuralia moenium sunt exteriora propugnacula, ne tam facile ad ipsa moenia hosti accessus pateat. Teth. 9. *Defixae sunt in terra portae eius, perdidit, et contrivit vectes eius, regem eius, et principes eius in gentibus. Non est lex, et prophetae eius non invenerunt visionem à Domino.* Syrius: *Demerserunt in terram portas eius*, quae sepultae essent murorum ruinis.

Rex, et principes eius perditi sunt inter gentes, ad quas scilicet peregre ducti in captivitatem sunt. Legem autem non esse dicit, in suo videlicet vigore, dum omnia iacerent iura, tamquam in disiecta, et dissipata civitate, nec vel ea observarentur, quae Deo officia essent exhibenda in templo. Nec prophetae inveniunt visionem a Domino, fit respectus ad anteriora tempora, quibus prophetarum solebat magna esse eodem etiam tempore copia, et integri eorum greges, atque catervae, ut sunt documenta istius rei 1. Reg. 10. v. 5. 3. Reg. 18. v. 4. Quamvis ergo et ipse Jeremias se non ignoraret esse Prophetam, viveretque Baruch, nec non Ezechiel, sed hic peregre in Babylonia; tamen propter paucitatem, comparate ad illam copiam, quae antea solebat esse, sic loquitur, quasi nec aliqui essent. Advertendum deinde est, non dicere illum nullos esse, sed non accipere visiones a Domino. Quod eo pertinet etiam ab his, qui munere prophetico decorati existerent, subtraxisse tum lumen suum Deum, nec cum eadem familiaritate per visiones egisse eo tempore, quo haec urbis calamitas accidit cum omnibus; quibus antea has exhibebat, quin consequens sit ab omnibus prorsus, et ab ipso etiam Jeremia seipsum subduxisse. Nam, si hoc ita esset, quomodo vel hoc ipsum, quod modo scribebat Jeremias, propheticum, et inspiratum a Deo fuisset?

Jod. 10. *Sederunt in terra, conticuerunt senes filiae Sion, consperserunt cinere capita sua*

virgines Jerusalem. Caph. 11. *Defecerunt prae lacrimis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra iecur meum super contritione filiae populi mei, cum deficeret parvulus, et lactens in plateis oppidi.* Effusio iecinoris summum langvorem, et quasi exanimationem significat. Est enim iecur principium venarum omnium, et praecipuum generandi sangvinis instrumentum. Illo ergo per vehementiam doloris liquescente, et quasi defluente ex corpore, necesse est eum, cui hoc fit, animo linqui, et spiritu deficere. Lamed. 12. *Matribus dixerunt: ubi est triticum, et vinum, cum deficerent, quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.* Eorum, qui fame defecerunt, cadavera iacebant per plateas, et compita, quasi stragem hanc edidissent hostes gladio. Pertinet hoc ad indicandam multitudinem eorum, qui fame periverint, quemadmodum, dum vi capiunt hostes urbem, in eamque irrumpunt, obvios quosque caedendo cadaveribus replent plateas.

Mem. 13. *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te filia Jerusalem? cui exaequabo te, et consolabor te virgo filia Sion? Magna est enim, velut mare, contritio tua: quis medebitur tui?* Nun. 14. *Prophetae tui viderunt tibi falsa, et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad poenitentiam provocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas, et eiectiones.* Pseudoprophetae hi erant. Si enim veri fuissent, falsa, et stulta

non vidissent. De qualibus prophetis etiam in superiori libro Jeremiae cap. 14. v. 14. Deus dicit: „Falso prophetae vaticinantur in nomine meo. „Non misi eos, et non praecepi eis, neque locutus sum ad eos: visionem mendacem, et divina„tionem, et fraudulentiam, et seductionem cordis „sui prophetant vobis." Ubi *assumptiones* Latinus Interpres posuit, in Hebraeo est vocabulum *Massaah* (מַשָּׂאָה) quod vaticinium, et praedictionem significat: et quo nomine uti solent potissimum prophetae, quando graves, et vehementes, minisque refertas prophetias edebant. Hic vero pro earum rerum praedictionibus sumitur, quae gratae auditoribus acciderent. Istiusmodi enim vaticinia pseudoprophetae solebant facere, qui eorum palato, quibus loquerentur, se se adcommodarent. Pro *eiectionibus* est in Hebraeo vocabulum: *Madduchim* (מַדּוּחִים) quod generatim significat pulsum, sive hoc fiat deinde expellendo alicunde, sive etiam impellendo ad rem aliquam. Hoc vero altero hic magis sumendum est: siquidem pseudoprophetae falsis suis praedictionibus, quibus populum de impunitate securum facerent, impellebant magis ad licentiam vivendi. Jerem. 23. v. 32. Ezech. 13. v. 18.

Samech. 15. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Jerusalem: Haeccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universae terrae?* Phe. 16. *Aperuerunt super te*

os suum omnes inimici tui; sibilaverunt, et fremuerunt dentibus, et dixerunt: Devorabimus. En ista est dies, quam exspectabamus. Invenimus, vidimus. Aperire os diductionem oris significat, quae fit inter irridendum. *Devorabimus* est iuxta Hebraeos in praeterito: *devoravimus*, deglutivimus (בִּלָּעְנוּ) Gaudium autem suum insolenter explicant de exitio, quod ei videant accidisse, quodque ei exoptaverint, et cuius nunc spectaculo satiati sint. Ain. 17. *Fecit Dominus, quae cogitavit, complevit sermonem suum, quem praeceperat a diebus antiquis:* in Hebraeo est verbum *Tzivvah* (צִוָּה) quod et praecipiendi, et constituendi, decernendique significationem habet. Altero autem modo hic adhibetur: Deum effectam dedisse poenam, quam infligere iam pridem decreverat, et quam per prophetas praenunciaverat: *Destruxit, et non pepercit, et laetificavit super te inimicum, et exaltavit cornu hostium tuorum.* Robur hostium tuorum.

Sade. 18. *Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiae Sion.* Judaeorum cor clamavit ad Dominum, suspirarunt, dum viderent muros dirui Sionis: et quos ad lugendum magis etiam Propheta hortatur: *Deduc quasi torrentem, lacrimas per diem, et noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Coph. 19. *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum:* Hebraice: Surge, *vociferare* (רָנִּי) in nocte, in principio vigiliarum. *Effunde, sicut aquam, cor tuum*

ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum. RES. 20. *Vide Domine, et considera, quem vindemiaveris ita. Ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmae? Si occiditur in sanctuario Domini sacerdos, et propheta?* Hebraice: Vide Domine, et considera, *cui feceris sic?* (לְמִי עוֹלַלְתָּ כֹּה) Ergone comedent mulieres fructum suum, *parvulos educationum?* (עוֹלְלֵי טִפֻּחִים) Significanturque ii, qui palmis tractantur, et manibus gestantur. Pro his Septvaginta verterunt: *Infantes sugentes ubera:* νήπια θηλάζοτα μαστοὺς. *Si occiditur* itidem est cum interrogatione: *Num occidetur* (אִם־יֵהָרֵג) in sanctuario Domini sacerdos, et propheta? SIN. 21. *Jacuerunt in terra foris puer, et senex: virgines meae, et iuvenes mei ceciderunt in gladio. Interfecisti in die furoris tui, percussisti, nec misertus es.* THAV. 22. *Vocasti ad diem solennem, qui terrerent me de circuitu:* est similitudo desumpta a diebus festis Judaeorum, ad quae celebranda undique omnes ex tota Judaea convenire, et confluere deberent Jerosolymam ad templum: *et non fuit in die furoris Domini, qui effugeret, et relinqueretur. Quos educavi, et enutrivi, inimicus meus consumpsit eos.*

CAPVT III.

Aleph. 1. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.* Hoc est: Ego sum vir videns *afflictionem meam* (עָנְיִי) per virgam indignationis Dei. Aleph. 2. *Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.* Minare proprie dicitur de pecoribus, dum aguntur, et pelluntur. Aleph. 3. *Tantum in me vertit, et convertit manum suam tota die.* Hebraice: *Nam contra me rediit* (אַךְ בִּי יָשֻׁב) et manum suam vertit tota die. Est autem hoc sic, quasi Deus dum plagis iam illum affecisset, identidem semper rediisse ad novas imponendas, et manum contra eum, qua illum feriret, tota die, et sine cessatione vertisse. In hoc capite Alphabethi singulae literae ter repetuntur. Beth. 4. *Vetustam fecit pellem meam, et carnem meam; contrivit ossa mea.* Vetusta pellis est, quae rugis contrahitur, et vividum colorem amittit. In quem statum deducitur is, qui curis, et anxietate conficitur, etiamsi senex nondum sit. Beth. 5. *Aedificavit in gyro meo, et circumdedit me felle, et labore.* Aedificatio intelligitur haec eo pertinens ad ipsum concludendum, et cingendum; felle autem, et adversitatibus, quas ei imponeret ferendas. Beth. 6. *In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.* Hoc est, quem quasi ad sepulchrum redegerit inter eos, qui pridem iam sunt mortui. Ghimel. 7. *Circumaedificavit adversum me, et non egrediar: aggravavit compedem meum.* Ghimel. 8. *Sed et cum clamavero, et rogavero,*

Sed et cum clamarem, et rogarem, *exclusit orationem meam*. GHIMEL. 9. *Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit:* non concessit spatium ad exeundum ex miseriis.

DALETH. 10. *Ursus insidians factus est mihi, leo in absconditis.* DALETH. 11. *Semitas meas subvertit, et confregit me, posuit me desolatam.* Hebraice: *Posuit me desolatum* (שָׂמַנִי שׁוֹמֵם) Atque sic in genere masculino res cum reliqua oratione magis cohaeret. In viri enim habitu, ut est huius capitis versu 1. inducitur per Prophetam Jerusalem plorans. DALETH. 12. *Tetendit arcum suum, et posuit me, quasi signum ad sagittam.* HE. 13. *Misit in renibus meis filias pharetrae suae.* Filiae pharetrae sunt sagittae consvetudine Hebraica loquendi. HE. 14. *Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.* Inter lamenta Jerusalem admiscet Propheta, quae ipse in sua etiam persona, et quidem a popularibus suis expertus est. HE. 15. *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.* VAV. 16. *Et fregit ad numerum dentes meos:* Hebraice: Fregit *in lapillis* (בֶּחָצָץ) dendes meos: *cibavit me cinere.* Superiore versu erat de potu; nunc est de cibo: cineres autem et arenam sibi pro cibo esse datos dicit, quod neutrum comedi potest, et magis affligeret comedere volentem, sicut illae potiones sitientem. VAV. 17. *Et repulsa est a pace anima mea: oblitus sum bonorum.* VAV. 18. *Et dixi: Periit finis meus, et spes mea a Domino.* Finis

pro meta desiderii est positus: quare hanc deinde eamdem vocavit spem.

ZAIN. 19. *Recordare paupertatis, et transgressionis meae, absynthii, et fellis.* Transgressionis meae, in Hebraeo est: *planctus mei.* (מְרוּדִי) ZAIN. 20. *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.* Hebraice: *Recordando recordare, quod incurvetur super me anima mea.* (זָכֹר תִּזְכּוֹר וְתָשׁוּחַ עָלַי נַפְשִׁי) ZAIN. 21. *Haec recolens in corde meo*, fore nimirum, ut recorderis eius, quod praecessit, *ideo sperabo.* HETH. 22. *Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti*: penitus videlicet, et quod populi aliquas reliquias Deus conservaverit, *quia non defecerunt miserationes eius.* HETH. 23. *Novi diluculo, multa est fides tua.* Novi mature, hoc est, inde semper ab anteriore aetate mea, et expertus sum, magnam esse promissionum tuarum veracitatem. HETH. 24. *Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea exspectabo eum.* Pars pro haereditate est posita. „Dominus pars haereditatis meae“ Psal. 15. v. 5. Et ideo, inquit, exspectabo eum, a quo omne bonum suum exspectet. THETH. 25. *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum.* THETH. 26. *Bonum est praestolari cum silentio Salutare Dei:* Cum silentio, non movendo querimonias adversus Deum, sed se plene eius voluntati subiiciendo. THETH. 27. *Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua.* Jugum hoc observantia est mandatorum, iuxta illud apud eum-

dem Jeremiam cap. 2. v. 20. „A seculo confregi-„sti iugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti: „non serviam.“ Quare Chaldaeus istud ita vertit: *Bonum est viro, si docuerit animam suam, ut portet iugum praeceptorum Domini ab iuventute sua.*

Jod. 28. *Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit super se.* Solum, et solitarium habitare, solet in Scriptura poni, ut ad Jeremiae 49. v. 31. demonstratum est, pro loco, ubi securitas est habitandi, et in quo qui est, non habet timendum periculum. Dicitur ergo, quod, qui levaverit super se iugum, de quo superiore versu antecessit; is fiduciam suam defiget in Deo, et fretus fiducia sua erga Deum, non pavebit, tacebitque, patienter exspectando opem, et auxilium ab eodem Deo. Jod. 29. *Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes.* Si forte, in Hebraeo est vocula *Ulai.* (אולי) Haec vero particula est vocis, quae usurpatur etiam in oratione, dum spes concipitur eius rei, erga quam adhibetur, ut sunt exempla istiusmodi Gen. 16. v. 2. Num. 23. v. 27. 1. Reg. 6. v. 5. Sensus ergo est: istum, qui Dei iugum super se levavit, positurum in pulverem os suum, seque ipsum humillime esse depressurum coram Deo, supplicemque ei futurum, siquidem spe ducatur erga eum. Illudque: *Si forte sit spes*, magis cum affirmatione videtur fuisse vertendum: *quia est spes.* Jod. 30. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Excipiet, spe illa fixus in Deo, iniurias,

rias, et opprobria, ultroque se ad haec ferenda offeret.

Caph. 31. *Quia non repellet in sempiternum Dominus.* Caph. 32. *Quia si abiecit, et miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum.* Sunt argumenta, cur ille plenus spei sit, qui iugum Dei portat, si adversa in illum incidant. Caph. 33. *Non enim humiliavit ex corde suo, et abiecit filios hominum.* Non ex corde dicitur hoc Deus fecisse, qui per Ezechielem cap. 18. v. 23. de se dicit: „Numquid voluntatis meae est mors „impii, et non, ut convertatur a viis suis, ut vi- „vat?" et Sap. 1. v. 13. „Deus mortem non fe- „cit, nec laetatur in perditione virorum." Dicitur ergo Deus humiliare, et abiicere filios hominum non ex corde; qui in eorum afflictione, et poena, et perditione voluptatem, et solatium non habeat. Lamed. 34. *Ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terrae.* Ad antecedens illud: Non Deus ex corde humiliavit, et abiecit, istud quoque refertur: *Ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terrae.* Suam autem terram Judaeae intelligit, et hinc actos in captivitatem; siquidem Deus semper sui populi se se miserturum promiserit. Lev. 26. v. 44. Lamed. 35. *Ut declinaret iudicium viri in conspectu vultus Altissimi.* Istud quoque cum eodem illo antecedens: Non humiliavit, et abiecit ex corde, nectitur: Ut sinat cuiusquam iudicium declinari, et ne illi aequitas exhibeatur in conspectu Vultus Altissimi, hoc est coram se, loco pronominis posito

nomine. LAMED. 36. *Ut perverteret hominem in iudicio suo, Dominus ignoravit.* Hoc vero instar causae est positum prioris, Deum non sinere declinari, in contrariamque partem inflecti causam cuiuspiam, quae iusta est; siquidem hoc is ignoret, ut hominem apud se pervertat in iudicio. Syrus vertit: *Condemnet in iusta illius causa.* Tacite Propheta innuit futurum, ut hostes, qui Sionem, et templum vastaverunt, dent poenas.

MEM. 37. *Quis est iste, qui dixit, ut fieret Domino non iubente?* Pertinet hoc eo, ut omnia, quae cuipiam accidunt, quantumvis adversa, sic accipiantur, veluti missa a Deo, citra cuius voluntatem nihil possit fieri. Mala autem culpae non fiunt Deo iubente. „Nemini enim mandavit impie age-„re.“ Eccl. 15. v. 21. Pro verbo *iubeo* est in Hebraeo verbum *Tzivvah* (צִוָּה) quod non semper pro iubere sumitur, sed etiam tantum pro ordinare, dirigere, disponere. Peccata autem ipsa, dum a Deo permittuntur, non fugiunt Divinae providentiae rationes. Quatenus igitur illa continentur sub hac Dei providentia; et ipse decrevit illa permittere, viresque, et facultates naturales non subtrahit ab eo, qui peccat, sed has ipsi conservat, quae si subtraherentur, homo agere nihil posset; mala ipsa non fiunt citra Dei voluntatem. Quae iubere etiam ea ratione potest dici Deus; qua illa permittere decrevit. Qua sane ratione etiam David dixit praecepisse Deum Semeio, ut malediceret David. 2. Reg. 16. v. 10. MEM. 38. *Ex ore Altissimi non egre-*

dientur nec mala, nec bona. Intelligitur rursus hic quoque illud ex praecedente versu: *Quis est iste, qui dicit:* Refellitque Propheta eum, qui diceret, non Dei sententia, et decreto, fieri omnia, tam bona, quam mala, et quasi neutra curaret, casuque omnia fierent. De malis autem hoc est, quae aliunde homini eveniunt, molestiamque afferunt, et rationem habent poenae. Qua ratione mala omnia etiam sunt a Deo, dum iis utitur vel ad puniendos malos, vel ad castigandos bonos. Atque isto modo dicitur per Prophetam Amos 3. v. 6. „Si erit ma„lum in civitate, quod Dominus non fecerit?" et per Ecclesiasticum: „Bona, et mala; vita, et mors; „paupertas, et honestas a Deo sunt." Eccli. 11. v. 14. MEM. 39. *Quid murmuravit homo vivens vir pro peccatis suis?* Homo vivens vir: est idiotismus lingvae Hebraeae, quod idem Latine dicimus: Homo vivens quisque. Docet ergo neminem esse, qui queri possit contra Deum, dum adversis rebus premitur, quod nemini non peccata sint, propter quae iuste illa fert, quibus plectitur.

NUN. 40. *Scrutemur vias nostras, et quaeramus, et revertamur ad Dominum.* NUN. 41. *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in caelos.* NUN. 42. *Nos inique egimus, et ad iracundiam provocavimus: idcirco tu inexorabilis es.* Hebraice: *Tu non pepercisti.* (אַתָּה לֹא סָלָחְתָּ) SAMECH. 43. *Operuisti in furore, et percussisti nos, occidisti, nec pepercisti.* Operuisti te, subtraxisti, occultasti. Quod Deus dicitur facere, dum in malis

etiam oratus non subvenit, quasi nec videret, quid alicui accidat. SAMECH. 44. *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* SAMECH. 45. *Eradicationem, et abiectionem posuisti me in medio populorum.* PHE. 46. *Aperuerunt super nos os suum omnes inimici.* PHE. 47. *Formido, et laqueus facta est nobis vaticinatio, et contritio.* Hebraice *Formido, et fovea contigit nobis, devastatio, et confractio.* (פַּחַד וָפַחַת הָיָה לָנוּ הַשֵּׁאת וְהַשָּׁבֶר) PHE. 48. *Divisiones aquarum*, Rivos aquarum (פַּלְגֵי־מַיִם) *deduxit oculus meus in contritione filiae populi mei.* AIN. 49. *Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies.* AIN. 50. *Donec respiceret, et videret Dominus de caelis.* Prior versiculus nonnisi cum isto coniunctim perfectum efficit sensum isto modo: Oculus meus afflictus, nec tacuit, hoc est nec flere cessat, eo quod non sit requies, donec respiciat Dominus, et nos videat de caelo. Syrus vertit: *Oculus meus incessanter lacrimatur, quia nullum est refrigerium, donec adspiciat, et intueatur Dominus de caelo.* AIN. 51. *Oculus meus depraedatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meae.* Chaldaeus: *Fletus oculorum meorum fuit occasio, ut male haberet anima mea propter destructionem provinciae populi mei, et deturpationem filiarum Jerusalem civitatis meae.* Dicit ergo se tantum flevisse, ut fletu vita ipsius consumeretur, viresque corporis exhaurirentur in cunctis filiabus, hoc est propter cunctas filias urbis suae. Aliae

autem civitates respectu urbis Jerusalem vocantur filiae.

Sade. 52. *Venatione ceperunt me, quasi avem, inimici mei gratis:* id est sine causa: De se ipso autem Jeremias loquitur, deque suis aerumnis queritur, quas ab adversariis suis nullo suo erga eos tali merito passus est, quod sequentes versiculi etiam confirmant. Sade. 53. *Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me.* Factum hoc esse ei narratur Jeremiae 38. v. 6. Sade. 54. *Inundaverunt aquae super caput meum: dixi: perii.* Est similitudo translata ab eo, qui aquis mergitur, quibus propter altitudinem caput eius etiam obruitur. Tum enim eiusmodi necesse habet perire. Coph. 55. *Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo.* Hebraice: *De lacu profundissimo.* (מִבּוֹר תַּחְתִּיּוֹת) Coph. 56. *Vocem meam audisti: ne avertas aurem tuam a singultu meo, et clamoribus.* Potest hoc per enallagen etiam in praeterito tempore sumi: non avertisti aurem tuam a singultu meo, et clamoribus: atque ita magis cohaeret res tam cum eo, quod antecessit, quam, quod adhuc sequitur: quae omnia etiam sunt in praeterito: ut intelligatur de illo tempore loqui, quando proiectus fuit ad profundam foveam eo eorum, qui proiecerunt, proposito, uti ibi periret, et ex qua tamen liberatus est. Coph. 57. *Appropinquasti in die, quando invocavi te: dixisti: ne timeas.*

Res. 58. *Judicasti, Domine, causam animae meae, redemptor vitae meae.* Causam Deus iudica-

vit adversus illius inimicos, qui illum perditum volebant, et adversus quorum conatus Deus illum nihilominus in vita conservaverit. RES. 59. *Vidisti Domine iniquitatem illorum adversum me, iudica iudicium meum:* Est enallage rursus modi imperativi, et temporis praesentis pro indicativo modo, temporeque praeterito: quemadmodum Syrus vertit: *Vidisti Domine depressionem meam, et egisti causam meam.* RES. 60. *Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me.* SIN. 61. *Audisti opprobrium eorum, Domine: omnes cogitationes eorum adversum me.* SIN. 62. *Labia insurgentium mihi, et meditationes eorum adversum me tota die.* Verbum: *audisti, vidisti* ex antecedentibus versiculis hic quoque intelligitur. SIN. 63. *Sessionem eorum, et resurrectionem eorum vide:* Rursus *vide* pro *vidisti* per enallagen est positum. Sessio autem, et resurrectio pro omnibus ultro citroque eorum actionibus est posita, qui sive sederent, sive surgerent, et starent, vel ambularent, semper mentem habuerint, et cogitationem de nocendo Jeremiae. Psalmum eorum esse significat, ex cuius miseria illi sibi cantum, et oblectamentum quasi musicum fecerint.

THAV. 64. *Reddes eis vicem, Domine, iuxta opera manuum suarum.* THAV. 65. *Dabis eis scutum cordis laborem tuum.* Hebraice: *Dabis eis tegumentum cordis, exsecrationem tuam eis.* (תִּתֵּן לָהֶם מְגִנַּת־לֵב תַּאֲלָתְךָ לָהֶם) Tegumento autem cordis significatur eius durities, tamquam, quod te-

ctum sit, ne quid intro penetret. Intelligitur ergo induratio illorum in peccatis: quae est poena Dei gravissima, quando peccator in malitia sua, desertus a Deo, semper provehitur, et tandem impoenitens perit. Qui cum sit effectus reprobationis, ista Dei execratio erga eos ipsa etiam illorum intelligitur esse reprobatio. THAV. 66. *Persequeris in furore, et conteres eos sub caelis Domine.* Jeremias, ut omnia legis, et Prophetarum dirigebantur ad Christum; typum huius ipse quoque gessit in omnibus illis gravissimis aerumnis, et adversitatibus, quas erat perpessus ab Judaeis. Quae ergo hic etiam in lamentationibus, tamquam contra se, memorat acta Jeremias ab iis, inter quos vixit; haec sublimiore sensu imaginem depingunt rerum illarum, quas postea ipse Christus passus est ab Judaeis: et ad hos ista eadem ratione typica spectat etiam haec exsecratio, et reprobatio, quam modo vaticinatus est Jeremias. Idem etiam lamentatur, et deplorat casum urbis Jerusalem, et templi, populique sui in captivitatem abductionem, quo rursus figuravit Christum, dum „Videns civitatem, flevit super il„lam, dicens: Quia, si cognovisses et tu, et qui„dem in hac die tua, quae ad pacem tibi, nunc „autem abscondita sunt ab oculis tuis: quia ve„nient dies in te, et circumdabunt te inimici „tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt „te undique, et ad terram prosternent te, et „filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent „in te lapidem super lapidem, eo quod non

„cognoveris tempus visitationis tuae." Luc. 19. v. 41.

CAPVT IV.

Aleph. 1. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum?* Auri optimo colore fulgentis nomine propter suum splendorem, et magnificentiam templum intelligitur, quod ex altera parte versus perspicuum fit, dum lapides sanctuarii dicit esse dispersos in capitibus platearum. Capita vero platearum intelliguntur viae illae, quae a templo ducebantur in omnes partes urbis. Beth. 2. *Filii Sion inclyti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* Vasa testea comparate ad aurum nullius sunt pretii. Cum ergo incolae Jerusalem gloria, inquit, antea floruissent, et existimatione, factos esse viles, et venisse in contemptum apud omnes. Ghimel. 3. *Sed et lamiae nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* Pro lamia est in Hebraeo vocabulum *Tannin:* (תַּנִּין) quod ut iam alias saepius declaratum est, belluam quamcumque feram, sive illa deinde in aquis, sive in terra habitet, Hebraeis significat, et quod Latinus Interpres plerumque draconem solet vertere. Est ergo comparatio, quod cum belluae etiam, et ferae animantes lactent suos catulos; Jerosolyma tamen filia, et ci-

vitas sui populi struthionis instar se erga liberos suos gesserit. Nam struthio ova, quae posuit, deinde relinquit, nec ea amplius curat, sed soli committit excludenda, nec pullorum deinde aliquam curam gerit, nec ullo eorum planctu movetur. De quo sic apud Jobum quoque est cap. 39. v. 16. „Duratur ad filios suos, quasi non sint sui." Huic ergo similiter ab Jerusalem factum esse dicit, dum matres in fame non tantum prolium obliviscerentur, inediaque illas sinerent perire, verum etiam, ut adhuc sequetur infra versu 10. ipsae illas coxerunt, et comederunt maternorum viscerum oblitae erga proles, suam tantum ut famem levarent. Daleth. 4. *Adhaesit lingva lactentis ad palatum eius in siti: parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis.*

He. 5. *Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis: amplexati sunt stercora.* In croceis Hebraice est: *Super cocco* (עֲלֵי תוֹלָע) Coccus est genus fruticis, unde color provenit fere similis purpurae, ut de hoc genere coloris iam ad Exod. 25. v. 4. dictum est. Quare sensus est, eos, qui prius nutriebantur et epulabantur super cocco, et purpura in cuiusmodi sedibus, et lectis videlicet ad mensas accumberet; hos sibi deinde ex sterquilinio cibos quaesivisse. Quod fit in extrema fame, dum antiqua coria, aliaque reiectanea conquiruntur, ut vita, quantum potest sordidissimis etiam rebus, sustentetur. Vav. 6. *Et maior effecta est iniquitas filiae populi mei*

peccato Sodomorum, quae subversa est in momento, et non ceperunt in ea manus. Iniquitas Jerusalem hic comparatur cum peccato Sodomorum, quoad poenam, quam tulit illius suae iniquitatis, illiusque, quam huius fuisse graviorem. Nam Sodomam esse subversam temporis momento, dum caelesti igne conflagravisset, et in qua non ceperint manus: Hebraice: *Et non irruerunt in eam manus.* (וְלֹא חָלוּ בָהּ יָדָיִם) quae scilicet non sit capta hostium manu, quemadmodum Jerusalem. Itaque dicit, Sodomitarum mortem fuisse faciliorem, et leviorem, dum vi ignis repente consumpti sunt; quam eorum, qui Jerosolymae illud exitium subiverunt: siquidem et metum hostium diu antea sustinuerint per obsidionem, deinde famem, postremo iugulati crudeliter per hostes sint, qui in fame non contabuerunt, aut abrepti in captivitatem non sunt.

Zain. 7. *Candidiores Nazaraei eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores.* Heth. 8. *Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis, adhaesit cutis eorum ossibus, aruit, et facta est quasi lignum.* Nazaraei erant, qui se frugalitate, et rerum aliquarum abstinentia religiosius consecraverant Deo, et de quorum ritu, et observantia est Numer. 6. v. 18. Hos ergo, veluti florem sui populi, Jeremias proponit, et cum eorum venustatem primum descripsisset; deinde docet, quis eorum squalor etiam factus sit propter famem, quam toleraverunt. Laudat vero eorum pulchritudinem,

eo, quod frugalitatem profiterentur. Haec enim conducit et bonae habitudini corporis, et eius sano colori. Est autem ebur antiquum non rubeo, sed flavescente colore. Ac, Latina oratio, ut Gellius dicit, una ruboris appellatione multas rufi coloris species differentes significat. Est autem in Hebraeo non ebur, sed vocabulum *Peninim* (פְּנִינִים) gemmas, margaritasque significat, Cum his ergo splendor eorum vultus confertur.

TETH. 9. *Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame: quoniam isti extabuerunt, consumpti a sterilitate terrae.* JOD. 10. *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum in contritione filiae populi mei.* Misericordes vocantur, quod natura tenerae sint matres ad affectum erga suas proles; non quod hae, quae filios suos coxerunt, talem aliquam benignitatem habuerint: quae ipsis bestiis, dum proles suas iugularent, et devorarent, erant immaniores. Quod aliquam relationem, et subiectionem notat erga aliud, id huius respectu solet Hebraeis appellari filia. Hinc tam saepe Jerusalem vocat Jeremias filiam sui populi.

CAPH. 11. *Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suae, et succendit ignem in Sion, devoravit fundamenta eius.* LAMED. 12. *Non crediderunt reges terrae, et universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis, et inimicus per portas Jerusalem.* MEM. 13. *Propter peccata prophetarum eius, et iniquitates sacerdo-*

tum eius, qui effuderunt in medio eius sangvinem iustorum, Nun. 14. *erraverunt caeci in plateis, polluti sunt in sangvine: cumque non possent, tenuerunt lacinias suas.* Falsi prophetae notantur, itemque sacerdotes, in persecutionibus excitandis adversum Justos, iniquissimisque eorum caedibus perpetrandis, qui reliquorum essent antesignani, et duces. Cuiusmodi de illis utrisque exemplum est etiam superioris libri cap. 26. v. 8. in ipsum Jeremiam. Adversus quem hi populum concitarunt, ut ad supplicium deposceretur. Sed unde interventu cuiusdam, ut ibi est, liberatus tamen est. Propter horum ergo peccata, qui cum aliorum hortatores esse debuissent ad bonum, praeireque illis exemplo, tamen e contrario persequerentur Justos, per hos, inquam dicitur esse factum, ut ceteri quoque omnes erraverint in plateis caeci, et claudendo oculos mentis, ne viderent, quod esset bonum, atque rectum, depositaque verecundia palam sequerentur flagitiosam vitam, atque se ipsos polluerent sangvine. *Cumque non possent, tenuerunt lacinias:* Cumque non possent incedere per plateas, quas repleverunt sangvine, quin pedes, atque vestes sangvine inficerent, tenuerunt lacinias suas, Hebraice: *vestes suas* (לְבֻשֵׁיהֶם) in altum scilicet eas tenuerunt, ne si defluere illas sinerent, sangvine inficerentur.

Samech. 15. *Recedite polluti, clamaverunt eis, recedite, abite, nolite tangere. Iurgati quippe sunt, et commoti dixerunt inter gentes: non*

addet ultrà, ut habitet in eis. Continuatur res superior de illo sangvine, istis, qui per sangvinem incedebant, alios obvios clamasse, ut illi sangvine polluti recederent, ne, si ab illis contingerentur, eadem etiam immunditie sangvinis polluerentur. Nam immunditiem afferebat sangvis, atque caedes. Quare etiam Numerorum 31. v. 19. post gestum cum Madianitis bellum, ii qui in praelio fuerunt, prohibiti per Moysem sunt ab ingressu castrorum, donec mundati essent. Pertinet hoc adiunctum ad amplificationem solummodo istius rei, quae modo hic dicta fuit de sangvine, et caedibus, per quas palam grassarentur, ita ut ire per plateas nemo posset, quin incurreret in sangvinarios, et homicidas. *Jurgati quippe sunt, et commoti:* Hebraice: *Ideo avolarunt, et amoti sunt.* (כִּי נָצוּ גַּם—נָעוּ) Ideo, propter sua flagitia, et suum sangvinem peregre ducti sunt in captivitatem. Qua de re sic est 4. Reg. 24. v. 3. „Factum est autem hoc verbum „Domini contra Judam, ut auferret eum coram se „propter peccata Manasse universa, quae fecit, et „propter sangvinem innoxium, quem effudit, et „implevit Jerusalem cruore innocentium, et ob „hanc rem noluit Dominus propitiari.“ Atque hic post illud membrum versiculi orationis fieri debet interpunctio, ut est etiam in Hebraeo. Ac deinde sequitur: *Dixerunt inter gentes: non addet ultra, ut habitet in eis.* Sic nimirum gentiles loquebantur de Judaeis, postquam abducti iam essent in captivitatem, fore iam numquam, ut Jerosolymam,

reliquasque suas civitates, et loca rursum iidem Judaei inhabitent: Et ita in numero plurali est etiam in Hebraeo: *Non addent peregre reverti.* (לֹא יוֹסִיפוּ לָגוּר) Phe. 16. *Facies Domini divisit eos, non addet, ut respiciat eos.* Idem ille eorum inter gentes continuatur sermo. Facies Domini divisit eos, hoc est, amovit eos a se, non illos denuo respiciet, ut revocet ad se. *Facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt.* Resumit Propheta orationem, qua in sua iterum persona loquitur, flagitiisque iunctam impudentiam memorat Judaeorum, ob quam in illam suam calamitatem inciderint.

Ain. 17. *Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum: cum respiceremus attenti ad gentem, quae salvare non poterat.* Aegyptii hi erant, in quorum auxilio adhuc confiderent Judaei, cum iam oppugnaretur Jerusalem a Chaldaeis. Jerem. 37. v. 6. Sade. 18. *Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum:* Subsistendi nobis in urbe ultra locus datus non est: *appropinquavit finis noster: completi sunt dies nostri, quia venit finis noster.* Coph. 19. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis caelo: super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis.* Persecutionis magnitudo exprimitur, dum nec in desertis locis, nec in editis, effugere possent vim hostium, atque tuti esse. Res. 20. *Spiritus oris nostri christus Dominus captus est in peccatis nostris: dum diximus: in umbra tua vivemus, in gentibus.* Christus

Dominus Hebraice est *Unctus Dei* (משיח יהוה) Conveniuntque haec omnia: Unctus, Christus, Messias significatione, nisi quod lingva differant, et cum primum Latinum sit, alterum sit Graecum, tertium Hebraicum vocabulum. Uncti vero reges vocabantur, et christi propter oleum, quo ungi consveverant, dum inaugurarentur, et ob quam caussam etiam Saul a Davide christus Domini vocatur. 2. Reg. 1. v. 14. Sedecias autem rex intelligiiur, quem captum queritur Jeremias in suis peccatis, hoc est propter sua peccata, loquendo in persona totius populi, quemque spiritum sui oris vocat: a quo, tamquam a rege, ipsorum etiam penderet salus, atque vita: et cui dicebant, hoc est, in quo idem populus haberet fiduciam, fore se tutum sub eius praesidio inter gentes, quae in eius circuitu essent.

SIN. 21. *Gaude, et laetare filia Edom, quae habitas in terra Hus: ad te quoque perveniet calix, inebriaberis, atque nudaberis.* Per ironiam hoc dicit, ut Edom gaudeat, cui rem tristissimam praedicit, ut de calice furoris Domini bibens etiam inebrietur, nudeturque. Ebrii, dum mentis impotentes sunt; nec decorum illud, quod esse debet, in vestitu, et tegumento sui corporis, observare sciunt. Unde vero metaphorice vocabulum translatum est ad illorum, quam per hostes passuri essent spoliationem, et expilationem. THAV. 22. *Completa est iniquitas tua filia Sion: non addet ultra, ut transmigret te. Visitavit iniquitatem tuam, filia Edom,*

discooperuit peccata tua. Quod alibi saepius iam observatum est, ut erga Jerusalem, et Israelem laetae praedictiones fiant, de liberatione ex captivitate, de reconciliando illis Deo, et peccatorum venia illis tribuenda, et ubi rursus in Sione essent collocati, quod iam amplius nulla aliqua contraria vi inde essent movendi, atque turbandi; sed quae res per umbram tantum adhuc quamdam impletae sunt in reditu Judaeorum ex Babylonica captivitate; plene autem, et perfecte implendae essent in illo, qui per spiritum fidei futurus esset Israeliticus populus, posteaquam denunciationes poenarum in veterem illum Israeliticum populum praecessissent; idem tenet hic quoque. Postquam ergo deploravit funestum hunc Jerosolymae casum, quem per Chaldaeos subiit, causamque istius tanti mali ostendisset esse peccata: nunc consolationis causa, *Completa est*, inquit, *iniquitas tua, filia Sion*, de tempore autem illo est hoc, de quo per Danielem etiam praedictum est, ut finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, quando Sanctus sanctorum esset unctus, Dan. 9. v. 24. tumque futurum dicitur, ut iam Deus non amplius in captivitatem eam tradat, abstrahique peregre in servitutem sinat. Alterum quoque adversus Edom, quod hic est: *Visitavit iniquitatem tuam, filia Edom, discooperuit peccata tua,* in futuro autem tempore hoc accipiendum est, sicut de futuro etiam tempore fuit calix, quem ad Edom superiore versu perventurum dixerat, ut

in Israelitarum hostes poenae effundantur, qui Israelem vexarunt, dum huic iam laetiora succedunt, itidem ita ponitur, ut istius coniunctionis de poenis hostium cum prosperitate, quae Israelitis concedenda esset, alibi quoque iam fuerunt exempla. Jsa. 11, v. 13. cap. 49. v. 26. Jerem. 30. v. 16. cap. 46. v. 27, 28. Edom autem prae ceteris memoratur, cuius acerbitas in Jsraelem tanto gravior fuit, quod frater fratrem internecivo odio persecutus sit. Quod ei alibi quoque saepius exprobratur. Amos. 1. v. 11. Abdiae Versu 10. Quod vero prius posuit: *Visitavit iniquitatem:* idem deinde aliis verbis expressit: *discooperuit peccata* ut facile intelligatur non aliud esse discooperire, quam visitare, et punire peccata.

CAPUT V.

Oratio Jeremiae Prophetae.

1. *RECORDARE Domine, quid acciderit nobis: intuere, et respice opprobrium nostrum.* 2. *Haereditas nostra versa est ad alienos, domus nostrae ad extraneos.* 3. *Pupilli facti sumus absque patre, matres nostrae quasi viduae.* 4. *Aquam nostram pecunia bibimus, ligna nostra pretio comparavimus.* 5. *Cervicibus nostris minabamur;* hoc est, more pecorum fune in collum iniecto ducebamur: *lassis non dabatur requies.* 6. *Aegypto*

dedimus manum, et Assyriis, ut saturaremur pane. Dare manum est actio vel confoederationis, vel subiectionis. Ista altera ratione hic accipitur. Modo enim Chaldaei sibi subiugaverunt Judaeos, et qui ex his relicti in Judaea sunt; in Aegyptum se contulerunt, Pharaonique se se subiecerunt. Jerem. 43. v. 7. 7. *Patres nostri peccaverunt, et non sunt; et nos iniquitates eorum portavimus.* 8. *Servi dominati sunt nostri:* Hebraice *in nos* (בָּנוּ) Chaldaeorumque servi intelliguntur, quorum manibus, et custodiae Judaeos captos tradiderunt, et commiserunt victores Chaldaei. *Non fuit, qui redimeret de manu eorum.*

9. *In animabus nostris afferebamus panem nobis a facie gladii in deserto.* Cum periculo animarum nostrarum, et vitae afferebamus panem. Loquitur de tempore, cum obsidione cincti tenerentur in urbe, et fame pressi clam, occultisque viis cum vitae suae periculo, si deprehenderentur ab hostibus, ex urbe in desertum exirent, indeque peterent, si aliquid in agris possent reperire, quo se aliquo modo sustentent. Quare panis pro re in genere, quae comedi posset, est positus. 10. *Pellis nostra, quasi clibanus, exusta est a facie tempestatum famis.* Hebraice: *a facie horridae famis* (מִפְּנֵי זַלְעֲפוֹת רָעָב) Fame, et inedia, dum deficit succus, necesse est, ut contrahatur macie corpus amissoque vividi priore colore flavescat, et nigrescat. 11. *Mulieres in Sion humiliaverunt, et virgines in civitatibus Juda.* Chal-

daei illas humiliaverunt opprimendo ipsas, et concumbendo. Syrus vertit: *stupratae sunt.* 12. *Principes manu suspensi sunt, facies senum non erubuerunt.* Hebraice: Principes *per manum eorum* (בְּיָדָם) suspensi sunt, videlicet Chaldaeorum; iidemque erga senes nullo aetatis respectu, ut clementius cum illis agerent, usi sunt.

13. *Adolescentibus impudice abusi sunt, et pueri in ligno corruerunt.* Pro hoc: *Impudice abusi sunt* in Hebraeo est verbum *Tachan* (טָחַן) quod ordinaria significatione, et propria molere significat, translate autem etiam usurpatur pro actione, qua exercetur libido: et qua ratione adhibetur istud vocabulum Jobi 31. v. 10. ibique auctoritate Interpretis Latini, qui hic in Threnis istud etiam sic interpretatus est, explicationem meam confirmaveram. Tametsi vero utramque hanc et molendi, et libidinosae actionis recipiat hoc verbum significationem; tamen esse priore modo non altero hic positum, et usurpatum ex altera parte versus, quae subsequitur: *Et pueri in ligno corruerunt*, perspicuum fit. Est enim hoc de labore, quem in comportandis lignis, servilem in modum, exhibere debuerint Chaldaeis, et sub qua portatione, et onere corruerint, vel ut pressius iuxta Hebraeum est, in quae ligna impegerint, dum suo videlicet casu super lignis affligerentur. Cum ergo hoc alterum de servili eorum labore sit, ad quem adacti more mancipiorum sint; illud anterius quoque de molitura magis videtur sumendum propter confor-

mitatem orationis. Servorum enim pariter, et molestissimum erat officium molere, et frumenta pistillis conterere. Sic ergo Hebraeum: (בַּחוּרִים טְחוֹן נָשָׂאוּ) verti etiam potest: *Juvenes molitum tulerunt*. Quomodo etiam Syrus vertit: *Adolescentes agitant molas, et iuvenes ad ligna impingunt*.

14. *Senes defecerunt de portis, iuvenes de choro psallentium*. In portis urbium, ut iam saepe demonstratum est, iudicia, et publici conventus instituebantur, et senes solent poni pro iis, qui gerunt magistratus. Vastata ergo urbe, et redacta ad solitudinem, illi quoque conventus, et iudicia in portis conticuerunt. Item iuvenes de choro psallentium defecerunt, quos tales choros iam non instituerent pristina sua consvetudine, dum staret urbs, et esset incolumis, dumque pro iuventutis suae indole agitarent in societate saltibus, et cantu laetitiam. 15. *Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster*. 16. *Cecidit corona capitis nostri. Vae nobis, quia peccavimus*. Corona capitis hic pro insigni laetitiae est posita, siquidem de sublatione omnis gaudii sit modo sermo. In conviviis autem gerebantur etiam coronae, et serta laetitiae, et iucunditatis gratia. Quomodo etiam apud Sapientem cap. 2. v. 8. inter alia conviviorum instrumenta de coronis mentio fit. „Vino pretioso, et ungventis nos „impleamus, inquiunt ibi, qui se ad convivia ce„lebranda adhortantur, et non praetereat nos flos „temporis: coronemus nos rosis, antequam mar-

„cescant.“ 17. *Propterea moestum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri.* Oculorum acies hebetatur lacrimis, et moerore: 18. *Propter montem Sion, quia disperiit: vulpes ambulaverunt in eo.* Propter montem Sion, quia disperiit, nectitur hoc cum eo, quod antecessit: moestum factum est cor nostrum, contenebrati sunt oculi nostri. Vulpium autem ambulatione in Sione significatur illius devastatio, et ad solitudinem redactio.

19. *Tu autem, Domine, in aeternum permanebis, solium tuum in generationem, et generationem.* 20. *Quare in perpetuum oblivisceris nostri? derelinques nos in longitudine dierum?* Hebraice: *in longitudinem dierum?* (לְאֹרֶךְ יָמִים) 21. *Converte nos Domine ad te, et convertemur: innova dies nostros, sicut a principio.* Civitatis eorum principium fuit, dum per Moysem educti essent ex Aegypto, et a Deo inito foedere in peculiarem eius populum fuissent assumpti. Sicut ergo tunc ipsos liberavisset ex servitute Aegyptiaca; ita petit, ut nunc quoque ab ipsis depellat captivitatem, ad quam ducti sunt in Babyloniam. 22. *Sed proiiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer.* Finit omnem planctum Jeremias in eo, quod caput erat totius lamentationis de repulsu Judaeorum, et reprobatione, cuius et imago fuit vastatio illa urbis, atque templi, illorumque expulsio in exteras terras, quam experti sunt ab Chaldaeis, et quam etiam inter lamentandum illis praenunciavit supra cap. 3. v. 65. et 66.

BARUCH.

PRAEFATIO.

De Barucho iam in Jeremia aliquoties occurrit mentio, quo adiutore, et nonnumquam interprete etiam usus fuit Jeremias. Post vastatam a Nabuchodonosore Jerosolymam, et Judaeam, ipse etiam cum Jeremia remanserat in Judaea, deinde vero cum eodem ab illis Judaeis, quos reliquerant Chaldaei in Judaea, ductus est in Aegyptum. Jerem. 43. v. 6. Ibi illum non mansisse, sed esse relictis illis profectum in Babyloniam ad Judaeos, qui eo ducti sunt captivi, intelligitur ex eo, quod librum hunc statim in eius principio se se scripsisse dicat *in anno quinto in septimo die mensis in tempore, quo ceperunt Chaldaei Jerusalem, et succenderunt eam igni*, et quod illum legisse se dicat coram Jechonia, ceterisque Judaeis in Babylonia. Est liber scriptus a Baruch in persona omnium Judaeorum, qui Babylone in captivitate erant, in quo confitentur ea, quae mala ipsis acciderunt, iuste sese ferre propter peccata, quibus Deum offenderunt.

Est liber hic unus e Deuterocanonicis, eumque S. Gregorius Nazian. in Carmine, S. Hieronymus in

Prologo Galeato, et S. Damascenus l. 4. de Fide cap. 18. ex numero Canonicorum librorum praetermiserunt. At vero S. Cyprianus l. 2. contra Jud. cap. 5. et Sermone de Orat. Dominica, S. Hilarius Praefatione in Psal. S. Athanasius in Epistola Festali, S. Cyrillus l. 10. in Julianum: Clemens Alex. lib. 2. Paedagogi cap. 3. S. Ambrosius l. 1. de Fide cap. 2. Theodoretus in Explicatione huius libri, Divinum ipsum, atque Propheticum, et a Spiritu S. inspiratum profitentur, et recognoscunt. Plures autem Patres, dum testimonia ex Barucho citant, haec allegant, et proferunt sub nomine Jeremiae. Cuius rei rationem hanc dat S. Augustinus l. 18. de Civ. Dei cap. 33. quod uno volumine contineretur Baruch, et Jeremias. Quae eadem ratio videtur fuisse, ut inconsiderantia aliquorum ex ipsis etiam Bibliis Hebraicis exciderit. Neque enim in his exstat, quamvis illum omnino exstitisse in illis S. Irenaeus lib. 1. contra Haereses testetur. Quare etiam in Versione Septvaginta Interpretum existit. Non autem vertere illum potuissent, nisi ipsum in Hebraeo reperissent. Si vero aliquis mala fraude ad illius versionis officinam, hunc librum velut alienam, et spuriam mercem intrudere voluisset; hocne Alexandrini, ceterique Judaei, tum viri e Christianis acutissimi, ut Origenes, Clemens Alexandrinus, quorum prior sententias etiam ipsas e vestigio dignoscit, si quae sint non genuinae Septvaginta Interpretum, sed

aliunde accessissent, non odorati fuissent, non adversus hunc se movissent, atque eum e contubernio reliquae versionis exturbatum habere voluissent? Et cum nemo ex omni antiquitate repertus fuisset, qui verbulum contra Baruchum in Septvaginta Interpretum versione fecisset; tandem Grotio occurrit hoc de illo iudicium formare, esse illum tantum exercitationem cuiusdam rhetoris Judaei Graece scribentis. Sed more suo nihil profert, quo hoc suum assertum probet. Nec privilegium aliquod de se producit, quo se doceat exemptum ab communi Criticorum lege, ut quod asserit, probare etiam debeat, si velit, ut ei credatur. Quid igitur? figmenta istiusmodi, et pruriginem ingenii imprudens iudicium, et mala crisis esset vel in aliquam considerationem admittere. Talia enim sicut effutiuntur, ita a prudente quolibet despiciuntur, et reiiciuntur. Tanto minus vero Catholico alicui fas est de Barucho dubitare, eiusque Canonica auctoritate, postquam eum cum alia concilia, de quibus initio Praenotionum mearum Hermenevticarum dictum est, tum Concilium Tridentinum in canone recensuit, et positum esse legitime, recognovit.

Capite sexto huius libri ponitur Epistola Jeremiae, quam is Judaeis dedit, dum in captivitatem per Chaldaeos ab ducerentur. Quae epistola eamdem vicem, quam Baruchi liber subiit, ut inter deuterocanonicas Scrpturas veniret, quod agnita statim ab omnibus pro genuina Scriptura non esset: quemadmo-

dum ipse S. Hieronymus eam in Praefatione in Jeremiam pseudographam epistolam Jeremiae nominare non dubitavit. Quae vero illius opinio omnium illorum Patrum, quos supra allegavi, qui eam cum Barucho complectuntur, atque ex ipsa etiam hac epistola, dum testimonia proferunt, Scripturae Sacrae nomine eam laudant, refellitur. Ipse libri secundi Machabaeorum Scriptor capite 2. v. 1. testatur omnino Judaeis, dum in captivitatem irent, esse epistolam datam, qua illis caveret, ne ad idololatriam in Babylonia seducerentur. Certum igitur nobis, et Divinae auctoritatis documentum est, quibus Divinae, et canonicae auctoritatis illi libri sunt, de illis, qui ad hanc auctoritatem illos non recipiunt, postea, cum ad illos libros venerimus, videbimus, nobis inquam certum documentum est, esse Epistolam ab Jeremia scriptam; et quam, ut talem, et ab Jeremia scriptam dum Ecclesia etiam in conciliis recognovit, et uti talis haberetur, proposuit, et docuit; non potest non esse certa res de canonica eius auctoritate cuilibet Catholico. Cui, qui se submittere nolunt in obsequium fidei; sed malunt inniti suo iudicio, sequantur illud, quando ita lubet. Cogitent autem illud, quod dicit Paulus in Epistola ad Titum cap. 3. v. 11. eum, qui deviat a Fide, suo subversum esse iudicio.

SYNOPSIS.

Cap. 1. Docet Baruch, quando, et ubi, et qua occasione hunc suum librum scripserit; esse-

que hunc e Babylonia scriptum, atque missum in Judaeam ad sacerdotes, cum pecuniis, unde inter parietinas templi offerrent sacrificia, Deumque illis placarent, qui erant in captivitate. *Cap.* 2. In hoc libello deinde, qui ex Babylonia in Iudaeam missus sit, nomine Judaeorum in captivitate degentium, confitetur iustissime omnia, quae paterentur, evenisse sibi propterea, quod Deum offenderint; eiusque erga se laudat bonitatem, qui per Moysem ex captivitate, si in eam incidissent, liberationem spoponderit. *Cap.* 3. Eiusdem populi Israel nomine Deum precatur, ut se ei iterum propitium exhibeat. Monet eum, ut ed legem omni studio incumbat, tamquam in qua sita sit omnis sapientia, et quam potentissimae etiam gentes ignoraverint, ideoque periverint. Israeli autem et Jacobo, quam Deus tradiderit, et qui idem Deus postea in terris visus, cum hominibusque conversatus sit. *Cap.* 4. Tum ipsi Jerusalem personam Propheta imponit loquendi, quae filios suos distractos a se, et abactos in captivitatem solatur spe celeris liberationis, atque reditus, vi hostium fracta, illisque in exitium missis. Sub finem capitis Propheta ipse rursus resumit orationem, et vicissim ipsam Jerusalem ad laetitiam excitat propter maximam, qua eam Deus locupletaturus sit, filiorum multitudinem. *Cap.* 5. Hortatur eam, ut positis vestibus luctus splendidis se se ornet vestibus ob iucunditatem, quam habitura est ex filiorum maximo numero, et iustitia, et misericordiam, qua eam Deus exornaturus

est. *Cap.* 6. Hic ponitur Epistola Jeremiae, quam is Judaeis dedit, dum captivi ducerentur in Babyloniam, monetque ipsos, atque instruit, ne cultu, et splendore idolorum capti, illa pro Deo ibi adorarent, quorum inanitatem illis depingit.

CAPVT I.

Librum Baruch, et pecunias ad sacrificia mittunt Judaei ex Babylonia in Judaeam ad deprecandum Deum pro suis peccatis.

1. *ET haec verba libri, quae scripsit Baruch filius Neriae, filius Maasiae, filii Sedeciae, filii Sedei, filii Helciae in Babylonia.* Orationis voculam, quae vulgo vertitur per Latinam copulativam *Et*, solere ab Hebraeis etiam in sermonis principio adhiberi, quin adhuc aliquid praecesserit, est iam a me demonstratum etiam alibi. 2. *In anno quinto, in septimo die mensis, in tempore, quo ceperunt Chaldaei Jerusalem, et succenderunt eam igni.* In hoc videlicet tempore scripsit Baruch verba huius libri, de quo praecessit versu priore. Cum vero generale tantum nomen mensis ponatur, quin nominatim dicatur, quis iste fuerit mensis; intelligitur antonomastice mensis, qui erat omnium primus, et praecipuus. Nisan videlicet mensis, a quo propter eius dignitatem, quod tum Pascha celebraretur, eductique essent ex Aegypto, annus etiam sacer apud eos initium ducebat. Est vero Jerusa-

lem igne vastata per Chaldaeos post Sedeciam captum: nec alias esse hoc aliquando factum ad illud usque tempus ullum uspiam vestigium est. Annus ergo quintus, qui hic ponitur, non allius esse postest, quam is, qui quintus fuit ab eo tempore, quo captivus in Babyloniam ductus fuit Sedecias. Istud vero propterea a me adnotatur, quod sint, quibus placeat, quintum istum annum oportere numerari non ab hoc tempore, quo Sedecias, sed quo Jechonias abductus in captivitatem est. Est hoc illis nimirum pro argumento, quod, ut sequente versu est, Baruch librum hunc suum, antequam in Judaeam mitteretur, coram Jechonia, non Sedecia legerit. Et bene: cum rex uterque in captivitate fuerit, et uterque vixerit, cur non ergo libri lectio coram Jechonia etiam cammodius fieri potuisset? Liberior enim in captivitate sua Jechonias fuit, utpote qui se sponte Nabuchodonosori subiecerit, et cui Evilmerodach, qui Nabuchodonosori successit, regia etiam insignia postea concesserit, suaeque mensae consortem fecerit, Jerem. 52. v. 31. quam Sedecias: quem oculis orbavit, et catenis constrinxit Nabuchodonosor, postquam illum cepisset, eiusque filios in eius oculis iugulari iussisset. Est et illud manifestissimum indicium temporis, quo res, quae hic narratur, acciderit. Nam iidem Judaei vasa etiam quaedam sacra argentea ex Babylonia remiserint modo cum libro, quae vasa Sedecias curaverat, ut est infra versu 8. haec autem cum asportata in Babyloniam non ante Sedeciam

captum, et vinctum sint; consequens est, ut nec remitti, nisi postquam idem abductus in captivitatem est, potuerint. Illud: *in tempore*, cum Hebraei iisdem literis, quas praepositionum loco adhibent, diversas earum significationes complectantur, Baruchque Hebraice scripserit; posset etiam verti sic: *a tempore:* et tum omnis huic controversiae, quae modo exposita est, praecideretur occasio.

3. *Et legit Baruch verba libri huius ad aures Jechoniae filii Joakim regis Juda*, *et ad aures universi populi venientis ad librum*, 4. *et ad aures potentium*, *filiorum regum*, *et ad aures presbyterorum*, *et ad aures populi*, *a minimo usque ad maximum*, *eorum omnium habitantium in Babylonia ad flumen Sodi.* Jechonias cum semine suo, hoc est, cum filiis etiam suis fuit ductus in Babyloniam; Jeremiae 22. v. 28. insuper Daniel quoque, atque eius socii erant ex sangvine regio. Dan. 1. v. 3, 6. Hi ergo, hisque similes fuerunt illi filii regum, et potentiores, qui ad audiendum etiam librum cum aliis convenerant. Sodi in Hebraea lingva superbum, et ebullientem significat. Quamobrem isto nomine fluvius Euphrates designatur, ad quem Judaeos habitasse in Babylonia perspicuum est etiam ex Psalmi 136. v. 1. „Super flumina „Babylonis, illic sedimus, et flevimus, cum recor „daremur Sion." Et Jeremias quoque cap. 51. v. 61. quam epistolam misit per Sarajam anno quarto regni Sedeciae, cum eam legendam curasset, in qua quod Babyloni eventurum erat exitium descri-

bebat, proiici deinde statim ut esset lecta, iussit in Euphratem. Utique vero non coram aliis, quam Judaeis legi voluit illam epistolam, quam si legi coram Chaldaeis iussisset, male captivis Judaeis consuluisset, in quos Chaldaeos concitasset, et ferociores fecisset. Cum ergo finita lectione statim esset epistola hoc illius iussu proiecta in Euphratem; sequitur Judaeos ad Euphratem fuisse collocatos in Babylonia, coram quibus epistolae illius lectio facta est.

5. *Qui audientes plorabant, et ieiunabant, et orabant in conspectu Domini.* 6. *Et collegerunt pecuniam, secundum quod potuit uniuscuiusque manus,* 7. *et miserunt in Jerusalem ad Joakim filium Helciae, filii Salom sacerdotem, et ad sacerdotes, et ad omnem populum, qui inventi sunt cum eo in Jerusalem:* 8. *cum acciperet vasa templi Domini, quae ablata fuerant de templo revocare in terram Juda decima die mensis Sivan, vasa argentea, quae fecit Sedecias filius Josiae rex Juda:* 9. *posteaquam cepisset Nabuchodonosor rex Babylonis Jechoniam, et principes, et cunctos potentes, et populum terrae ab Jerusalem, et duxit eos vinctos in Babylonem.* Eodem videlicet tempore, quo perlata sunt vasa ex Babylonia in Judaeam haec argentea ad Joakimum sacerdotem, est pecunia haec quoque ad eum missa. Quomodo autem illa vasa obtinuerint, quae cum a Sedecia rege curata sint, una deinde cum eo asportata etiam in Babyloniam sunt, non exponitur. Sed veri-

simile est, fuisse pecunia redempta per Judaeos a Chaldaeis. Nam cum hi, qui cum Jechonia erant in captivitatem ducti, diutius iam in Babylonia fuerint; potuerunt iam ad aliquas facultates pervenire, unde vasorum illam redemptionem facere potuerint. Deinde, nec iidem videntur rebus suis esse spoliati omnibus ab Chaldaeis, dum captivi ducerentur, cum se Jechonias sponte Nabuchodonosori subdiderit, omniaque sua eius fidei commiserit. Cum vero in illa captivitate, quae accidit sub Sedecia, illi Judaei qui erant relicti a Chaldaeis in Judaea, in Aegyptum etiam demigraverint, Jerem. 43. v. 5. consequens est, post illorum discessum alios tamen adhuc profugos tempore belli, esse reversos in Judaeam, et Jerosolymam, aut aliquos ex ipsa etiam Aegypto rediisse, se seque habitandi causa collocavisse in Judaea, prout ne Baruch quidem ibi mansit apud eos.

10. *Et dixerunt: ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocautomata, et thus, et facite manna, et offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri.* Manna ponitur pro munere, et oblatione, quae in Hebraea lingva *Mincha* vocatur, pro quo nomine per versionem primum Graecam, deinde inde in Latinam quoque propter vocabuli similitudinem *Manna* non satis adcurate positum est. Ad aram autem Dei sui dicunt, ut sacrificia illa offerantur. Nam, quamvis conflagravisset templum; tamen poterant in eodem loco, quo antea steterat altare, inter parietinas templi, aram rur-

rus erigere, et sacrificare. Quod Esdras quoque postea fecit, dum redivisset ex captivitate 1. Esd. 3. v. 3. Item etiam Jeremiae 41. v. 5. est octoginta viros de Sichem, et de Silo, et de Samaria cum muneribus, et thure ivisse Jerosolymam ad faciendas oblationes, cum iam id temporis etiam eversum fuisset templum. 11. *Et orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, et pro vita Balthasar filii eius, ut sint dies eorum, sicut dies caeli super terram.* Hoc est, quamdiu vicissitudo haec dierum, atque noctium duraverit in mundo, solque hunc orbem illustraverit, precantur, ut vivant. Nabuchodonosori autem proxime successit in regno Evilmerodach filius. Quare, aut Evilmerodach hoc etiam nomen habuit Balthasaris, ipseque intelligitur; aut, si hoc nomine quispiam alter Nabuchodonosoris filius fuit, quem successurum putaverint Nabuchodonosori patri suo, et pro quo coniunctim preces suas instituerint; is aliquo casu non successit, et vel morte decessit, Evilmerodachoque succedendi locum reliquit; vel pater in destinando successore hunc illi antetulit, contra quam existimatum a Chaldaeorum vulgo, et ipsis Judaeis sit. 12. *Et ut det Dominus virtutem nobis, et illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbra Balthasar filii eius, et serviamus eis multis diebus, et inveniamus gratiam in conspectu eorum.* Moerore tabescunt oculi. Vigor ergo illis redditur, dum res laetiores succedunt. Sibi vero diuturnam vitam exoptant, dum hoc precantur, ut multis

diebus serviant Nabuchodonosori regi, et eius filio, non quasi captivitatem adamavissent. Qui cum liberationis spem modo nondum haberent; id saltem anhelabant, ut vitam possent metus expertem ducere.

13. *Et pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum; quia peccavimus Domino Deo nostro, et non est aversus furor eius a nobis usque in hunc diem.* 14. *Et legite librum istum, quem misimus ad vos recitari in templo Domini in die solenni, et in die opportuno.* 15. *Et dicetis:* Hic nunc incipit ipse liber, quem per modum epistolae ex Babylonia miserunt in Judaeam: *Domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio faciei nostrae, sicut est dies haec omni Juda, et habitantibus in Jerusalem,* 16. *regibus nostris, et principibus nostris, et sacerdotibus nostris, et prophetis nostris, et patribus nostris.* Hoc est, nobis, inquiunt competit, et nos digni sumus hac confusione. Deo autem a nobis debetur iustitia, quam scilicet in eo agnoscamus, dum captivitatis hac poena nos affecit. 17. *Peccavimus ante Dominum Deum nostrum, et non credidimus dissidentes in eum,* 18. *et non fuimus subiectibiles, et non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in mandatis eius, quae dedit nobis.* 19. *A die, qua eduxit patres nostros de terra Aegypti usque ad diem hanc, eramus incredibiles* (increduli) *ad Dominum Deum nostrum, et dissipati recessimus, ne audiremus vocem ipsius.* 20. *Et adhaeserunt*

nobis multa mala, et maledictiones, quae constituit Dominus Moysi servo suo: qui eduxit patres nostros de terra Aegypti dare nobis terram fluentem lac, et mel, sicut hodierna die. Istud: *sicut hodierna die* nectitur cum eo, quod antecessit: *Adhaeserunt nobis mala, et maledictiones.* Constituta autem haec mala illis a Deo sunt, si legem transgrederentur. Deuteronomii 28. v. 15. 21. *Et non audivimus vocem Domini Dei nostri secundum omnia verba Prophetarum, quos misit ad nos.* Hoc est, quoad omnia verba Prophetarum, quos Deus misit ad nos, vocem illius non audivimus, sed inobedientes semper fuimus. 22. *Et abivimus unusquisque in sensum cordis nostri maligni operari diis alienis, facientes mala ante oculos Domini Dei nostri.*

CAPVT II.

Confitentur Judaei in captivitate peccata sua, quibus iuste meruerint iram Dei, et mala illa, quae patiebantur.

1. *Propter quod statuit Dominus Deus noster verbum suum, quod locutus est ad nos, et ad iudices nostros, qui iudicaverunt Israel, et ad reges nostros, et ad principes nostros, et ad omnem Israel, et Juda:* Statuit, hoc est effectum dedit, et quas minas antea pronunciaverat, has executus est: 2. *ut adduceret Dominus super nos mala magna, quae non sunt facta sub caelo, quemadmo-*

dum facta sunt in Jerusalem, secundum quae scripta sunt in lege Moysi, 3. *ut manducaret homo carnes filii sui, et carnes filiae suae.* Deuteronomii 28. v. 53. malum istud illis a Moyse praedictum fuit. 4. *Et dedit eos sub manu regum omnium, qui sunt in circuitu nostro, in improperium, et in desolationem in omnibus populis in quibus nos dispersit Dominus.* 5. *Et facti sumus subtus, et non supra, quia peccavimus Domino Deo nostro, non obaudiendo voci ipsius.* 6. *Domino Deo nostro iustitia: nobis autem, et patribus nostris confusio faciei, sicut est dies haec.* Hoc est, Deo nostra confessione tribuimus iustitiam; nobis autem agnoscimus merito accidisse hanc confusionem faciei, quam patimur hoc tempore. 7. *Quia locutus est Dominus super nos omnia mala haec, quae venerunt super nos:* 8. *et non sumus deprecati faciem Domini Dei nostri, ut reverteremur unusquisque nostrum a viis nostris pessimis.* 9. *Et vigilavit Dominus in malis, et adduxit ea super nos: quia iustus est Dominus in omnibus operibus suis, quae mandavit nobis.* 10. *Et non audivimus vocem ipsius, ut iremus in praeceptis Domini, quae dedit ante faciem nostram.* 11. *Et nunc Domine Deus Israel, qui eduxisti populum tuum de terra Aegypti tn manu valida, et in signis, et in prodigiis, et in virtute tua magna, et in brachio excelso, et fecisti tibi nomen, sicut est dies iste.* 12. *Peccavimus, impie egimus, inique gessimus, Domine Deus noster, in omnibus iustitiis tuis.*

13. *Avertatur ira tua a nobis, quia derelicti sumus pauci inter gentes, ubi dispersisti nos.* 14. *Exaudi Domine preces nostras, et orationes nostras, et educ nos propter te, et da nobis invenire gratiam ante faciem eorum, qui nos abduxerunt:* 15. *ut sciat omnis terra, quia tu es Dominus Deus noster, et quia nomen tuum invocatum est super Israel, et super genus ipsius.* 16. *Respice Domine de domo sancta tua* (de caelo) *in nos, et inclina aurem tuam, et exaudi nos.* 17. *Aperi oculos tuos, et vide: quia non mortui, qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est a visceribus suis, dabunt honorem, et iustificationem Domino.* Ad Psalmi 6. versum 6. demonstratum est, eatenus dici a mortuis, et in inferno, hoc est, sepulchro positis, non laudari Deum, quatenus apud alios vivos illius cultum iam hi non possint amplius propagare. 18. *Sed anima, quae tristis est super magnitudine mali, et incedit curva, et infirma, et oculi deficientes, et anima esuriens dat tibi gloriam, et iustitiam Domino.* Anima esuriens ponitur inter alia suae poenitentiae signa, et opera. Itaque ieiunium intelligitur, quo is, qui poenitentiam Deo exhiberet, seipsum etiam maceraret, atque hac re gloriam tribueret Deo.

19. *Quia non secundum iustitias patrum nostrorum nos fundimus preces, et petimus misericordiam ante conspectum tuum Domine Deus noster:* 20. *sed quia misisti iram tuam, et furorem tuum super nos, sicut locutus es in manu puerorum tuo-*

rum prophetarum, dicens: 21. *Sic dicit Dominus: inclinate humerum vestrum, et cervicem vestram, et opera facite regi Babylonis, et sedebitis in terra, quam dedi patribus vestris.* 22. *Quod si non audieritis vocem Domini Dei vestri, operari regi Babyloniae; defectionem vestram faciam de civitatibus Juda, et a foris Jerusalem:* 23. *et auferam a vobis vocem iucunditatis, et vocem gaudii, et vocem sponsi, et vocem sponsae, et erit omnis terra sine vestigio ab inhabitantibus eam.* Profitentur se non secundum iustitias patrum suorum fundere coram Deo preces suas, utpote, qui nullis etiam patrum suorum meritis possint pro se uti erga Deum, quo illum facilius sibi propitium faciant, et flectant ad dandam veniam: quia nimirum ipsorum etiam patres semper offenderint Deum, ac meliores etiam ipsis non fuerint. De patribus autem hoc suis dicunt, et confitentur inde ab exitu ex Aegypto, ut est manifeste, ad illud initium hoc pertinens esse, superioris capitis versu 19. Hoc autem ad agnitionem et confessionem suae erga Deum proterviae, et contumaciae maioris pertinet, quod postquam illos Deus regi Babyloniae subiecisset, lenius autem nunc adhuc ab eo haberentur, qui in Judaea permitterentur habitare, pati tamen hanc poenam, et perferre noluerint, quamvis Deus etiam illis per Prophetas suam voluntatem de subiectione illa ferenda declaravisset: et ob quam causam gravius deinde illos per eosdem Chaldaeos presserit, in istamque servitutem coniecerit, quam experti graviorem postea sunt

24. *Et non audierunt vocem tuam, ut operarentur regi Babylonis, et statuisti verba tua, quae locutus es in manibus pueorum tuorum Prophetarum, ut transferrentur ossa regum nostrorum, et ossa patrum nostrorum de loco suo.* De loco tantum ad locum sunt translata, hoc est, sunt mota e loco, ubi iacebant, atque e suis tumulis eiecta. Quod ab Jeremia etiam erat praedictum cap. 8. v. 1. 25. *Et ecce proiecta sunt in calore solis, et in gelu noctis, et mortui sunt in doloribus pessimis, et in fame, et in gladio, et in emissione:* hoc est, in expulsione e sua patria. 26. *Et posuisti templum, in quo invocatum est nomen tuum in ipso, sicut haec dies, propter iniquitatem domus Israel, et domus Juda.* Posuisti templum, et redegisti illud ad hunc statum, in quo est hoc tempore. 27. *Et fecisti in nobis Domine Deus noster secundum omnem bonitatem tuam, et secundum miserationem tuam illam magnam:* 28. *sicut locutus es in manu pueri tui Moysi, in die, qua praecepisti ei scribere legem tuam coram filiis Israel,* 29. *dicens: si non audieritis vocem meam, multitudo haec magna convertetur in minimam inter gentes, quo ego eos dispergam.* Laudat Deum propter bonitatem, etiam dum ipsos punivisset, quod scilicet haec poena Dei erga eos esset clementia temperata, nec hanc poenam perpetuam esse sivisset, sed, ut sequetur, ipsa hac captivitatis poena ad eos emendandos, sibique per observantiam iterum copulandos usurum per Moysem testatus esset. 30. *Quia*

scio, quod me non audiet populus: populus est enim dura cervice, et convertetur ad cor suum in terra captivitatis suae; 31. et scient, quia ego sum Dominus Deus eorum, et dabo eis cor, et intelligent; aures, et audient. 32. Et laudabunt me in terra captivitatis suae, et memores erunt nominis mei. 33. Et avertent se a dorso suo duro, et a malignitatibus suis: quia reminiscentur viam patrum suorum, qui peccaverunt in me. 34. Et revocabo illos in terram, quam iuravi patribus eorum, Abraham, Isaac, et Jacob, et dominabuntur eis Graece: *dominabuntur ei* κυριεύσουσιν αὐτῆς: terrae igitur suae, atque regionis pristinum dominium dicuntur esse recuperaturi: *et multiplicabo eos, et non minorabuntur. 35. Et statuam illis testamentum alterum sempiternum, ut sim illis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum, et non movebo amplius populum meum, filios Israel a terra, quam dedi illis.* Quod sub tegmine typico liberationis e captivitate, et revocationis Israelitarum ad suum cultum, quae deinde cultus Divini restauratio facta est, quando reaedificatum est templum; iterum nunc ad novum testamentum fiat respectus, et ad eos, qui secundum spiritum fidei fierent Dei populus, et Abrahae posteri, declarat illud, quod se Deus cum his facturum dicat testamentum alterum, atque hoc dicat futurum sempiternum. Illud enim primum fuit testamentum, cuiusque reprobatio facta est. Hebr. 9. v. 18. cap. 7. v. 18.

CAPVT III.

Deprecantur Deum, ut peccatorum, quibus eum offenderunt, obliviscatur, atque veniam ipsis tribuat. Cohortantur se ad quaerendam, sequendamque Sapientiam, quam Deus manifestaverit tradendo Israelitis legem, et ad quam communicandam hominibus in terram Deus ipse venerit, cumque hominibus in terra conversatus sit.

1. *ET nunc Domine omnipotens, Deus Israel, anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te:*
2. *Audi Domine, et miserere, quia Deus es misericors, et miserere nostri, quia peccavimus ante*
te. 3. *Quia tu sedes in sempiternum, et nos peribimus in aevum?* Captivitatem per verbum hoc, perire, intelligit: quem eumdem captivitatis statum cum morte etiam *confert subsequente versu, seque ipsos mortuos vocat. Ex eo autem, quod Deus sedeat in sempiternum, et regnum illius, et providentia, qua gubernat universa, sit aeterna, infert minime futurum, ut suo populo clamanti ad se, et pereunti non subveniat, utpote, qui tamquam Rex aeternus suorum curam abiicere a se non possit. 4.
Domine omnipotens, Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel, et filiorum ipsorum, qui peccaverunt ante te, et non audierunt vocem Domini Dei sui, et adglutinata sunt nobis mala. 5.
Noli meminisse iniquitatum patrum nostrorum, sed memento manus tuae, et nominis tui in tem-

pore isto. 6. *Quia tu es Dominus Deus noster, et laudabimus te Domine.* 7. *Quia propter hoc dedisti timorem tuum in cordibus nostris, et ut invocemus nomen tuum, et laudemus te in captivitate nostra: quia convertimur ab iniquitate patrum nostrorum, qui peccaverunt ante te.* 8. *Et ecce nos in captivitate nostra sumus hodie, qua nos dispersisti in improperium, et in maledictum, et in peccatum:* Pro peccato in Graeco est ὄφλησις: quae vox *debitum* significat. Qui vero aliis debebant, si non essent solvendo; a creditore in servitutem abstrahebantur, ut serviendo debito satisfacerent: quare haec traditio in peccatum, atque debitum pro ipsa mancipatione est posita: *secundum omnes iniquitates patrum nostrorum, qui recesserunt a te Domine Deus noster.*

9. *Audi Israel mandata vitae, auribus percipe, ut scias prudentiam.* 10. *Quid est Israel, quod in terra inimicorum es?* 11. *Inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum.* Afflictionis hunc statum etiam Jeremias expressit facta comparatione cum iis, qui iam in sepulchris pridem computruerunt. „In tenebrosis collocavit me, inquit, quasi mortuos sempiternos.“ 12. *Dereliquisti fontem sapientiae.* 13. *Nam, si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna.* 14. *Disce, ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul, ubi sit longiturnitas vitae, et victus, ubi sit lumen oculorum, et pax.*

15. *Quis invenit locum eius, et quis intravit in thesauros eius?* 16. *Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias, quae sunt super terram?* Principes gentium etiam super bestias dominium habere dicuntur: quemadmodum etiam erga Nabuchodonosorem dictum est per Jeremiam cap. 27. v. 6. „Et nunc itaque ego dedi omnes ter„ras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylo„nis servi mei, insuper et bestias agri dedi ei, ut „serviant illi." 17. *Qui in avibus caeli ludunt.* Qui avibus utuntur ad suam oblectationem. Ad lusum talem cum ave fit allusio, de quali lusu est etiam Jobi 41. v. 24. „Numquid illudes ei, quasi „avi, aut ligabis eum ancillis tuis?" De Leviathane autem ibi est sermo, non posse cum eo ita ludicre agi, sicut cum ave. 18. *Qui argentum thesaurizant, et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum? qui argentum fabricant, et solliciti sunt, nec est inventio operum illorum?* Sensus est, ita ingeniose hanc ab illis artem exerceri, ut hoc alii stupeant, et sit supra illorum captum. De his ergo omnibus quaeritur, ubi sint? Quorum scilicet omnium sive potestas, qua in mundo excelluerunt, sive gloria ex ingenio, et scientia transiit, atque in auras abiit.

19. *Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alii loco eorum surrexerunt.* 20. *Juvenes viderunt lumen, et habitaverunt super terram; viam autem disciplinae ignoraverunt.* Videre lumen est positum pro vivere, siquidem hoc

deinde aliis verbis dicatur: habitare super terram. Est autem iuvenum iucunde vivere, et genio indulgere. Tale ergo hoc lumen iuvenum esse intelligitur, qui animo obsequentes, cupiditatibusque suis servientes, viam, et rationem disciplinae dicuntur ignoravisse. 21. *Neque intellexerunt semitas eius, neque filii eorum susceperunt eam, a facie ipsorum longe facta est.* 22. *Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman.* Civitas haec fuit Idumaeae, claraque a sapientibus, qui in ea habitarunt. Quare etiam Jeremiae 49. v. 7. dum irriderentur Idumaei, quod casum suum praevidere nesciverint, „Numquid non ultra est sapientia in The„man, periit consilium a filiis, inutilis facta est „sapientia eorum:" dicitur ad eosdem, qui in Theman habitarent. 23. *Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, quae de terra est, negotiatores Merrhae, et Theman, et fabulatores, et exquisitores prudentiae, et intelligentiae:* intelligitur illud tacite: sapientes sibi esse videbantur: *Viam autem sapientiae nescierunt, neque commemorati sunt semitas eius:* nec meminerunt (οὐδὲ ἐμνήσθησαν) semitarum illius. Filii Agaris iidem sunt, qui Ismaelitae, siquidem Ismael fuerit Agaris filius Gen. 16. v. 15. Merrha est etiam cuiusdam civitatis proprium nomen, in qua viri floruerint laudati a sapientia. Ubi autem adcurate exstiterit, ignoratur. Fuerunt civitates Maraca, Marana, Mariaba in Arabia, non longe ab Idumaea, item Maara locus fuit in Phoenicia. Ex his civitas potuit una esse.

24. *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessiones eius.* Immensitas Dei praedicatur, ut hoc magis explicatur versu subsequente. 25. *Magnus est, et non habet finem, excelsus, et immensus.* 26. *Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab inito fuerunt, statura magna, scientes bellum.* Ibi hi fuerunt, sub Dei videlicet immensitate illa conclusi, et sub manu illius, atque potentia: et qui quamvis viribus corporis ingentibus fuissent praediti; tamen ob defectum disciplinae, et prudentiae Deo minime accepti fuerint. 27. *Non hos elegit Dominus: neque viam disciplinae invenerunt, propterea perierunt.* 28. *Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.* 29. *Quis adscendit in caelum, et accepit eam, et eduxit eam de nubibus?* 30. *Quis transfretavit mare, et invenit illam, et attulit illam super aurum electum?* hoc est, attulit illam, quae est super aurum electum. 31. *Non est, qui possit scire vias eius, neque, qui exquirat semitas eius.* 32. *Sed, qui scit universa, novit eam, et adinvenit eam prudentia sua, qui praeparavit terram in aeterno tempore:* Graece: *in aeternum tempus* εἰς αἰῶνα χρόνον: Aeternum autem non semper sumitur pro eo, quod reapse fine carens est, sed tantum, quod longissime durat: quemadmodum et ipsi montes ab Habacuc cap. 3. v. 6. montes seculi, Hebraice *Montes Holam*, quod vocabulum vulgo etiam pro aeterno sumitur, vocantur. Et qua ratione terra in aeternum stare dicatur, est iam de-

monstratum etiam ad Ecclesiastis cap. 1. v. 4. *Et replevit eam pecudibus, et quadrupedibus:* 33. *qui emittit lumen: et vadit, et vocavit illud, et obedit illi in tempore.* 34. *Stellae autem dederunt lumen in custodiis suis et laetatae sunt.* Custodias stellarum stationes illarum vocat, quas adcuratissime observant in ordine, quem habent sibi praescriptum a Deo motus sui. Hilaritas vero eorum luminis, et alacritas ad illud praebendum, et diffundendum laetitia dicitur. 35. *Vocatae sunt, et dixerunt: adsumus: et luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.*

36. *Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum:* Qui scilicet has stellas vocat, et cui cum iucunditate lucent. 37. *Hic adinvenit omnem viam disciplinae, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo.* 38. *Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Idem Deus, de quo est supra versu 36. *Et non aestimabitur alius adversus eum*, qui omnia novit, qui terram praeparavit, qui pecudibus, et quadrupedibus illam replevit, qui lumen emittit, atque producit solis, atque stellarum, et quod lumen, quique sol, et quae sidera vadunt, qua ille praecipit, cursumque in suis motibus observant, quem ipse illis praescripsit, quem Baruch suum, suique Israelitici populi vocat Deum, et a quo Jacob, et Israel, hoc est idem Israeliticus populus legem accepit; dicitur deinde in terra esse visus, et cum hominibus esse conversatus,

ut illam, quae tum abdita, atque abscondita esset sapientia, hanc eosdem illos, cum quibus conversabatur, per seipsum doceret. Quo profecto illius, qui verus Deus est, luculentissime traditur Incarnatio. Quo modo hunc locum de Filii Dei hac Incarnatione Patres unanimi consensu acceperunt, atque intellexerunt: Tertullianus in libro contra Praxeam cap. 6. S. Cyprianus lib. 2. contra Judaeos, S. Chrysostomus hom. 2. in Matth. S. Athanasius Quaest. 36. ad Antiochenos, S. Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 2. S. Augustinus l. 18. de Civ. Dei cap. 33. S. Cyrillus lib. 10. contra Julian. S. Basilius lib. 4. contra Eunomium, et Eusebius lib. 6. Demonstr. cap. 19. Est ergo hoc idem illud, quod S. Paulus quoque ad Hebraeos cap. 1. v. 1. posuit: „Multifariam, inquit, multisque „modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, „novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, „quem constituit haeredem universorum, per quem „fecit et secula,“ et quod per Joannem quoque praedicatum in Evangelio est, Verbum quod fuit in principio, et quod erat Deus, et per quod facta sunt omnia, et quod erat lux, quae illuminat omnem hominem, esse caro factum, et habitasse in nobis, cuius gloriam viderimus, quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae, et veritatis. Joannis cap. 1. v. 1. ets.

CAPVT IV.

Jerusalem vastata velut mater inducitur per Prophetam filios suos, et filias suas consolans, speque illos erigens fore, ut e captivitate depressis suis hostibus celeriter liberentur.

1. *Hic liber mandatorum Dei, et lex, quae est in aeternum: omnes, qui tenent eam, pervenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem.* Explicat, via illa disciplinae, quam Deus Jacob puero suo, et Israel dilecto suo tradidit, adcuratius, quaenam sit, esseque hanc legem, et librum mandatorum Dei. Eademque haec lex vocatur aeterna, non ratione illius foederis cum Israelitis a Deo initi, quod postea succedente novo foedere abrogatum est, sed quatenus lex scripta, quae Israelitis data est, legem proponebat naturalem, qui ipse Decalogus, quaeque omnino lex aeterna est: et quam Christus non se dixit venisse solvere, sed adimplere. Matth. 5. v. 17. Docet Christus Matthaei 22. v. 40. universam legem, et quidquid Prophetae omnes docuissent, pendere e duobus his praeceptis: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum, sicut teipsum. Quae profecto lex de diligendo Deo super omnia, et de proximo, ut eum diligeremus, sicuti nosipsos propter eamdem nobiscum naturam, et communem nobiscum Dei imaginem, nobis im-

pressam, tamdiu existere, et durare in nobis debet; quamdiu sumus Dei creatura, et ratio nobis durat, quae in creatione indita nobis est, qua Deum agnoscamus, illumque propter se, omnia vero, quae Deus diligit, nos etiam propter illum diligamus. 2. *Convertere Jacob, et apprehende eam, ambula per viam ad splendorem eius contra lumen eius.* 3. *Ne tradas alteri gloriam tuam, et dignitatem tuam genti alienae.* Dictum est ad Judaeos a Christo Matth. 21. v. 43. „Auferetur a vobis regnum „Dei, et dabitur genti facienti fructus eius.“ Huc ergo pertinet haec Prophetae monitio, ut in qua dignitate populi Dei essent positi ab eodem Deo, hanc studerent retinere, ne haec ab iis auferatur, aliisque conferatur.

4. *Beati sumus Israel, quia quae Deo placent, manifesta sunt nobis.* 5. *Animaequior esto populus Dei memorabilis Israel.* Memorabilem Graece *monumentum* (μνημόσυνον) vocat Israelem; ratione scilicet memoriae apud Deum, et ex qua recordatione, cuius Deus oblivisci non possit ad spem ipsum revocat fore, ut brevi ipsis iterum lux a Deo affulgeat. 6. *Venumdati estis gentibus non in perditionem, sed propter quod in ira ad iracundiam provocastis Deum, traditi estis adversariis:* Graece: *Sed propter provocasse vos Deum ad iracundiam, traditi estis adversariis* διὰ τὸ παροργίσαι ὑμᾶς τὸν Θεὸν παρεδόθητε τοῖς ὑπεναντίοις. 7. *Exacerbastis enim eum, qui fecit vos, Deum aeternum, immolantes daemoniis, et non Deo.*

8. *Obliti*

8. *Obliti enim estis Deum, qui nutrivit vos,*
et contristastis nutricem vestram Jerusalem. 9.
Vidit enim iracundiam a Deo venientem vobis,
et dixit: audite confines Sion; adduxit enim mi-
hi Deus luctum magnum. Audite confines Sion
Graece: *cohabitatrices Sionis* πάροικοι Σιών: civi-
tatesque intelliguntur intra terminos eiusdem se-
cum regionis. 10. *Vidi enim captivitatem popu-*
li mei, filiorum meorum, et filiarum, quam su-
perduxit illis Aeternus. 11. *Nutrivi enim illos*
cum iucunditate: dimisi autem illos cum fletu,
et luctu. 12. *Nemo gaudeat super me viduam,*
et desolatam: a multis derelicta sum propter pec-
cata filiorum meorum, quia declinaverunt a lege
Dei. 13. *Iustitias autem ipsius nescierunt, nec*
ambulaverunt per vias mandatorum Dei, neque
per semitas veritatis eius cum iustitia ingressi
sunt. 14. *Veniant confines Sion, et memorentur*
captivitatem filiorum, et filiarum mearum, quam
superduxit illis Aeternus.

15. *Adduxit enim super illos gentem de lon-*
ginquo, gentem improbam, et alterius lingvae.
16. *Qui non sunt reveriti senem, neque puerorum*
miserti sunt, et abduxerunt dilectos viduae, et
a filiis unicam desolaverunt. Eadem quae prius
vidua, deinde vocatur unica, quae scilicet sola es-
set, et absque marito. 17. *Ego autem, quid pos-*
sum adiuvare vos? 18. *Qui enim adduxit super*
vos mala; ipse vos eripiet de manibus inimicorum
vestrorum. 19. *Ambulate filii, ambulate: ego*

enim derelicta sum sola. Ambulate, ambulate hoc est, agite, agite filii mei, et sitis in captivitate. Ut hanc aequo animo ferant, eos hortatur. 20. *Exui me stola pacis, indui autem me sacco obsecrationis, et clamabo ad Altissimum in diebus meis:* hoc est, quamdiu ero, et vivam. 21. *Animaequiores estote filii, clamate ad Dominum, et eripiet vos de manu principum inimicorum.* 22. *Ego enim speravi in aeternum vestram salutem, et venit mihi gaudium a Sancto super misericordia, quae veniet vobis ab Aeterno Salutari nostro.* Ego enim spero in aeternum vestram salutem, et veniet mihi gaudium a Sancto super misericordia, quae veniet vobis ab Aeterno Salutari nostro.

23. *Emisi enim vos cum luctu, et ploratu: reducet autem vos mihi Dominus cum gaudio, et iucunditate in sempiternum.* 24. *Sicut enim viderunt vicinae Sion captivitatem vestram a Deo, sic videbunt et in celeritate salutem vestram a Deo, quae superveniet vobis cum honore magno, et splendore aeterno.* Vicinae Sion civitates intelliguntur vicinarum nationum. Dum vero de filiorum suorum reditu Jerusalem mater loquitur, quod illa hic digitum intendat ad filios, qui per spiritum fidei fierent Israelitae; perspicuum est ex eo, quod cum honore magno, et splendore aeterno dicantur redituri. 25. *Filii patienter sustinete iram, quae supervenit vobis. Persecutus est enim te inimicus tuus, sed cito videbis perditionem ipsius, et super cervices ipsius adscendes.* Ut res in umbra

ad huc haec gerebatur, Babylonii erant hi inimici, quibus exitium allatum est per Persas, et Medos. At, sicut illi filii cum splendore aeterno redeuntes, novae Sionis, et Jerusalem sunt filii; ita hostis quoque eorum intelligitur ille, de quo est etiam apud S. Paulum ad Romanos 16. v. 20. „Deus „autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris „velociter.“ 26. *Delicati mei ambulaverunt vias asperas, ducti sunt enim ut grex direptus ab inimicis.* Filios suos delicatos vocat, quos scilicet, tamquam tenera mater erga eos molliter in sinu suo ferebat, et nutriebat.

27. *Animaequiores estote filii, et proclamate ad Dominum. Erit enim memoria vestra ab eo, qui duxit vos.* Deus recordabitur vestri, qui vos in captivitatem tradidit. 28. *Sicut fuit sensus vester, ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum.* Numerus determinatus decem tanto magis in quantitate auctus, atque perfectus debet intelligi, quoque istius corversionis ad Deum significetur ardentissimum studium; quandoquidem iam etiam septenarius numerus vim istius significationis soleat habere: cuiusmodi exempla iam ad Psalmi 11. v. 7. Psalmi 78. v. 12. alibique observata sunt. 29. *Qui enim induxit vobis mala, ipse rursum adducet vobis sempiternam iucunditatem cum salute vestra.* 30. *Animaequior esto Jerusalem. Exhortatur enim te, qui te nominavit.* Exhortatur te, Graece: *consolatur te* παρακαλέλει σε. Nominari a Deo,

significat ab eo nosci, et diligi, et erga quem bene affectus sit: quemadmodum et Moysi dictum fuit a Deo: „Novi te ex nomine, et invenisti „gratiam coram me.“ Exod. 33. v. 12. 31. *Nocentes peribunt, qui te vexaverunt; et qui gratulati sunt in tua ruina, punientur.* 32. *Civitates, quibus servierunt filii tui, punientur, et quae accepit filios tuos.* Babylon intelligitur, quo abducti sunt eius filii in captivitatem. 33. *Sicut enim gavisa est ruina tua, et laetata est in casu tuo; sic contristabitur in sua desolatione.* 34. *Et amputabitur exultatio multitudinis eius, et gaudimonium eius erit in luctum.* 35. *Ignis enim superveniet ei ab Aeterno.* Deus sic isto nomine intelligitur, ut iam etiam fuit versu 14. et saepius hoc capite *in longiturnis diebus, et habitabitur a daemoniis in multitudine temporis.* Pro daemoniis procul dubio fuit in Hebraeo vocabulum *Ijim*, vel *Seirim* quod daemonia vertit etiam Interpres Latinus Isaiae cap. 34. v. 14. et Jeremiae 50. v. 39. faunos: cum utrobique etiam illic ageretur de Babylonis devastatione, et desolatione tali, ut incolenda esset postea a silvestribus, ferisque animantibus. Feles autem silvestres illo nomine *Ijim*, et *Seirim* significare pilosos, ad illa loca explicatum est.

36. *Circumspice Jerusalem ad Orientem, et vide iucunditatem a Deo tibi venientem.* 37. *Ecce enim veniunt filii tui, quos dimisisti dispersos, veniunt collecti ab Oriente usque ad Occidentem,*

in verbo Sancti gaudentes in honorem Dei. Jucunditas ergo illi a Deo veniens est haec ex multitudine filiorum, quam acceptura est. Venient autem hi collecti, et congregati, qua Orbis tenditur ab Oriente usque ad Occidentem, hoc est, ex toto mundo. Nec esse obscurum potest, quae ista intelligatur filiorum ad Jerusalem undique ex toto mundo congregatio. Gaudentesque in verbo Sancti confluunt, et conveniunt in honorem Dei. Credendo autem in Christum convenerunt: et fides est ex auditu, auditus autem per verbum Christi; Rom. 10. v. 17. Ergo Verbum Sancti, in quo gaudentes conventuri dicuntur, est verbum Christi, et praedicatio Evangelii. Iidemque in honorem Dei conveniunt, utpote a quibus laudandus, et celebrandus, religioseque colendus esset Deus.

CAPUT V.

Jerusalem revocatur ad iucunditatem, et invitatur, ut deposito priore suo lugubri habitu gaudeat, et laetitiam celebret, propter iustitiam, qua exornaturus eam Deus, et ex filiorum multitudine, quam habitura est.

1. *EXUE te Jerusalem stola luctus, et vexationis tuae, et induere decore, et honore eius, quae a Deo tibi est, sempiternae gloriae.* 2. *Circumdabit te Deus diploide iustitiae, et imponet mitram capiti honoris aeterni.* Diplois Graecum

est vocabulum, et significat duplicatum aliquid. Quare duplicata haec iustitiae tunica, qua Jerusalem dicitur induenda a Deo, denotat iustitiae perfectionem, in qua sit Jerusalem constituenda a Deo. 3. *Deus enim ostendet splendorem suum in te, omni, qui sub caelo est.* 4. *Nominabitur enim tibi nomen tuum a Deo in sempiternum: Pax iustitiae, et honor pietatis.* 5. *Exsurge Jerusalem, et sta in excelso, et circumspice ad Orientem, et vide collectos filios tuos ab Oriente sole usque ad Occidentem in verbo Sancti, gaudentes Dei memoria.* Superioris capitis versu ultimo idem hoc etiam positum est exigua aliqua mutatione verborum. 6. *Exierunt enim abs te pedibus ducti ab inimicis: adducet autem illos Dominus ad te portatos in honore, sicut filios regni,* hoc est sicut filios regios, posito nomine substantivo in locum adiectivi. 7. *Constituit enim Dominus humiliare omnem montem excelsum, et rupes perennes, et convalles replere in aequalitatem terrae, ut ambulet Israel diligenter in honorem Dei.* Graece: ἀσφαλῶς; *tuto:* sine offensione alicuius periculi. 8. *Obumbraverunt autem et silvae, et omne lignum svavitatis Israel ex mandato Dei.* Israelem obumbraverunt, iter facientem per illam viam, illorum gratia complanatam, omnes arbores svavitatis: intelliguntur que arbores odore fragrantes: Graece ξύλον εὐωδίας: *lignum svavis odoris.* 9. *Adducet enim Deus Israel cum iucunditate in lumine maiestatis suae cum misericordia, et iustitia, quae*

est ex ipso: quam misericordiam, et iustitiam Deus in Israelem contulit, et hac illum exornavit.

CAPVT VI.

Epistola Jeremiae, quam is Judaeis dedit, dum captivi ducerentur in Babyloniam, quaque illos instruit, ne in captivitate a veri Dei Religione desciscerent ad idololatriam.

*Exemplar Epistolae, quam misit Jeremias ad ab-
ducendos captivos in Babyloniam a rege Babylo-
niorum, ut annunciaret illis, secundum quod prae-
ceptum est illi a Deo.* 1. *Propter peccata, quae
peccastis ante Deum, abducemini in Babyloniam
captivi a Nabuchodonosor rege Babyloniorum.* 2.
*Ingressi itaque in Babylonem, eritis ibi annis
plurimis, et temporibus longis usque ad gene-
rationes septem: post hoc autem educam vos
inde cum pace.* Cum septvaginta annos dura-
verit captivitas, perspicuum est generationis vo-
cabulum esse hic pro decem annorum spatio po-
situm. Graece est γενεὰ: cui vocabulo ne profani
quidem Scriptores eamdem semper significationem
tribuunt, sed iam plures, iam pauciores annos. Latine
aetas proprie diceretur. Quo vocabulo Servius annum
unum, Varro decem intelligit. 3. *Nunc autem videbi-
tis in Babylonia deos aureos, et argenteos, et lapi-
deos, et ligneos in humeris portari, ostentantes*

metum gentibus. 4. Videte ergo, ne et vos simi-
les efficiamini factis alienis, et metuatis, et me-
tus vos capiat in ipsis. 5. Visa itaque turba de
retro, et ab ante adorantes, dicite in cordibus
vestris: Te oportet adorari, Domine. 6. Ange-
lus enim meus vobiscum est: ipse autem exquiram
animas vestras. 7. Nam lingva ipsorum polita a
fabro, ipsa etiam inaurata, et inargentata, fal-
sa sunt, et non possunt loqui. 8. Et sicut virgini
amanti ornamenta, ita accepto auro fabricati sunt.
9. Coronas certe aureas habent super capita sua
dii illorum: unde subtrahunt sacerdotes ab eis
aurum, et argentum, et erogant illud in semetipsos.

10. Dant autem et ex ipso prostitutis, et me-
retrices ornant: et iterum, cum receperint illud
a meretricibus, ornant deos suos. 11. Hi autem
non liberantur ab aerugine, et tinea. 12. Opertis
autem illis veste purpurea, extergunt faciem ipso-
rum propter pulverem domus, qui est plurimus
inter eos. 13. Sceptrum autem habet, ut homo;
sicut iudex regionis, qui in se peccantem non in-
terficit. 14. Habet etiam in manu gladium, et
securim: se autem de bello, et a latronibus non
liberat. Unde vobis notum sit, quia non sunt dii.
15. Non ergo timueritis eos. Sicut enim vas ho-
minis confractum inutile efficitur, tales sunt et
dii illorum. 16. Constitutis illis in domo, oculi
eorum pleni sunt pulvere a pedibus introeuntium.
17. Et sicut alicui, qui regem offendit, circum-
septae sunt ianuae, aut sicut ad sepulchrum ad-

ductum mortuum, ita tutantur sacerdotes ostia clausuris, et seris, ne a latronibus exspolientur. 18. *Lucernas accendunt illis, et quidem multas, ex quibus nullam videre possunt. Sunt autem sicut trabes in domo.* 19. *Corda vero eorum dicunt elingere serpentes, qui de terra sunt, dum comedunt eos, et vestimentum ipsorum, et non sentiunt.* In Graeco non est speciale nomen serpentis positum, sed generaliter dicitur elingi eorum corda ab iis, quae super terram serpunt (τῶν ἀπὸ τῆς γῆς ἑρπετῶν) Itaque vermes, atque tineae intelliguntur exedentes cor idolorum. Cor autem pro interiore eorum parte est positum, quaeque soleret ex ligno esse superducto affabre auro, argento, vel alio metallo, et quod corroderetur a vermibus. Usus autem est verbo: *dicunt*, ut illorum ipsorum, qui illa idola colerent, testimonio ostenderet, quale cor esset illis diis.

20. *Nigrae fiunt facies eorum a fumo, qui in domo fit.* 21. *Supra corpus eorum, et supra caput eorum volant noctuae, et hirundines, et aves etiam, similiter et cattae.* Graece: οἱ αἴλουροι: feles. 22. *Unde sciatis, quia non sunt dii. Ne ergo timueritis eos.* 23. *Aurum etiam, quod habent, ad speciem est. Nisi aliquis exterserit aeruginem, non fulgebunt: neque enim, dum conflarentur, sentiebant.* 24. *Ex omni pretio empta sunt, in quibus spiritus non est ipsis.* Hoc est, constant illa, et sunt confecta ex varia re pretiosa, quae ad illa fabricanda empta est, et in quibus o-

mnibus rebus non est spiritus vitae. 25. *Sine pedibus in humeris portantur, ostentantes ignobilitatem suam hominibus:* vilitatem suam, utpote, quae ne ambulare quidem sciant. *Confundantur etiam, qui colunt ea.* 26. *Propterea, si ceciderint in terram, a semetipsis non consurgunt: neque si quis eum statuerit rectum, per semetipsum stabit, sed sicut mortuis munera eorum illis apponentur.* Hoc est, munera, quae his diis apponuntur, perinde fit, atque si haec mortuis apponerentur, quae cum vita, et sensu careant, comedere sibi cibos appositos non possint. 27. *Hostias illorum vendunt sacerdotes ipsorum, et abutuntur: similiter et mulieres eorum decerpentes, neque infirmo, neque mendicanti aliquid impertiunt.* 28. *De sacrificiis eorum foetae, et menstruatae contingunt. Scientes itaque ex his, quia non sunt dii, ne timeatis eos.* 29. *Unde enim vocantur dii? quia mulieres apponunt diis argenteis, et aureis, et ligneis:* munera, et escas quia illis apponerent: 30. *et in domibus eorum sacerdotes sedent habentes tunicas scissas, et capita, et barbam rasam, quorum capita nuda sunt.* Hoc est, quod hi in luctu illos invocent, et ideo illos haberi pro diis. 31. *Rugiunt autem clamantes contra deos suos, sicut in caena mortui.* Caena intelligitur funebris, et in qua defunctum sui adhuc deplorarent, lamentaque ederent.

32. *Vestimenta eorum auferunt sacerdotes, et vestiunt uxores suas, et filios suos.* 33. *Neque si*

aliquid mali patiuntur ab aliquo, neque si quid boni, poterunt retribuere: neque regem constituere possunt, neque auferre. 34. *Similiter neque dare divitias possunt, neque malum retribuere. Si quis illis votum voverit, et non reddiderit, neque hoc requirunt.* 35. *Hominem a morte non liberant, neque infirmum a potentiori eripiunt.* 36. *Hominem caecum ad visum non restituunt, de necessitate hominem non liberabunt.* 37. *Viduae non miserebuntur, neque orphanis benefacient.* 38. *Lapidibus de monte similes sunt dii illorum, lignei, et lapidei, et aurei, et argentei. Qui autem colunt ea, confundentur.* 39. *Quomodo ergo aestimandum est, aut dicendum, illos esse deos?* 40. *Adhuc enim ipsis Chaldaeis non honorantibus ea, qui cum audierint mutum non posse loqui, offerunt illud ad Bel, postulantes ab eo loqui.* Adhuc ipsis etiam Chaldaeis non honorantibus illa, quomodo aestimandum est, aut dicendum, esse illos deos? sic cum anteriore versu est hoc nexum etiam in Graeco. Nec illa causalis: *enim* existit etiam in eodem Graeco. Qui Chaldaei, dum observant, mutum aliquem esse, et non posse loqui, puta e suis prolibus, et domesticis, offerunt illum, et deferunt ad Bel, et ab eo petunt, ut loquelam muto tribuat. Haecque intelligitur causa, cur hi ipsi ex Chaldaeis, qui mutum tulerunt ad idolum, hoc deinde desinant in honore habere, a quo frustra auxilium aliquod exspectaverint. 41. *Quasi possint sentire, qui non habent motum, et ipsi cum intellexerint, relinquent*

ea. Sensum enim non habent ipsi dii illorum. Nectitur vero hoc rursus cum antecedente versu, cur illi ipsi Chaldaei idola postea sua relinquerent, dum opem, quam ab illis flagitarunt, nullam experirentur, eaque apud illos vilescerent.

42. *Mulieres autem circumdatae funibus in viis sedent, succendentes ossa olivarum.* Ossa olivarum, Graece τὰ πίτυρα dicuntur. Sunt autem nuclei oblivarum contriti. Hos nucleos feminae, libidine ardentes, praecinctaeque zonis, atque in viis sedentes urebant eousque, donec vir aliquis ad eam accederet, zonaque eam ad se traheret, et cum ea concumberet, postquam etiam ei detraxisset. Similem ritum lasciviae etiam Theocritus describit in Pharmaceutria, docetque a Babyloniis esse translatum ad Graecos. 43. *Cum autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cum eo; proximae suae exprobrat, quod ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis eius diruptus sit.* 44. *Omnia autem, quae illis fiunt, falsa sunt.* Graece: quae *in illis* ἐν ἀυτοῖς fiunt, falsa sunt. Alluditur autem eo, quod mulieres illae, et meretrices, quae nactae essent viros ad suum commercium, hoc cum suis diis adscriberent, quod a transeuntibus despectae non essent, esse hoc ipsum etiam falsum, quod vel ad ipsam illam obscenam actionem adiutae a suis diis sint. *Quomodo aestimandum, aut dicendum est, illos esse deos?*

45. *A fabris autem, et ab aurificibus facta sunt. Nihil aliud erunt, nisi id, quod volunt esse*

sacerdotes: Graece: quod volunt esse *fabricatores* τεχνεῖται. 46. *Artifices etiam ipsi, qui ea faciunt, non sunt multi temporis. Numquid ergo possunt ea, quae fabricata sunt ab ipsis, esse dii?* 47. *Reliquerunt autem falsa, et opprobrium postea futuris.* Concretum nomen: *falsa* pro abstracto *falsitas* est positum. Idolumque huius falsitatis, et opprobrii nomine, intelligitur, quod a se fabricatum aliis reliquerint. 48. *Nam cum supervenerit illis praelium, et mala, cogitant sacerdotes apud se, ubi se abscondant cum illis.* 49. *Quomodo ergo sentiri debeant, quoniam dii sunt, qui nec de bello se liberant, neque de malis se eripiunt?* 50. *Nam, cum sint lignea, inaurata, et inargentata, scietur postea, quia falsa sunt, ab universis gentibus, et regibus: quae manifesta sunt, quia non sunt dii, sed opera manuum hominum, et nullum Dei opus cum illis.* 51. *Unde ergo notum est, quia non sunt dii, sed opera manuum hominum, et nullum Dei opus in ipsis est.*

52. *Regem regioni non suscitant, neque pluviam hominibus dabunt.* 53. *Judicium quoque non discernent, neque regiones liberabunt ab iniuria, quia nihil possunt, sicut corniculae inter medium caeli, et terrae.* 54. *Etenim, cum inciderit ignis in domum deorum ligneorum, argenteorum, et aureorum; sacerdotes quidem ipsorum fugient, et liberabuntur: ipsi vero sicut trabes, in medio comburentur.* 55. *Regi autem, et bello non resistent. Quomodo ergo aestimandum est, aut reci-*

piendum, quia dii sunt? 56. *Non a furibus, neque a latronibus se liberabunt dii lignei, et lapidei, et inaurati, et inargentati: quibus hi, qui fortiores sunt,* 57. *aurum, et argentum, et vestimentum, quo operti sunt, auferent illis, et abibunt, nec sibi auxilium ferent.* 58. *Itaque melius est, esse regem, ostentantem virtutem suam; aut vas in domo utile, in quo gloriabitur, qui possidet illud; vel ostium in domo, quod custodit, quae in ipsa sunt, quam falsi dii.*

59. *Sol quidem, et luna, ac sidera, cum sint splendida, et emissa ad utilitates, obaudiunt:* obediunt, Deo autem Creatori suo in motibus suis: Vult dicere istorum, tametsi inanimata sint, tamen esse aliquam actionem. 60. *Similiter et fulgur, cum apparuerit, perspicuum est:* incidit in oculos: *idipsum autem, et spiritus in omni regione spirat:* hoc est, similiter ventorum flatus, et spirationes sentiri. 61. *Et nubes, quibus cum imperatum fuerit a Deo, perambulare universum orbem, perficiunt, quod imperatum est eis.* 62. *Ignis etiam missus desuper, ut consumat montes, et silvas, facit, quod praeceptum est ei. Haec autem neque speciebus, neque virtutibus uni eorum similia sunt.* 63. *Unde nec existimandum est, neque dicendum, illos esse deos, quando non possunt neque iudicium iudicare, neque quidquam facere hominibus.*

64. *Scientes itaque, quia non sunt dii, ne ergo timueritis eos.* 65. *Neque enim regibus maledicent, neque benedicent.* 66. *Signa etiam in caelo*

gentibus non ostendent, neque ut sol lucebunt, neque illuminabunt, ut luna. Signa intelliguntur, quae sidera praebent in caelo, et de cuiusmodi signis est Genesis 1. v. 14. „Fiant luminaria in firmamen„to caeli, et dividant diem, ac noctem, et sint „in signa, et tempora, et dies, et annos:" qualemque signorum usum nullum praestare possint idola. 67. *Bestiae meliores sunt illis, quae possunt fugere sub tectum, ac prodesse sibi.* 68. *Nullo itaque modo nobis est manifestum, quia sunt dii: propter quod ne timeatis eos.* 69. *Nam, sicut in cucumerario formido nihil custodit; ita sunt dii illorum lignei, et argentei, et inaurati.* Formido Graece: προβασκάνιον, *terriculamentum.* Quae scilicet in hortis hominum figurae ad terrendas aves constitui solent, et a quibus aves timent, etsi hae illis statuae nihil facturae sint.

70. *Eodem modo et in horto spina alba, supra quam omnis avis sedet.* Huic nimirum spinae albae, genus autem hoc est arboris, itidem similia sunt idola, peraeque vita, et sensu carentia. *Similiter et mortuo, proiecto in tenebris, similes sunt dii illorum lignei, et inaurati, et inargentati.* 71. *A purpura quoque, et murice, quae supra illos tineant* est verbum hoc formatum a nomine tinea: *scietis itaque, quia non sunt dii.* Murex est genus conchae, unde educitur color purpureus. Quod ergo vestes purpureae, quibus idola vestiuntur, a tineis corrodantur, et neque adversus has se se illi dii tueri possint, iterum ostenditur eorum fal-

sitas, et inanitas. *Ipsi etiam postremo comeduntur, et erunt opprobrium in regione.* Non tantum vestes illis pereunt, et corroduntur, sed ipsi etiam dii extremum consumuntur, videlicet putredine, carie, vel aerugine prout est materia, unde constant, et fiunt opprobrium, hoc est, veniunt in despectum, quando formam etiam suam perdunt. 72. *Melior est homo iustus, qui non habet simulacra: nam erit longe ab opprobriis.* „Gloria, et divitiae in „domo eius, et iustitia eius manet in seculum secu„li.“ Psal. 111. v. 3.



EZECHIEL.

Praefatio.

Propheta iste e genere etiam sacerdotali, ut Jeremias, fuit, qui quinto anno post Jechoniam ductum in captivitatem in Babyloniam, in eadem Babylonia apud Judaeos, qui captivi cum Jechonia eo ducti sunt, munus propheticum exercuit. Ex quo probabilis coniectura est, ipsum quoque Ezechielem unum fuisse ex his captivis. Quare, ut Jeremias in Judaea, ita Ezechiel in Babylonia Judaeis illa vaticinabatur, quae sub Sedecia evenerunt postea per Nabuchodonosorem urbi, atque templo Jerosolymitano. Nam huc quoque spectasse Ezechielis prophetiam potissima sui parte, ex Interpretatione deinde planum fiet. Sed et in aliis characteribus multum convenit, quoad argumenti tractationem, cum Jeremia. Nam et de aliarum nationum vastatione, deinde de liberatione Judaeorum ex captivitate, de Messiae regno, gentium-

que conversione, et Jerusalem, eiusque templi instauratione vaticinia fundit. Sed subtilior est Ezechiel, et prima statim eius visio eiusmodi est, ut vix ulla alia hac sit sublimior, et obscurior. *In cuius interpretatione*, ait S. Hieronymus in suo Commentario ad Caput 1. huius libri, *omnes synagogae Judaeorum mutae sunt, ultra hominem esse dicentium, et de hac, et de aedificatione templi, quod in ultimo Prophetiae huius scribitur, aliquid velle conari. Nos autem, quae a maioribus accepimus, et iuxta modulum ingenioli nostri spiritualibus spiritualia comparantes, suspicari magis possumus, quam explanare: benevolis credemus, fidisque lectoribus, veniam deprecantes, ut temeritati, imo fidei, nescienti mensuram suam, faveant magis, quam irascantur.* Qui idem de Judaeis tradit, fuisse apud ipsos sicut Geneseos principium, et Canticum Salomonis, ita etiam Ezechielis primum, et illa extrema capita, quae de aedificatione templi sunt, vetita iis legere, qui triginta annos nati nondum essent. Ego, quod hactenus tenui Interpretationis institutum, hic quoque tenebo, et prosequar, spem meam, et fiduciam iactans in illum, cuius munere totum etiam illud consecutus sum, quod adhuc praestiti: si iste meus tamen labor est talis, ut ad faciliorem intelligentiam aliquid conferat. Haerebo iterum hic in Ezechiele, ceterisque Prophetis cum in aliorum Patrum, tum praesertim in S. Hieronymi vestigiis, ut hoc feci in Jsaia toto, et in Jeremia ad caput

secundum, et trigesimum. Nam ibi ille suum Commentarium abrupit, et tam reliqua capita Jeremiae, quam Threnos, et Baruchum totum in medio reliquit. Erat Jeremias extremus ipsius labor in Prophetas, idcirco casus aliquis intervenire debuit, qui studium hoc illius praeciderit. Neque enim ille ordinem scribendi in Prophetas semper tenuit, sed subinde eos, qui ordine posteriores sunt, adgressus est citius.

S Y N O P S I S.

Cap. 1. Ezechiel videt iuxta fluvium Chobar in Babylonia anno quinto, postquam prima Judaeorum captivitas Babylonica sub Jechonia accidisset, quatuor animalia, quatuor faciebus instructa, totidemque alis, et manibus, pedibus insistentia bovis, itemque tot numero rotas posita iuxta animalia: supra animalia autem insistens firmamentum, et in eo sedentem super throno in forma humana. *Cap.* 2. Ab hoc, qui sedebat in throno, mittitur ad populares suos, monendi illos causa, si forte resipiscerent a suis maleficiis, et librum accipit intus, et foris refertum meris lamentis, et vae, huncque comedere iubetur. *Cap.* 3. Quem cum comedisset, is in ore illius versus est in mel. Dei Spiritus illum agit ad eundum ad captivos Judaeos. Inter quos septem dies cum sedisset; Deus illum docet, nisi impium moneat, ut resipiscat, futurum, ut Deus poenas, cur ille perierit, ab eo reposcat. Clausus

deinde, et vinctus tenere se debet domi suae, insuper loquelam illi Deus aufert, et cum hanc ei rursus restituerit, praecipit, ut quidquid sibi habuerit demandatum, fideliter perferat ad Judaeos. *Cap.* 4. Iussu Dei in luteo latere urbem Jerusalem depingit, et adversus hanc interposita inter se, et illam sartagine, oppugnationem instituit. Jacet deinde in latere sinistio continenter, quin se in latus aliud vertat, dies trecentos nonaginta, item similiter in alio latere per dies quadraginta cubat, solo obsidionali pane, et mensurata aqua interea ad vitam sibi concessa ad portendendam Judaeorum Jerosolymae, dum obsidione premerentur, instantem calamitatem. *Cap.* 5. Hanc cubationem postquam absolvisset, mandante Deo pilos capitis et barbae radit, eorumque tertiam partem comburit, tertiam aliam gladio consecat, ac demum reliquam in auras dispergit: rursus vero ex his, qui erant dissipati capilli, paucos colligit, eosque ad extremitatem pallii sui intro ligat, iterum vero ex his etiam partem aliquam accipit, et in ignem proiicit. *Cap.* 6. Tum vero iubet illum Deus faciem Judaeam versus convertere, eiusque montibus devastationem imminentem denunciare. *Cap.* 7. Describitur acerbitas mali, et desperatio omnis auxilii, quae comprehensura sit universam Judaeam, hancque ita Propheta denunciat, ut non differenda sit in longius tempus, sed affutura proxime. *Cap.* 8. Per visionem a Dei Spiritu Ezechiel defertur ex Babylonia Jerosolymam, atque ibi ei in templo Deus

exhibet idololatricas abominationes, quas in eo exercebant Judaei. *Cap.* 9. Sex angelos deinde videt mitti a Deo, qui Judaeos omnes idololatras percutiant, et interficiant, solosque illos intactos relinquant, qui litera Thau essent signati in fronte: ad quam signationem faciendam, antequam caedes ea patraretur, alter missus fuit angelus. *Cap.* 10. Videt deinde Dei gloriam in templo in eadem illa figura cum quatuor Cherubinis, et totidem rotis, ut eam iam antea viderat in campo ad fluvium Chobar. Dei iussu sedentis in firmamento, quod insistebat capitibus Cherubinorum, idem ille angelus, qui signationem prius literae Thau perfecerat, accipit ignem de medio Cherubinorum, ut hunc effundat super Jerusalem. Dei gloria super limen primum se elevat, et cum templum implevisset nebula, fulgorem suae gloriae foras spargit extra templum: deinde vero e templo ipso exit, et se rursum collocat ad introitum portae orientalis in eodem templo. *Cap.* 11. Ibi Ezechieli Deus exhibet viginti quinque viros Judaeos, qui quererentur Jerusalem esse instar lebetis, se vero veluti carnes, quae in eo coquerentur: istisque eum respondere iubet, esse quidem Jerusalem lebetem, sed quem ipsi carnibus eorum, quos inique occiderunt, replevissent; illos vero non in hoc lebete urbis, sed extra Judaeae fines esse perimendos. Cumque Judaei, qui erant Jerosolymae, eos, qui cum Jechonia abducti erant in captivitatem, in despectu haberent, quasi iam ad eos non pertineret haereditas Israel,

declarat Deus, illos se se collecturum, ex illisque populi sui restaurationem facturum, cordisque lapidei loco carneum daturum, ut eum timeant, et mandata eius faciant. *Cap.* 12. Coram Judaeis deinde in Babylonia repraesentat, quid Sedecias, ceterique Jerosolymae Judaei facturi sint, dum de servanda urbe in desperationem acti, fuga se, ne a Chaldaeis comprehendantur, subducere conabuntur. adversusque Judaeorum dicteria propheticas visiones non esse metuendas, quod semper earum effectus differretur, ostendit hoc de Sedecia, Judaeis eventurum proxime. *Cap.* 13. Redarguit pseudoprophetas, quod vanis, fallacibusque praedictionibus populum dementarent, et securitatis inani fiducia insolentiorem ad mala perpetranda facerent: omneque hoc ipsorum opus aedificationi luteae comparat, quam superveniens imber, et procella celeriter destructura sit. *Cap.* 14. Ad Ezechielem, cum seniores Israel venissent, quique in animo suo destinatum haberent colere falsos deos, docet Deus Prophetam, hos a propheta, quem consulerent, nonnisi talia responsa esse accepturos, quibus decipiantur. Declarat deinde eidem terram aliam peccantem, se ita puniturum esse, etiamsi Noe, Daniel, et Job in ea existerent, ut hos solos servet, ceteros omnes perdat, non vero Jerosolymam, in quam etiamsi omnes suas plagas immiserit, tamen futuri sint, qui ab exitio una cum liberis conserventur. *Cap.* 15. Jerusalem, et eius incolae assimilantur ligno vitis, quod, quemadmo-

dum hoc omne solet comburi, ita illa quoque tota ad solitudinem sit redigenda. *Cap.* 16. Docet Deus magnitudinem suae benignitatis erga Jerusalem, quam, tametsi nihilo melior esset Cethaeis, et Amorrhaeis per conditionem suae nativitatis; tamen in sponsam suam assumpserit, et quae nihilominus relicto Deo se se cum idolis turpissime prostituerit. Hanc ergo se dicit etiam esse tractaturum, ut adulteram, sed quam revocaturus tamen rursus sit, novumque foedus cum ea facturus. *Cap.* 17. Per aenigma de duabus aquilis, quarum altera, cum vineam plantaverit, quae cum propagines suas vertissset et extendisset ad aquilam alteram, et cui vineae nec haec altera prodesse potuerit, altera vero eam funditus eradicaverit; demonstratur, Sedeciam se, suumque regnum perditurum, postquam constitutus a Nabuchodonosore fuisset rex, et regis Aegypti fiducia se se ab eius fide subduxisset. Ex cedri deinde, quae confracta est, medulla, et ex extremitatibus eius frondium dicit Deus, novam se se arborem ingentem in monte esse plantaturum, sub cuius ramis volucres omnes habitent, et nidificent. *Cap.* 18. Negat Deus hoc, quod Judaei vulgo dicerent, patres eorum comedisse uvam acerbam, inde vero filiorum dentes obstupescere, futurum illis deinceps in proverbium, sed unumquemque pro suo peccato esse poenas daturum. Docetque impium vita esse donandum, si poenitentiam de suis peccatis agat; e contrario autem periturum esse iustum, si deserta iustitia impie egerit. *Cap.*

19. Joachazi regis Juda in Aegyptum, et Jechoniae in Babyloniam per captivitatem abductio proponitur sub forma parabolae de duobus leonibus saevis, et propter suam saevitiem captis. Item Jerosolymae sub figura vineae, quam ignis devastaverit, interitus, et exitium praedicitur. *Cap.* 20. Venerant quidam de senioribus Israel ad Ezechielem, ut in quodam suo negotio per eum consulerent Deum. At Deus demonstrat, se se illis responsum non esse daturum, sed iubet eum exponere illis, qua ratione se semper inde ab eo tempore, quo educti sunt ex Aegypto, gesserint erga Deum: insuperque ipsis declarare, quod, etiamsi ipsi obstinate noluerint eum colere; tamen sibi non defuturum populum Israel, a quo colatur. *Cap.* 21. Vertere deinde faciem iubet Deus Ezechielem Jerosolymam versus, eique denunciare exitium, quod ei Nabuchodonosor allaturus sit: docet, quid is facturus in itinere sit, et qua ratione omen cum ceperit, omnium primo iturus adversus Jerosolymam sit: et a quo vastandi deinde sint etiam Ammonitae, ideo quod Jerosolymae probrose in eius calamitate insultaverint, atque extremum etiam ipsos Chaldaeos Dei iudicium esse subituros. *Cap.* 22. Exponuntur foedissima urbis Jerusalem flagitia, omniumque ordinum in ea profligata vita a principibus et sacerdotibus usque ad populum, quin aliquis saltem reperiri posset, qui se Deo adversus eius iram opponeret. *Cap.* 23. Sub nomine duarum sororum Oollae, et Oolibae, quarum altera Sama-

riam, altera Jerusalem designaret, exhibetur perpetua consvetudo istarum duarum civitatum subducendi se a Religione erga Deum, et scortandi cum idolis. Quare adulterarum etiam poena ambae plectendae dicuntur. *Cap.* 24. Qua die Nabuchodonosor urbi Jerusalem admovit exercitum, Ezechiel in Babylonia coram captivis Judaeis iussu Dei ollam cum carnibus igni admovet, et coquit, ossaque, postquam separata essent coquendo a carnibus, in igne torret, et comburit: praeterea, cum ei repente uxor fuisset mortua, nullum illius causa luctum instituit, istisque rebus id portendit, quod eventurum Jerosolymae per Chaldaeos erat. *Cap.* 25. Vertit se nunc Propheta ad alias nationes, illisque pariter hostilem devastationem denunciat, omniumque primo istud erga Ammonitas, Moabitas, Idumaeos, et Palaestinos facit, iisque vitio dat, quod in Jerusalem, et Judaeorum calamitate, quam experti sunt ab Chaldaeis, exultaverint, afflictisque afflictionem addiderint. *Cap.* 26. Idem supplicium in Tyrios quoque confertur. *Cap.* 27. Tyri, Tyriorumque opulentia, atque gloria, qua prius floruerint, describitur, deindeque magnitudo calamitatis, ad quam venturi sint, proponitur. *Cap.* 28. Obiicitur Tyriorum regi, quod ex superbia, et fastu sic se extulerit, ut imaginatus sit Deum se esse, et qui hac sua insania populo suo accersiverit exitium. In Sidonios quoque eadem poena constituitur. Israelitis autem res iterum secundae, et tranquilla in suo regno habitatio promittitur. *Cap.* 29. Tum vero ad-

versus Pharaonem, et Aegyptios se movet, similesque devastationis poenas illis intentat, quod vana auxilii spe fulserint Jerosolymam, et Judaeos. *Cap.* 30. Dicunturque vastandae omnes Aegypti civitates. *Cap.* 31. Pharaonis casus, eiusque populi clades, cui ipse causam praebuerit, cum altissima cedro, in cuius ramis multitudo avium nidos, et sub cuius umbra silvestres bestiae omnes cubilia sua habuerint, comparatur, quaeque ruina sua omnes illas animantes oppresserit. *Cap.* 32. Monet Deus Prophetam, ut funebrem planctum imitetur in deplorando Pharaone: cui tamen pro solatio illud offertur, ac proponitur, quod in inferno potentissimos reges, cuiusmodi ipse fuit, reperturus sit plures, qui ante eum similiter, atque ipse perierint. *Cap.* 33. Iubet Deus Prophetam nunciare populo, qui diffidebat de venia suorum criminum, quorum conscientia premebatur, paratum se esse ad illam concedendam, dummodo ipsi agerent poenitentiam. Post vastatam Jerosolymam per Chaldaeos, cum illi Judaei, qui colendae terrae causa relicti ab Chaldaeis essent, iactassent, populi Israelitici, qui calamitate belli, et per captivitatem avulsus, et consumptus esset, futuram per se instaurationem, negat hoc Deus futurum, sed illos ob sua flagitia esse perituros. *Cap.* 34. De pastoribus Israel, quod se tantum pavissent, et non gregem, spondet Deus, se se illos a munere amoturum, et gregi suo servum suum David Pastorem unum, ac Principem esse daturum, sub quo Pastore grex

omni rerum prosperitate affluat, et Deum colat. *Cap.* 35. In montem Seir, et Idumaeae devastationis, et perpetuae desolationis poenae pronunciantur a Deo, quod Judaeos in eorum calamitate, quam passi sunt ab Chaldaeis, persecuti sint, illorumque regionem pro se occupare voluerint. *Cap.* 36. At vero erga montes terrae Israel laeta rursus omnia promittuntur, in quibusque Deus Israelitas, undique revocatos ex captivitate, collocaturus sit, effundendo super eos aquam mundam, qua mundentur ab omnibus suis iniquitatibus, idque unice propter se, et nominis sui causa. *Cap.* 37. Hancque Israelitici populi instaurationem Deus per visionem Prophetae exhibet sub imagine ossium aridorum, repente ad vocem Dei ad vitam, et ad statum animati corporis revocatorum. Iterum vero ad unitatem novi regni Israelitici, quod ex Judaeis, atque gentilibus coalesceret, duo ligna in manu Prophetae vi Divina concrescunt subito in lignum unum. *Cap.* 38. In Israelitas, postquam e captivitate reversi, in pristinis suis sedibus collocati fuissent, paxque inter eos refloruisset; Gog ex terra Magog cum ingenti exercitu vim, atque impetum facit, Sed de quo Deus deinde supplicium sumpturus est. *Cap.* 39. Gogo cum omni suo exercitu in montibus Israel caeso, atque deleto convocantur omnes bestiae, et aves ad devorandas carnes. Docet Deus Israelitas se se in captivitatem tradidisse propter eorum iniquitates, ex sua autem misericordia, suique nominis causa tantum iterum illos revocavisse, et a

quibus iam faciem suam numquam aversurus sit. *Cap*. 40. 41. 42. Ezechieli per visionem exhibetur novi templi post reditum ex captivitate constructio. *Cap*. 43. Ad portam templi Orientalem in ea forma, in qua antea ad fluvium Chobar Ezechieli apparuerat, se se ei Deus rursus conspicuum facit. Describitur forma altaris, et ritus consecrandi illud. *Cap*. 44. Porta Orientalis, qua Deus Israel superiore capite intravit, declaratur futura semper clausa, et per quam solus Princeps ultro, citroque commeet, et coram Deo in ea sedeat. Declaratur futurum, ut sacerdotes pristini ideo, quod polluti essent idololatria a sacerdotii sui munere amoveantur, in eorumque locum de filiis Sadoc alii sacerdotes substituantur. *Cap*. 45. Decernitur, ut cum Israelitica regio Israelitis iterum sorte divisa fuerit, sacerdotibus quoque fundi ad habitandum, itemque principi possessiones tribuerentur. Declaratur, quae tum futura sit religiosi cultus erga Deum in exhibendis sacrificiis, iustitiaeque observantia. *Cap*. 46. Dantur praecepta de atrii interioris foribus, quando aperiri, vel claudi debeant, itemque de sacrificiis, quae statis temporibus offerre debeat Princeps. *Cap*. 47. Ex templo erumpentes, et effluentes aquae vitam animantibus, quas attingunt, tribuunt, in mareque delapsae aquas salsas efficiunt salubres, et piscium summam foecunditatem illis afferunt. Definiuntur termini Israeliticae regionis, posteaquam ad eam Israelitae e captivitate redierint, rursusque eam possidere coeperint. *Cap*. 48. Singulis tribu-

bus, deinde sacerdotum, et Levitarum habitationi, ipsique templo, ac toti novae civitati etiam termini constituuntur, novaeque civitatis, cuius hoc nomen sit futurum: *Dominus ibi*, amplitudo demonstratur.

CAPVT I.

In Babylonia iuxta fluvium Chobar visio Ezechieli offertur quatuor animalium, et totidem rotarum, Deique figura his animalibus atque rotis vecti in forma hominis.

1. *ET factum est in trigesimo anno, in quarto in quinta mensis, cum essem in medio captivorum iuxta fluvium Chobar, aperti sunt caeli, et vidi visiones Dei.* Voculam copulativam: *Et*, cuiusque loco Hebraei literam *Vav* adhibent, non semper iuxta indolem Hebraicae consvetudinis loquendi, istius copulationis causa usurpari, sed adhiberi ad inchoandam etiam orationem, et ad libri Baruch initium, et ad Josue capitis 1. versum 1. declaratum est. Quisnam autem iste annus tricesimus est, et unde initium huius sumitur? ,, Tricesimus ,, annus, ait S. Hieronymus, non ut plerique aesti- ,, mant, aetatis Prophetae dicitur, nec iubilaei, ,, qui est annus remissionis, sed a duodecimo an- ,, no Josiae regis Juda, quando inventus est liber ,, Deuteronomii in templo Dei usque ad quintum

„captivitatis annum Joachin, cognomento Jechoniae, qui cum matre ductus est in Babylonem, „et cum Daniele, tribusque pueris, et Ezechiel, „quae est tribus Juda prima captivitas, quando „stillavit ira Dei super Jerusalem.“ Non fuit annus duodecimus, sed decimus octavus Josiae regis, quando repertum fuit Deuteronomium. 4. Reg. 22. v. 3. 2. Paral. 34. v. 8. Librariorum ergo iste in S. Hieronymo esse debet error, qui annum duodecimum Josiae pro decimo octavo posuerint, nisi numerum alterum pro altero Pater ipse casu aliquo posuisset. Ab illo autem decimo octavo anno Josiae omnino prodeunt anni triginta ad annum quintum Jechoniae, postquam is captivus ductus est in Babyloniam. Ab eo tempore enim Josias annos adhuc regnavit tredecim, qui trigesimo primo regni anno obiit. Intercesserunt deinde inter Josiam defunctum, et Jechoniam regem Joachaz, et Joakim reges duo, quorum prior tres menses, alter annos regnavit undecim. Jechonias itidem tantum tribus mensibus mansit in dignitate. His vero si addantur quinque anni, qui interea etiam fluxerunt iam post captivitatem, consurgunt anni triginta. Sed non perspicitur ratio, cur Propheta ab eo tempore, quo repertum est Deuteronomium, recte voluerit istorum annorum epocham ducere, et cum nusquam alias inde anni computentur, ne dicere quidem se inde annos numerare, quod perspici vix, aut difficillime posset.

Epochae huius rationem aliam proponit Hieronymus a Prado, et post eum Cornelius a Lapide: esse videlicet hunc tricesimum annum, qui ab Ezechiele memoratur, quo hanc visionem, quam modo describit, habuerit, aerae Babylonicae, cuius initium sit in anno primo Nabopolassaris, qui pater fuit Nabuchodonosoris. Et prodeunt anni. Nam Nabopolassar, teste Josepho l. 1. c. Appion. annos regnavit novemdecim. Cui, quia in regno Nabuchodonosor filius successit anno quarto Joakim, Jeremiae 25. v. 1. cuius Joakimi regia dignitas duravit annos undecim 4. Reg. 23. v. 36. Septem anni Nabuchodonosoris, qui respondent septem ultimis annis Joakimi, et inde quinque ad Jechoniae quintum captivitatis annum, additi annis novemdecim Nabopolassaris, efficiunt numerum illum annorum triginta. Planeque verisimile est, Ezechielem voluisse uti in scribendo Babyloniorum annis, inter quos tum vivebat, quemadmodum hoc etiam fecit Esdras, et Daniel. Qui, cum in Babylonia etiam fuissent sub imperio regum Babyloniae primum, deinde Persarum, istorum etiam annis utuntur ad designanda tempora, de quibus scribunt: cuiusmodi exempla apud eos sunt 1. Esd. 1. v. 1. cap. 4. v. 24. etc. Dan. 2. v. 1. cap. 7. v. 1. etc. „Quodque scriptum est: *In quarto,* pendente sen„tentia, ait S. Hieronymus, subauditur mense. Sta„tim enim sequitur: *In quinta mensis.*" Fluvius *Chobar* memoratur etiam a Ptolomaeo, et Strabone, ex Mesopotamiaque in Euphratem fluere

ipsum dicunt. Visiones Dei intelliguntur visiones singulares, et eximiae, nomineDei adhibito ad rei, de qua fit sermo, explicandum gradum maximum, quamvis et proprie loquendo visiones hae Dei fuerint, utpote in quibus ipse Deus se se Prophetae exhibuerit.

2. *Jn quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Joachin,* 3. *factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem in terra Chaldaeorum secus flumen Chobar, et facta est super eum ibi manus Domini.* Manus pro actione, et re est posita, quae exhibita illi a Deo est, quaeque modo narrabitur. 4. *Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circuitu eius, et de medio eius quasi species electri, id est, de medio ignis.* Toto hoc deinde capite forma istius visionis describitur, in qua se Deus videndum Ezechieli obtulerit, ita, ut tantum sequenti capite postea dicatur, quidnam Deus illi locutus sit, et qualia mandata dederit, itemque qualem librum totum foris, et intus conscriptum, atque refertum meris lamentationibus, et vae, ei tradiderit, quemque comedere iussus sit, ireque, ut has deinde minas perferret, et enunciaret, atque axpromeret populo. Pertinebat autem res ad calamitatem, quae impendebat Jerosolymae per Nabuchodonosorem et Chaldaeos, quando illius devastatio sub Sedecia facta est. Exhibuit autem se se illi Deus sublimis in throno sedens, infra quem quatuor animalia essent, quae alis

suis

suis Dei thronum sustinerent, et volando ferrent, itemque rotae quatuor. Nec in ista visione aliud singulare est, quam quod minutatim ea describatur per omnes suas partes, formaque animalium, atque rotarum, totusque visionis, ut ita dicam, habitus depingatur. Nam alibi quoque Deus, dum appareret, in isto habitu fuit saepius, ut dum Isaiae cap. 66. v. 15. de eo dicitur: „Quia ecce Domi-„nus in igne veniet, et quasi turbo quadrigae eius „reddere in indignatione furorem suum, et increpa-„tionem suam in flamma ignis“ et Habacuc 3. v. 8. „Qui adscendes super equos tuos, et quadrigae „tuae salvatio“ in Psalmo quoque decimo septimo versu 11. Deus cum in auxilium veniret Davidi adversus hostes „Adscendit super Cherubim, et „volavit, volavit super pennas ventorum.“ Nam haec apud Ezechielem animalia non alios etiam, quam Cherubinos fuisse, declarabitur adhuc infra. Sed nuspiam alibi tota apparitionis forma tam adcurate, tamque explicite quoad omnes partes depingitur, quam hic.

Est haec forma, quae Deo tribuitur, desumpta ab expeditionibus bellicis, et ab imperatore, dum iret ad bellum. Curru enim sublimis vehebatur a quadriga. Qualia exempla etiam de regibus in ipsa Scriptura 3. Reg. 22. v. 35. 2. Paral. 35. v. 24. se se offerunt. Insuper erat antiquitus consvetudo praeliandi ex curribus. Ab hac ergo bellorum ratione, et imperatoris apparatu, dum proficisceretur ad bellum, procederetque ad praelium,

desumpta est res, et translata ad Deum, dum iratus inducitur, et armatus, ut debellet adversarios suos, et procedit ad illos feriendos, et puniendos. In quali imperatorio habitu se modo etiam Ezechieli exhibuit plenus irae, et flammarum, dum se iturum ostenderet ad Judaeam, et Jerosolymam vastandam, plectendaque Judaeorum flagitia, quod deinde exsecutus est per Chaldaeos. Utique, cum nihil otiose, et inaniter positum sit in Scriptura sacra; ista quoque Dei apparitio talibus imaginibus instructa, illiusque talis descriptio tam diligens, et accurata, non est facta frustra, nec caret propheticis mysteriis, quae omnia pertineant ad eum, qui finis legis, et Prophetarum est Christus. Qui, ut erga eos, qui in ipsum crediderunt, liberalis, ac beneficus fuit; ita in incredulos Judaeos iram exercuit. In cuius manu, ut Joannes illius Praecursor dixit, ventilabrum fuit, ut permundaret aream suam, quique triticum congregavit in horreum suum, paleas verò combussit igne inexstingvibili. Matth. 3. v. 12. et cuius poenae, reprobationisque Judaeorum, illa Jerosolymae vastatio, quae facta est per Chaldaeos, isteque Dei habitus in Judaeos totus iratus, et igneus, in quo se nunc Ezechieli exhibuit, typus, et figura fuit. Sed iam ad intuendam hanc ipsam visionem, eamque explanandam accedamus. Ventus ab Aquilone turbineus, et procellosus veniebat, quo ostendebatur ab Aquilone eodem, et ab Chaldaea venturam illam in Judaeos, et adversus Jerusalem procellam. „Quodque nu-

„ bes magna describitur, intelligamus, ait S. Hie-
„ ronymus, eam imbres eversionum super Judaeam,
„ pluviasque allisionum portare: et involutus ignis
„ monstrat ventura supplicia, et captivitatis mala,
„ splendorque in circuitu eius significat Dei aperta
„ iudicia.“ Electrum, cuius species e medio illo igne dicitur effulsisse, alias succinum significat: hic autem pro aurichalco positum est. Quod Plinius ita describit lib. 33. cap. 4. „Omni auro inest,
„ inquit, argentum vario pondere. Ubicunque ar-
„ genti quinta portio est, electrum vocatur.“ Pro electro est in Hebraeo Chasmal (חַשְׁמַל) significatque aliquid candens, et ignitum. Est in Apocalypsi cap. 1. v. 15. illius, quem inter candelabra aurea incedentem Joannes vidit, pedes fuisse similes aurichalco, sicut in camino ardente. Splendor igitur vehementioris ignis emicans e medio reliquo igne designatur, quique rubeus fuerit, siculi aurichalcum, dum ignescit. Pertinet igitur hoc ad demonstrandum ignis illius ardorem, et vehementiam: atque adeo irae quoque magnitudo exhibebatur, qua flagrabat Deus adversus Jerusalem.

5. *Et in medio eius similitudo quatuor animalium, et hic adspectus eorum, similitudo hominis in eis.* In medio illius turbineae nubis, et procellae, de hac enim continuatur sermo, erat similitudo, et imago quatuor animalium, adspectusque illorum, et species, atque forma erat in iis similis humanae. Sed non haec sola: siquidem, ut statim sequetur, faciebus quatuor fuerint instructa haec ani-

malia. 6. *Quatuor facies uni, et quatuor pennae uni:* Hebraice *quatuor alae* (אַרְבַּע כְּנָפַיִם) Quodlibet ergo animal quatuor habuit facies, totidemque alas. Facies deinde cuiusmodi fuerint, versu decimo explicantur: nimirum hominis, leonis, bovis, et aquilae. Quae sic in singulis illis animalibus debent concipi, ut ante habuerint faciem unam, retroque alteram, tertiam vero, et quartam illis prioribus interpositam, alteram in dextra, alteram in sinistra parte inter anteriorem partem capitis, et occiput, ubi duae priores facies essent constitutae. Itidem alae sic per quatuor latera animalis, per eius circuitum, infra has facies sunt concipiendae. Haec vero animalia erant Cherubim. Nam etiam infra cap. 41. v. 19. Cherubinorum in descriptione templi duae memorantur facies, eaedem, quae hic, hominis, atque leonis. Quod reliquae duae ibi non exprimantur; illa est ratio, quod ibi illi Cherubini, sive potius illorum effigies parieti inhaereat, et secundum illas duas facies tantum promineat. Ezechiel autem ibi describat formam tantum templi, et figuras fabrefactas in eius pariete, prout in oculum inciderent. Cum autem illae figurae Cherubinorum in pariete templi in duabus faciebus iam conveniant cum his Cherubinis, qui hic modo vivi describuntur, facile est coniectura assequi, in reliquis quoque duabus faciebus discrepantiam non habuisse: et tales ibi effigies e materia fictas fuisse ibi constitutas in templo, quales hic modo repraesentantur. Et fuisse omnino Cherubinos, aperte est infra cap. 10. v. 1. et ex to-

to illo capite. Cherubini autem, et caelestes spiritus, cum corpoream nullam habeant figuram; in Dei, et Messiae curru profecto talem formam induerunt, quae aliquid significet, quod ad Christum spectet, et sit Evangelicum. Nam etiam in Apocalypsi cap. 4. v. 6. in his iisdem formis Dei throno assistunt quatuor animalia, dum Agnus, qui apparebat veluti occisus librum aperuisset septem sigillis clausum, quem acceperat de dextera Dei, sedentis in throno. Quae res, quin ad redemptionis nostrae negotium pertinuerit, cum per se clarum sit, tum ibi in Apocalypsi demonstrabitur. Quare etiam S. Hieronymus in suo tam in Ezechielem, quam in Matthaeum Commentario, S. Augustinus l. 1. de Consensu Evangelistarum cap. 6. S. Gregorius M. Serm. 3. in Ezech. et alii communiter Interpretes in quatuor Evangelistis quatuor illas animalium formas recognoscunt, etsi non eodem modo. Nam cum S. Hieronymus formam hominis deferat Matthaeo propter Genealogiam Christi, quam scripsit, et posuit statim in principio sui Evangelii; formam vero leonis Marco propter prophetiam Isaiae: Vox clamantis in deserto, a qua suum orsus est scribere Evangelium; sensit S. Augustinus formam leonis magis competere Matthaeo, hominis autem Marco, his de causis, quod Matthaeus Christi regiam dignitatem magis explicuerit, dum scripsit Magos ad eum adorandum venisse, tamquam regem Judaeorum, et de eodem Christo sit Apoc. 5. v. 5. „Vi„cit leo de tribu Juda." Idem commemorat alios

quoque aliter istas formas inter Evangelistas partitos esse, et aquilam non Joanni, sed Marco, leonem autem Joanni pro aquila dedisse. Quarum tamen alteram sententiam de aquila Joanni tribuenda ipse magis probat Tractatu 36. in Joan. „Qui „aquilae comparatus, inquit, altius, multoque „sublimius aliis tribus erexerit praedicationem su„am, et cum ceteri Evangelistae cum Domino, „tamquam cum homine in terra ambulent, ille se „erexerit non tantum super terram, et super omnem „ambitum aeris, et caeli, sed super omnem etiam „exercitum angelorum, omnemque constitutionem „invisibilium potestatum, et pervenerit ad eum, „per quem facta sunt omnia dicendo: *In princi„pio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, „et Deus erat Verbum.*" Lucae forma bovis, vel vituli solet tribui propterea, quod Evangelium suum incipiat a Zacharia patre Joannis, qui sacerdos fuit. Haec vero cum de principiis tantum librorum Evangelicorum sit capta coniectura, non de tota intentione Evangelistarum, dicit S. Augustinus eodem libro 1. et cap. 6. de Consensu Evangelistarum, hanc magis totam intentionem fuisse in illis perscrutandam.

Est autem hic illud considerandum, singula animalia fuisse praedita his quatuor facierum formis. Si ergo quaternarius numerus animalium ad significandum Evangelium, quod per quatuor Evangelistas scriptum est, pertinet; sequitur in quolibet Evangelista reperiri formam omnium illarum qua-

tuor facierum. Atque ita quidem convenientius accipiendum esse videtur. Nam profecto facies illae pertinent ad designandos characteres Christi. Eumdem vero Christum depingit nobis, et describit quisque Evangelista. Sunt autem quatuor principales in Christo hi characteres: humanitas, divinitas, deinde humilitas passionis, et virtus resurrectionis, qua de morte triumphavit. Facies ergo hominis ad illius humanam naturam designandam pertinet, facies aquilae ad Divinam naturam, quod aquilae sit volatu altissime, quasi ad caelum ipsum conscendere, sicut etiam in Abdia propheta est versu 4. „Si exaltatus fueris, ut aquila, et si inter sidera posueris „nidum tuum" quoque Divina eius origo, descensusque e caelo exhibeatur. Bos autem patiens est animal, et postquam iugum semper tulit, extremum occiditur. Ita Christus vere langvores nostros, et dolores nostros ipse portavit, deinde mortem pro nobis subiit. Sicut vero in illis animalibus facies aquilae faciei hominis fuit correspondens, ut qui Christus homo esset, idem intelligeretur esse etiam Deus: ita facies quoque leonis sic constituta est in animalibus, ut responderet faciei bovis: quo doceretur, eumdem, qui infirmus apparuit per humilitatem passionis, suaeque mortis in Cruce, eumdem fuisse fortem, et invictum in ipsa etiam morte, et passione sua, qua sua morte mortem omnium propulsavit, illumque per mortem destruxit, qui mortis habebat imperium. Hebr. 2. v. 14. Quare etiam in Apocalypsi, ut iam commemoratum pau-

lo ante est, Leoni comparatur: „Vicit leo de tri-
„bu Juda.“ Est enim huius animalis in pugna, et certamine vincere, cum sit fortissimum. Quare etiam Genesis 49. v. 9. Judae fortitudo, et quae ipsa typice referebatur ad Christum, qui ex tribu Juda futurus esset, cum leone fuit comparata. „Catulus leonis Juda, dicebat ante mortem suam filiis suis benedicens Jacob, „ad praedam, fili mi, adscen-
„disti: requiescens accubuisti, ut leo, et quasi
„leaena, quis suscitabit eum?“ Haec deinde quatuor animalia cuiusdam quasi quadrigae, qua Deus veheretur, figuram constituerunt: ut sic doceretur, Dei notitiam, quae declarata, et manifestata per Evangelium est, summa celeritate esse provehendam, et propagandam: quo alae quoque animalium pertinent, quod item cetera, quae in his animalibus adhuc explicanda supersunt, et rotae, de quibus etiam adhuc sequetur, confirmabunt.

7. *Pedes eorum pedes recti, et planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli, et scintillae, quasi adspectus aeris candentis.* Vitulus, sive bos firmiter gressum figit. Illo ergo significabatur Evangelii, et novi Evangelici foederis, quod per illud in mundo promulgabatur, futuram immobilem firmitatem. Pedes autem recti in illis animalibus eo etiam pertinuerunt, quo alae ad paratum et expeditum cursum, quo propagatum in mundo Evangelium est. Quod enim animal curvos pedes habet, et claudum est; expeditum ad cursum esse non potest. Eademque animalia ex oculis quasi scintilla

aeris candentis evibrabant. Lucem enim attulit, et accendit in mundo, quocumque perlatum est Evangelium: nec tantum lumen, verum etiam efficacitas istius luminis ista evibratione scintillarum significatur. „Vivus enim est sermo Dei, et efficax, et „penetrabilior omni gladio ancipiti." Hebr. 4. v. 12.

8. *Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus: et facies, et pennas per quatuor partes habebat.* Pro positione nimirum facierum erant etiam totidem alae subiectae faciebus, et infra singulas alas singulae manus. Quatuor sunt plagae mundi, atque ex his Christus se se dicit congregaturum electos suos Matth. 24. v. 31. Ex quo perspici potest, quo ille numerus non tantum quatuor animalium, sed etiam facierum, alarum, et manuum pertineat. Quod scilicet Evangelium ostenderetur esse celerrime propagandum, vique summa, et efficacitate, quam manus denotant, per omnes partes totius mundi, quodque actuosum ubique esset.

9. *Junctaeque erant pennae eorum alterius ad alterum: non revertebantur, cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur.* Inter volandum animalia quatuor sic alas sursum erectas gerebant, ut se invicem etiam omnia quatuor concontingerent. Quod sic concipi debet, stetisse illa, ut figuram quadratam efformarent, binasque alas, veluti duo brachia habuisse sursum extensa, atque ea ala, quae spectaret intro ad quadrum, se se contigisse non eius cuspide, quae, ut intra seque-

tur, cum altera ala itidem sursum protensa coibat, sed ea parte alae, ubi, sicut in cubito solet esse, curvatura illius est: itaque quasi figuram crucis effformavisse. Quid vero ista mutua consociatione omnium inter se animalium in volatu significabatur, quam hoc, quod etiamsi Evangelii plures futuri essent praecones; omnium tamen inter se unus esset nexus, et consensio? *Non revertebantur, cum incederent:* hoc est nullum eis obstaculum occurrit, ut cogerentur directionem cursus mutare, aut si non possent ulterius progredi, deberent ex vita, qua venerunt, redire. Est ergo hoc illud, quod dictum est etiam per Isaiam cap. 55. v. 11. „Sic erit „verbum meum, quod egredietur de ore meo: non „revertetur ad me vacuum, sed faciet, quaecumque „volui, et prosperabitur in his, ad quae misi il-„lud:" ulteriorque semper progressio, et diffusio Evangelicae praedicationis in mundo, quin res aliqua impedire eam in cursu possit, significatur. „Juncta sibi sunt Evangelia, ait S. Hieronymus, „haerentque mutuo, et in toto orbe volitantia, huc, „illucque discurrunt, nec habent finem volatus, nec „aliquando superantur, et recedunt, sed semper „ad ulteriora procedunt."

10. *Similitudo autem vultus eorum: facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor, facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilae desuper ipsorum quatuor.* Cuilibet igitur animali erant hae quatuor facies: et facies hominis cum capitis anteriorem partem tene-

ret in singulis animalibus; dextram deinde partem capitis tenebat imago leonis, sinistram forma bovis. De aquila vero dicitur, fuisse huius faciem desuper. At nec in Hebraeo, nec in Versione Septuaginta, nec in Paraphrasi Chaldaica est istud: *desuper:* sed tantum est fuisse etiam aquilae quatuor facies. Sic enim est in Hebraeo: *Et facies aquilae quatuor illis.* (וּפְנֵי־נֶשֶׁר לְאַרְבַּעְתָּן) Est vero supra versu 8. manifeste: *Facies, et pennas per quatuor partes habebant.* Ergo facies aquilae quartam, et e cuius regione in anteriore parte facies hominis esset, capitis partem, quaeque ad occiput pertineret, occupabat. Sic ergo facies, quae Christi Divinitatem significabat, ad ultimum locum posita esset, cum tamen dignitate sit omnium prima? Et sic omnino Christus rectius exhibebatur. Humana enim illius natura apparuit, ideo facies hominis in anteriore eius parte fuit, quae in omnium oculos incideret. At vero Divina illius natura oculis conspicua non fuit: et sicut, quod retro est, non videtur, ita illa etiam in Christo tecta per humanitatem fuit, neque aliter quam cerni in illius operibus potuit: et hac ratione exsplenduit in Christi etiam facie tamen eius Divinitas. Quod nisi ita esset, Joannes dicere non potuisset: „Vidimus glo„riam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, ple„num gratiae, et veritatis.“ Joan. 1. v. 14.

11. *Facies eorum, et pennae eorum extentae desuper: duae pennae singulorum iungebantur, et duae tegebant corpora eorum.* Explicatur, quis

facierum, et alarum in illis animalibus fuerit habitus. Habebant igitur facies, et alas sic, ut faciebus apertis per omnes quatuor partes, alas alteras binas sibique e regione positas gererent elevatas, et expansas, alteras vero itidem binas haberent supra se dimissas, quibusque se contegerent, atque illis prioribus alis, quas gererent expansas se se invicem contingerent, ut iam supra demonstratum est. Cumque duae alae ad volandum extensae spectent ad significandam propagationem Evangelii, ut iam demonstratum est; potest hic illa etiam quaestio occurrere, quid alae significent demissae, et ad tegendum corpus compositae. Huc vero lumen ex Isaiae cap. 6. v. 2. ad intelligendum transsumi potest. Nam etiam ibi Seraphim, Dei throno assistentes cum duabus alis volarent, ceteris non tantum reliquum corpus, sed ipsam etiam faciem velabant. In isto lumine Evangelii videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem: ait S. Paulus 1. Cor. 13. v. 12. Ideo animalia, quae symbolum essent Evangelii, quamvis volarent, tamen una velatum adhuc ex parte, ab humero videlicet usque deorsum, gerebant corpus suum. „Nunc „cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut „et cognitus sum" ait idem Paulus in isto, quem modo citavi loco.

12. *Et unumquodque eorum coram facie sua ambulabat: ubi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur: nec revertebantur, cum ambularent.* Hoc de incessu isto animalium iam etiam fuit ver-

su 9. Cum autem anteriorem capitis partem obtineret humana facies, atque haec in animalium fronte esset collocata; iuxta hanc incessus sui motum direxisse tanto credibilius est, quod Propheta, qui istius visionis omnia minutatim explicat; si difformis ab illa prima facie animalium incessus fuisset, hoc etiam dicere, non videatur praetermissurus fuisse. Cum vero nihil de incessu comparate ad facies, et eius directione quoad illas dixerit; est is accipiendus, qui sit maxime naturalis, et usitatus. Ferebantur autem animalia, qua illa impetus spiritus impulerat. Quo significabatur spiritus sancti ductu futuram propagationem Evangelii, et ubi, et quando, et apud quos is vellet eam fieri, ibi fieret. Sic Apostoli habuerunt mandatum a Christo, ne in viam gentium abirent, neque in Samaritanorum civitates intrarent Matth. 10. v. 5. sed prius Judaeis Evangelium praedicarent, ad gentiles autem se conferrent, si ab illis repudiati, et reiecti essent. Act. 13. v. 56. S. Paulus per visionem admonitus est, ut ad praedicandum Evangelium iret in Macedoniam Act. 16. v. 9. Idem vero prohibitus est a Spiritu S. loqui verbum Dei in Asia, et cum ire tentasset in Bithyniam, non eum etiam permisit Spiritus Jesu. Act. 16. v. 6.

13. *Et similitudo animalium, adspectus eorum, quasi carbonum ardentium, et quasi adspectus lampadarum. Haec erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens.* 14. *Et animalia ibant, et reverte-*

bantur in similitudinem fulguris coruscantis. Adspectus animalium erat quasi adspectus lampadarum, hoc est, species animalium erat tota ignea. Erat deinde haec visio discurrens in medio animalium: splendor ignis, et fulgur egrediens. Cernebantur nimirum ex illo medio animalium, et ab illa quadriga emicantes ignes, et fulgura, quosque ignes, et quae fulgura evibrarent ex se animalia, dum moverentur, et irent. Praecessit supra versu 12. animalia, dum ambularent, non esse reversa. Quod ergo modo dicantur ivisse, et reversa esse, hoc de motu tantum, et discursu luminis, intelligendum est, quod fulguris instar tam in hanc, quam alteram oppositam partem, ex se emitterent animalia, deque illo hoc dicitur, quod ex se producerent fulgur. „Quomodo crebris micat ignibus aether, ait S. Hieronymus, et in ictu oculi, atque momento discurrunt fulgura, et revertuntur non amittentia „matricem, et ut ita dicam fontem ignis, atque „materiam; ita et haec animalia, cum inoffenso „pergant pede, ad priora festinant.“ Quid vero ignes illi emicantes, totaque ignita species, et fulgurationes in his animalibus loci habent, cum per ea designetur Evangelium, quae est lex gratiae? Nempe idem Christus, non tantum Redemptor generis humani est, sed etiam Judex a Deo est constitutus vivorum, et mortuorum. Act. 10. v. 42. et per Evangelium utrumque hoc munus illius annunciatur. Quomodo Athenis Evangelium praedicavit etiam Paulus: „Deus nunc annunciat, inquit, ho-

„minibus, ut omnes ubique agant poenitentiam: „eo quod statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in aequitate in viro, in quo statuit, fidem „praebens omnibus, suscitans eum a mortuis.“ Act. 17. v. 30. Quare etiam in Apocalypsi cap. 4. v. 5. ex throno Dei, dum coram eo Agnus, quasi occisus aperuisset librum, quod ad redemptionis negotium pertinuisse, iam dictum est, procedebant fulgura, voces, et tonitrua: et ex ipsius Christi ore gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes. Apoc. 19. v. 15. Fulgura ergo illa, et ignes animalium designabant iram Christi. „In flamma „ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, „et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu „Christi; qui poenas dabunt in interitu aeternas a „facie Domini, et a gloria virtutis eius.“ 2. Thessal. 1. v. 8.

15. *Cumque adspicerem animalia, apparuit rota una super terram iuxta animalia habens quatuor facies.* Non unam, sed plures fuisse rotas, statim ex subsequente versu intelligitur: Ubi in continuatione istius narrationis, quae modo una rota fuit nominata, deinde rotae, numero plurali, et diserte quatuor rotae dicuntur. Stabant autem singulae rotae iuxta singula animalia, et horum adcurate motum sequebantur, ut est huius capitis versu 19. Sic namque est ibi: „Cum ambularent anima„lia, ambulabant pariter et rotae iuxta ea“ et capitis 10. versu 9. „Quatuor rotae iuxta Cherubim: „rota una iuxta Cherub unum, et rota alia iuxta

„Cherub unum.“ In Hebraeo istud: *Apparuit rota una super terram iuxta animalia habens quatuor facies*, est sic: *ad quatuor facies eius* (לְאַרְבַּעַת פָּנָיו) ut intelligatur, non rota habuisse quatuor facies; sed rotam hanc fuisse positam iuxta quatuor facies animalium, hoc est, quae volubilis ita esset, ut se per omnes facies vertere, earumque nutum sequi posset. Neque enim eodem tempore una eademque rota ad omnes quatuor animalis facies, quae ad quatuor mundi plagas spectarent, stare potuit.

16. *Et adspectus rotarum, et opus earum, quasi visio maris, et una similitudo ipsarum quatuor: et adspectus earum, et opera quasi sit rota in medio rotae.* Adspectus rotarum, hoc est, species rotarum: opus earum, hoc est, structura earum: haec utraque ergo erant quasi visio maris: Hebraice *quasi visio Tharsis* (כְּעֵין תַּרְשִׁישׁ) „Quam „nos, inquit S. Hieronymus, in mare vertimus, „Aquila hyacinthum posuit, qui lapis caeli habet „similitudinem.“ Tharsis autem etiam alias pro mari usurpatur, uti in illo Psalmi 71. v. 10. „Reges Tharsis, et insulae munera offerent. Intelligitur ergo color subviridis, qualis est maris. *Una similitudo ipsarum quatuor*, hoc est forma et species omnium quatuor rotarum fuit eadem. *Et adspectus earum, et opera quasi sit rota in medio rotae.* „Adspectusque earum erat quasi rota in rota, ut „non unam rotam, ait S. Hieronymus, crederes, „sed alteram alteri copulatam.“ Nimirum, hae rotae, ut sequetur, altae erant, et magnae, et introrsum

sum

sum non vacuae, sed ex splendente luce efformatae sic, ut intra extimum rotae circulum, eiusque ambitum, versus centrum rotae, alii atque alii minores circuli semper essent, qui ex luce illa marini, vel hyacinthini coloris essent efformati, donec perveniretur ad intimum rotae circulum, qua axis transire posset.

17. *Per quatuor partes earum euntes ibant, et non revertebantur, cum ambularent.* Quandoquidem quatuor rotarum partes commemorentur, et per illas dicantur eaedem rotae motu suo esse volutae; consequens est, ut intelligantur, istae rotae quatuor radiis, e centro rotae prodeuntibus, pertingentibusque ad circulum rotae extimum, fuisse divisae: qua ratione non tantum similitudinem currulium rotarum magis exprimebant, verum etiam quadripartitae erant, ut dum volverentur, per quatuor earum partes volutatio fieret. Illud ergo dicitur, rotas illas in suo cursu fuisse ita circa axem circumactas, ut illarum conversio in motu integra fieret. Quod ad earum volubilitatem declarandam pertinet, ne si ita circumagi non possent, minor earum promptitudo intelligeretur ad motum. 18. *Statura quoque erat rotis, et altitudo, et horribilis adspectus, et totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quatuor.* "Statura quoque rotarum, et altitudo tanta erat, ait S. Hieronymus, ut „miraculum videntibus faceret." Totum corpus oculis plenum, nempe totum corpus rotarum intelligitur fuisse oculis plenum in circuitu, et per extimum,

maximumque earum circulum. Deinde quando explicabo, quid per rotas significatum sit, simul de oculis istis dicam.

19. *Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter et rotae iuxta ea: et cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotae.* 20. *Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu et rotae pariter elevabantur sequentes eum. Spiritus enim vitae erat in rotis.* 21. *Cum euntibus ibant, et cum stantibus stabant, et cum elevatis a terra pariter elevabantur et rotae sequentes ea: quia spiritus vitae erat in rotis.* „Secundo dici„tur, ait S. Hieronymus, *Quia spiritus vitae erat* „*in rotis*, ut nequaquam vas aliquod arbitremur „rotarum, quas in carpentis plaustrorum, rheda„rumque, et curruum adspicimus, sed animantia, „imo super animantia.“ 22. *Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi adspectus crystalli horribilis, extenti super capita eorum desuper.* 23. *Sub firmamento autem pennae eorum rectae alterius ad alterum: unumquodque duabus alis velabat corpus suum, et alterum similiter velabatur.* Sub hoc firmamento animalia sic erant constituta, ut binas, sibique correspondentes alas in altum erectas haberent, ita ut ala altera alteram cuspide superne contingeret. Quod in Hebraeo expressum est luculentius: *Quaeque ad sororen suam* (אִשָּׁה אֶל־אֲחֹתָהּ) Sunt enim eiusdem animalis alae quasi sorores inter se. Ex quatuor ergo alis duas cum sic haberent supra caput erectas, et invi-

cem coeuntes; duabus reliquis velabant sua corpora. Explicatur hic ergo modo habitus earum, quae erant extensae in animalibus, et de quibus iam fuit supra versu 9. et 11. Sed ibi tantum fuisse extensas, hic vero cuiusmodi fuerit haec extensio, plenius, et adcuratius declaratur.

24. *Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei: cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, ut sonus castrorum: cumque starent, demittebantur pennae eorum.* Ubi Latinus vocabulum: *sublimis* posuit, est Hebraice *Schaddai*, quod vero Omnipotentem significat. Sonus autem sublimis, vel Omnipotentis Dei, tonitruum intelliguntur fragores, quae Dei voces etiam alibi in Scriptura vocantur. „Vox Domini super „aquas: Deus maiestatis intonuit: Dominus super „aquas multas.“ Psal. 28. v. 3. Itaque hoc: *Quasi sonum sublimis Dei* Symmachus vertit: *Quasi tonitru Dei potentis.* Talem enim sonitum alis suis faciebant, dum ambulabant, qualem fluctus in mari, aut tonitru, vel multitudo aliqua ingens hominum, vel qualis fremitus fit, dum moventur castra. Quando vero consistebant animalia, tum demiserunt alas: illas videlicet, quibus se tegebant, dum quiescerent, ut volucres omnes faciunt, dum consident: quasque easdem inter reptandum, et volandum quaterent. Nam illae duae alae, quas erectas in altum gerebant, etiam ut antecessit, cum starent, extensas habebant. Cur ergo illas ita

erectas servabant? Super animalia incumbebat splendidum illud firmamentum, in quo Deus, tamquam in throno sedebat: istudque firmamentum, et thronus Dei alis animalium illis erectis insistebat, illudque firmamentum, et hunc thronum animalia vehebant non trahendo ut iumenta currum post se, sed aliis alis sustentando, aliis, quibus volabant, promovendo, et deferendo.

25. *Nam cum fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant, et submittebant alas suas.* 26. *Et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi adspectus lapidis saphiri similitudo throni, et super similitudinem throni similitudo quasi adspectus hominis desuper.* Super firmamento ergo imminente verticibus animalium erat thronus specie lapidis saphiri: super throno autem rursus aliquis cernebatur in specie humana. 27. *Et vidi, quasi speciem electri, velut adspectum ignis, intrinsecus eius per circuitum: a lumbis eius, et desuper, et a lumbis eius usque deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu:* 28. *velut adspectum arcus, cum fuerit in nube in die pluviae. Hic erat adspectus splendoris per gyrum.* Vidi speciem electri, hoc est quasi aurichalci, dum igne funditur, ut iam initio huius capitis explicatum est, et speciem ignis per circuitum illius, qui nimirum sedebat in throno: intrinsecus autem dicitur ista species ignis, et electri fuisse respectu totius firmamenti, cui insistebat thronus, et quem thronum

ergo ambiebat ille ignis: itemque ipse, qui sedebat super throno a lumbis sursum, et deorsum totus erat igneus. Per gyrum autem, nempe qua illud firmamentum terminabatur, circumfusus fuit arcus, qualis solet apparere in nubibus, dum hae roscidae, et pluviosae sunt. Intelligitur ergo iris. Quoniam autem, ut iam superius demonstratum est, quatuor animalia, et Cherubini Evangelicis faciebus induti Evangelium designant, illiusque, quae futura esset per omnes quatuor plagas mundi, diffusionem significant, et quorum animalium quasi curru Deus sedens super illis in firmamento, et in throno proveheretur, cuius agnitionis, et cultus fieret propagatio in universo mundo per praedicationem Evangelii; intelligitur rotas quoque illas, quae sequerentur, et se penitus ad animalium motum adcommodarent, pertinere ad eamdem illam rem, quae acta est per Evangelium. Per rotas nimirum illas quatuor, totidem etiam, quot essent plagae mundi, illi intelliguntur, qui ex toto mundo crediderunt, et credunt in Jesum Christum, illiusque suscipiunt Evangelium. Ideo spiritus vitae est in illis rotis, ut homines intelligerentur, vita, et sensu praediti, qui per rotas illas designarentur. Hique ad animalia illa accurrerunt, cum volavissent per mundum, seque ad omnem nutum animalium componunt, quia obediunt Evangelio: et currunt post illa: siquidem etiam Sponsa in Cantico dicat cap. 1. v. 3. „Trahe me: post te curremus in odo„rem ungventorum tuorum." Nec solum forin-

secus hi sunt rota, verum etiam intrinsecus rota in medio rotae, ut non solum externis caerimoniis, sed secundum spiritum, et veritatem intelligerentur esse volubiles, et facti ad voluntatem Dei, atque legem Evangelii. ,,Dabo legem meam in visce-,,ribus eorum, et in corde eorum scribam eam." Jerem. 31. v. 33. Plenae deinde hae rotae, et undique per circuitum refertae erant oculis, tamquam videlicet illuminatae illius lumine, qui erat Lux vera, et qui lux in mundum venit, ut omnis, qui credit in eum, in tenebris non maneat. Joan. cap. 1. v. 9. cap. 12. v. 46. Idem vero Christus, qui venit in mundum, ut mundus salvetur per ipsum, cum sui eum non recepissent, et ipsum insuper, qui filius erat domini vineae, quae ipsis erat ad excolendum data atque locata, eo quod fructus vineae ab eis exegisset, occidissent; vinea haec illis fuit ablata, et data aliis colonis, ipsique tamquam mali servi male sunt perditi Matth. 21. v. 43. Cuius rei imago cum in typo antecesserit per illam Judae, et Jerusalem vastationem, Judaeorumque e regione, quae illis data est ad habitandum a Deo eiectionem, et expulsionem, itemque eorum, qui residui ex hac clade manserunt, reductionem, et Jerusalem, templique, quae postea iterum facta est, restaurationem, quae quod ad Ecclesiae constitutionem, quomodo per Christum facta est, pertinuerit typice, iam etiam saepius demonstratum est; idcirco etiam Deus, dum suum adventum in hac visione demonstrasset Prophetae ad

poenam illam eversionis, et expulsionis irrogandam Judaeis in hoc habitu apparuit, qui et ad exercendam iram, vindictamque pertineret, et ad benignitatem, beneficentiamque erga eos, qui in eorum locum ad Dei cultum assumpti sunt. Itaque hac de causa non tantum animalium forma fuit ignita, sed ipse quoque Deus, qui sedebat in throno. In cuius tamen circuitu iris fuit, qua significaretur illius etiam placabilitas, et clementia: itemque rotae marino, et virescente colore refulgebant, tamquam quae hoc, quod post animalia currerent, haberent ex Dei erga se favore, et benigno respectu, sicut viridis color recreat, et reficit oculos. Et bene notatur, eum, qui sederet in Divino throno, specie fuisse humana, ut ipsum in hac visione exhiberetur etiam Incarnationis mysterium. Ad cuius in throno sedentis vocem animalia consistebant, alasque, demittebant: quod cum subiectionis, et reverentiae sit signum, denotabatur, Ecclesiam, quae fundata est per Evangelium, futuram in plena observantia erga Christum sedentem in throno.

CAPVT II.

Ab eo, quem sedentem vidit in throno, mittitur Ezechiel ad populum, ut poenas ei denunciet, nisi resipiscant, librumque accipit, et comedere iubetur, qui plenus lamentis, et vae fuit.

1. *HAEC visio similitudinis gloriae Domini:
et vidi, et cecidi in faciem meam, et audivi vocem loquentis, et dixit ad me: fili hominis sta
super pedes tuos, et loquar tecum.* 2. *Et ingres-
sus est in me spiritus, postquam locutus est mihi,
et statuit me supra pedes meos, et audivi loquen-
tem ad me,* 3. *et dicentem: Fili hominis mitto ego
te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quae
recesserunt a me: ipsi, et patres eorum praeva-
ricati sunt pactum meum usque ad diem hanc.* 4.
Et filii dura facie: et indomabili corde Hebraice:
obstinato corde (וְחִזְקֵי־לֵב) *sunt, ad quos ego mit-
to te: et dices ad eos: Haec dicit Dominus Deus:*
5. *Si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant:
quoniam domus exasperans est, et scient, quia
propheta fuerit in medio eorum.* Istud: *Et dices
ad eos: haec dicit Dominus Deus*, est paraphrastice positum pro eo, quod brevius sic fuisset dictum: Et dices ad eos verba Domini Dei. Quae verba Dei, quae eum oporteret ad populum perferre, deinceps per totum librum explicantur, et

proponuntur. 6. *Tu ergo fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas, quoniam increduli, et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas: verba eorum ne timeas, et vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est.* Deum videlicet exasperans. Hebraice: Domus rebellionis illi (בֵּית מְרִי הֵמָּה) 7. *Loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiant, et quiescant: quoniam irritatores sunt.* „Simile quid, inquit „S. Hieronymus, in Jeremia scriptum est: *Si forte* „*audiant, et agant poenitentiam* (Jer. 26. v. 3.) „et in Evangelio: *Forsitan filium meum verebun-* „*tur.* (Matth. 21. v. 37.) Loquitur autem haec „Deus ambigentis affectu, ut liberum hominis mon- „stret arbitrium, ne praescientia futurorum mali, „vel boni immutabile faciat, quod Deus futurum „novit. Non enim, quia ille ventura cognoscit, „necesse est nos facere, quod ille praescivit; sed „quod nos propria voluntate sumus facturi, ille no- „vit futurum, quasi Deus.“ 8. *Tu autem, fili hominis, audi, quaecumque loquor ad te, et noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est: aperi os tuum, et comede, quaecumque ego do tibi.* 9. *Et vidi, et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber* Hebraice: *Volumen libri* (מְגִלַּת סֵפֶר) Deus autem misit manum et extendit eam ad Ezechielem, hocque volumen ei porrexit: praecessit enim proxime, ut quaecumque ipse illi daret, haec comederet: *et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus, et foris: et scriptae*

erant in eo lamentationes, et carmen, et vae. Erat antiquitus scribendi modus in membranis, quaeque deinde convolvebantur: unde voluminum quoque nomen apud nos existit. Tam ergo interior facies membranae, quam exterior tota erat conscripta.

CAPVT III.

Librum sibi a Deo datum Ezechiel cum comedisset, is in eius ore in mel conversus est. Spiritu Dei actus pergit ad Judaeos Babylone captivos, cum apud eos septem dies sedisset, monet illum Deus futurum, ut Deus ab eo poenas repetat, nisi et impio, ut se convertat, et iusto, ut in iustitia perseveret, denunciaverit. Dei Spiritus praecipit ei, ut se claudat ad domum, aufert ei loquelam, rursus vero hanc ei restituit.

1. *Et dixit ad me: fili hominis, quodcumque inveneris, comede: comede volumen istud, et vadens loquere ad filios Israel.* In libro illo, et volumine scriptae erant lamentationes, et vae, ut fuit in fine superioris capitis. Dum ergo, postquam comedisset hoc volumen, iussus est deinde loqui; intelligitur praeceptum hoc Dei eo spectasse; ut quas minarum denunciationes sibi ad Judaeos haberet traditas, et commissas a Deo, has coram illis enunciaret. 2. *Et aperui os meum, et cibavit me volumine illo.* 3. *Et dixit ad me: fili homi-*

nis, venter tuus comedet, et viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi. Et comedi illud, et factum est in ore meo sicut mel dulce. Quod hic dictum est, ut volumen comederet, hoc deinde infra v. 10. propriis verbis dicitur: „Fili hominis omnes sermones meos, quos ego „loquor ad te, assume in corde tuo, et auribus „tuis audi." Quomodo autem, cum volumen illud lamentationibus, carmine, hoc est: lugubri cantu, et vae fuerit repletum, fieri velut mel in ore eius potuit? quatenus nimirum hoc Dei mandatum istius prophetici muneris, quamvis molesti, atque tristis, tamen paratissimo animo propter Dei voluntatem suscepit: quemadmodum etiam Paulus de se dixit: „Repletus sum consolatione, superabun„do gaudio in omni tribulatione nostra." 2. Cor. 7. v. 4.

4. *Et dixit ad me: fili hominis vade ad domum Israel, et loqueris verba mea ad eos.* 5. *Non enim ad populum profundi sermonis, et ignotae lingvae tu mitteris, ad domum Israel:* 6. *neque ad populos multos profundi sermonis, et ignotae lingvae, quorum non possis audire sermones: et si ad illos mittereris, ipsi audirent te.* Quod prius posuit: *profundi sermonis*, hoc deinde altera quasi synonymia dicit: *ignotae lingvae*, ut intelligatur profunditas quoque semonis non alia hic intelligi, quam quae esset ex ignorantia lingvae. 7. *Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. Omnis quippe domus Israel at-*

trita fronte est, et duro corde. 8. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum.* 9. *Ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas a facie eorum; quia domus exasperans est:* quod domus exasperans sit. 10. *Et dixit ad me: fili hominis, omnes sermones meos, quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, et auribus tuis audi.* „Notandum, ait S. „Hieronymus, quod ante sermones Dei in nostro „corde condendi sunt, audiendique, et intelligen„di diligentius, et sic ad populum proferendi." 11. *Et vade, et ingredere ad transmigrationem, ad filios populi tui, et loqueris ad eos, et dices eis: Haec dicit Dominus Deus: si forte audiant, et quiescant.* 12. *Et adsumpsit me Spiritus, et audivi post me vocem commotionis magnae: Benedicta gloria Domini de loco suo.* „Deus, in„quit S. Hieronymus assumpsit Prophetam." Vox autem commotionis, hoc est, quae instar ingentis procellae fragore magno ederetur, erat haec ipsa: *Benedicta gloria Domini de loco suo*, quam audivit. Dei autem locus est caelum. Dei igitur Prophetae de caelo apparentis magnificentia hac voce, quae Divinitus est emissa, praedicabatur. Illa vero commotio, atque sonitus ex motu fuit excitatus per animalia Cherubinica, ut hoc declaratur versu sequenti. Itaque vox quoque haec emissa intelligitur fuisse eorumdem animalium celebrantium Deum, qui de caelo gloriam suam in terram

deduxerit, ut nota fieret hominibus. Hoc enim per praedicationem Evangelii factum est. „Manifesta„vi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de „mundo " dicit Christus ad Patrem Joan. 17. v. 6.
13. *Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, et vocem rotarum sequentium animalia, et vocem commotionis magnae.* Verbum: *audivi* ex praecedente versu etiam hic intelligitur.

14. *Spiritus quoque levavit me, et adsumpsit me: et abii amarus in indignatione spiritus mei: Manus enim Domini erat mecum confortans me.* Non est causalis particula in Hebraeo, sed litera *Vav*, quae sic etiam verti potest: Spiritus autem Domini erat mecum, confortans me. Quaenam autem causa istius indignationis in Propheta? Populi sui, ad quem mittebatur, perversitas, eiusque in malo durities: quae gens apostatatrix, et qui filii dura facie, et indomabili corde superioris capitis versu 3. sunt appellati. Qua vero in re Propheta typum expressit Christi, ad Judaeos missi; qui etiam infremuit spiritu, et turbavit seipsum, propter incredulitatem Judaeorum, et obstinationem, qui tot iam visis prodigiis in resuscitatione, quam facturus erat Lazari, nondum in eum fidem conciperent. Joan. 11. v. 33.
15. *Et veni ad transmigrationem:* Judaei intelliguntur captivi in Babyloniam transducti, *ad acervum novarum frugum, ad eos, qui habitabant iuxta flumen Chobar, et sedi, ubi illi sedebant, et mansi ibi septem diebus moerens in medio eorum.*
16. *Cum autem*

pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me dicens: 17. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, et audies de ore meo verbum, et annunciabis eis ex me.* 18. *Si dicente me ad impium: morte morieris, non annunciaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, et vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sangvinem autem eius de manu tua requiram.* 19. *Si autem annunciaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via sua impia; ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.* 20. *Sed et si conversus iustus a iustitia sua fuerit, et fecerit iniquitatem; ponam offendiculum coram eo: ipse morietur, quia non annunciasti ei: in peccato suo morietur, et non erunt in memoria iustitiae eius, quas fecit: sangvinem vero eius de manu tua requiram.* Ponam offendiculum coram eo, hoc est, sinam eum impingere, et cadere. Est enim hoc de permissione sola sic, ut illud Exodi 4. v. 21. „Ego „indurabo cor Pharaonis" et illud Jsaiae 63. v. 17. „Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis, „indurasti cor nostrum, ne timeremus te." Nam, sicut Deus neminem per se indurat, sed tantummodo sinit durum fieri, et duritiem, quam ipse sibi homo fecit, non aufert, dum indurare aliquem dicitur; ita etiam, quando iustus ab iustitia sua declinat, et in grave aliquod peccatum praeceps fertur; Deus offendiculum illi dicitur ponere, quatenus nimirum, ne is offendat, et impingat, et cadat, non

impedit, sed suae illum pravae voluntati relinquit. „Hoc offendiculum Domini ponere, ait S. Grego„rius M. in Ezech. est nequaquam ad peccandum „premere, sed nolle a peccato liberare." 21. *Si autem tu annunciaveris iusto, ut non peccet iustus, et ille non peccaverit; vivens vivet, quia annunciasti ei, et tu animam tuam liberasti.*

22. *Et facta est super me manus Domini, et dixit ad me: Surgens egredere in campum, et ibi loquar tecum.* 23. *Et surgens egressus sum in campum. Et ecce ibi gloria Domini stabat, quasi gloria, quam vidi iuxta fluvium Chobar, et cecidi in faciem meam.* Illa visio memoratur, quae capite 1. est proposita. 24. *Et ingressus est in me Spiritus, et statuit me super pedes meos, et locutus est mihi, et dixit ad me: Ingredere, et includere in medio domus tuae.* 25. *Et tu fili hominis, ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis, et non egredieris de medio eorum.* „Quod in domo clauditur, ait S. Hieronymus, „quod vinculis alligatur, quod non egreditur ad „eos, inter quos habitat, sed inter multitudinem „captivorum solitudinem carceris patitur; obsidionis „indicium est, quod clausa Jerusalem, atque cir„cumdata ab exercitu Chaldaeorum nullum habitan„tium foras exire permittet." Sicut autem ipse sponte ad iussionem Dei in domum suam se recepit; ita eos, qui eum ligaverunt, ipse etiam ultro sibi adhibuit. 26. *Et lingvam tuam adhaerere faciam palato tuo, et eris mutus, neç quasi vir ob-*

iurgans, quia domus exasperans est. Hoc pro causa illius est, cur Propheta claustrum suae domus, vincula, atque mutum os sustinuerit: ut poenae scilicet significarentur, quas Jerusalem propterea subitura esset, quod domus exasperans sit. Quae vero ratio fuit, cur elingvem etiam illum Deus fecerit? In magno metu, et consternatione vox etiam ipsa intercipitur. Pertinebat igitur hoc ipsum etiam ad significandam angustiam, in qua futuri esset Judaei, dum Jerusalem obsideretur a Chaldaeis. Sic autem existimari debet fuisse domi suae Ezechiel inclusus, ut aliis ad eum veniendi, adspiciendique illum potestas etiam fieret, siquidem id, quod agebat, non sua, sed Judaeorum causa, erga quos propheticum munus exercebat, faciebat. Sicut ergo ipse se vinciendum curaverat, ita etiam ipsius iussu ii, quos ad hoc negotium adhibuit, clausum illum tenuerunt, ipse ne exire posset, non vero, ne alii ad eum admitterentur. 27. *Cum autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, et dices ad eos: Haec dicit Dominus Deus: Qui audit, audiat; et qui quiescit, quiescat: quia domus exasperans est.* Et qui quiescit, quiescat, Hebraice: *Qui autem omiserit, omittat* (וְהֶחָדֵל יֶחְדָּל) Hoc est, qui se applicare noluerit ad audiendum, is tantum sequatur voluntatem suam, tamquam, quem iam postea secutura sit poena. Septvaginta verterunt: *Qui audit, audiat, et qui inobediens est, non obediat.* Ὁ ἀκούων ἀκουέτω, καὶ ὁ ἀπειθῶν ἀπειθείτω. Sequitur deinde: *Quia domus exasperans est.* unde videlicet hoc alterum

alterum eventurum esse Deus praedicat ex illa ipsorum indole, qua rebelles semper adversus Deum sunt, illiusque mandatis adversantur. Non autem istis verbis adhuc hoc perferre ad illos iussus est: sed est sola tantum Prophetae instructio de rebus, quae adhuc ei committentur, ut ad illos perferat, sive illi deinde aures praebeant, sive non: et quod illorum voluntati permittat, ut si audire velint, audiant; sin minus, voluntati suae obsequantur, cuius iam deinde visuri fructum sint.

CAPUT IV.

Iussu Dei in luteo latere Jerosolymam depingit, atque adversus hunc oppugnationem deinde instituit, item futuram urbis oppugnationem ferrea sartagine, et cubatione in latere primum uno, deinde altero ad certum tempus, et sordido, ac pertenui victu portendit.

1. *Et tu fili hominis sume tibi laterem, et pones eum coram te, et describes in eo civitatem Jerusalem.* 2. *Et ordinabis adversus eam obsidionem, et aedificabis munitiones, et comportabis aggerem, et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro.* „Sicut prius diximus, verba sunt S. „Hieronymi, *Intra, et includere in medio domus* „*tuae, et ecce data sunt super te vincula, et ligabunt* „*te, et non egredieris*, typum esse Prophetam fu„turae obsidionis urbis Jerusalem; ita nunc Geome„trica iubetur in latere arte describere, ipsumque

„laterem poni in conspectu Prophetae, ut post-„quam descripserit in pulvere Jerusalem, omnem „adversus eam pingat obsidionem, adumbrans mu-„nitiones, et comportatos aggeres, et coronam „vallantis exercitus, et arietes in circuitu, per quae „omnia urbes capi solent." Docet idem S. Hieronymus veteres consvevisse laterum pulveribus figurarum delineationes instituere. Iuxta hanc igitur imitationem idem hoc iussus est facere Propheta de Jerusalem, ut in latere depingeret tam urbem, quam totam eius oppugnationem, in imagineque hoc iam exhiberetur ante, quod postea eventurum esset. Quo autem haec delineatio, et figurarum ad laterem incisio commode fieri posset, cogitari debet acceptum esse laterem siccum illum quidem bene, et politum, nondum tamen igne coctum.

3. *Et tu sume sibi sartaginem ferream, et pones eam in murum ferreum inter te, et inter civitatem, et obfirmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidionem, et circumdabis eam: signum est domui Israel.* Sartago ferrea, quod ex ferro constet, habet quidem similitudinem fortissimorum, et quasi ferreorum moenium, qualibus munita, et circumvallata fuit Jerusalem. Sed in eo, quod ipsa sartago ignem, et ardentes prunas continere soleat, et moenia si inflammata sint, non tantum standi in illis, et defendendi locum nullum relinquant militibus, sed ipsa ignem, qui vento perfertur, spargant intro ad urbem; adumbrata est moenium Jerusalem, in quibus Judaei maxi-

mum suum haberent praesidium, et quae capi posse ab hoste non putarent, talis infirmitas ad tuendam urbem adversus hostem, quasi si moenium loco sartagines ei essent, et vi summa flaretur in sartagines igne refertas ab exteriore parte, ita, ut quod flaretur, intro ferretur ad urbem. Nam sartaginem non debere concipi fuisse hanc vacuam, sed ardentibus omnino prunis repletam, huncque ipsum flatum, quem dixi a Propheta institutum, sed tantum adversus laterem, in quo urbs esset depicta; declaratur illis verbis: *Obfirmabis faciem tuam ad eam*, ut vi scilicet faciei suae, et spiritu, quem in ore haberet, ageret in sartaginem atque ignem ex ea propelleret adversus depictam in latere urbem.

4. *Et tu dormies super latum tuum sinistrum, et pones iniquitates domus Israel super eo numero dierum, quibus dormies super illud, et assumes iniquitatem eorum.* 5. *Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum numero dierum trecentos, et nonaginta dies, et portabis iniquitatem domus Israel.* 6. *Et cum compleveris haec, dormies super latus tuum dextrum secundo, et assumes iniquitatem domus Juda quadraginta diebus: diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.* 7. *Et ad obsidionem Jerusalem convertes faciem tuam, et brachium tuum erit extentum, et prophetabis adversus eam.* 8. *Ecce circumdedi te vinculis, et non te convertes a latere tuo in latus aliud, donec compleas dies obsidionis tuae.* Haec extrema, quae modo recitata sunt verba, clare demonstrant hanc cu-

bationem Prophetae fuisse institutam ad portendendam obsidionem Jerosolymae, ut scilicet tot dies cubaret, quot duratura erat obsidio, eousque, donec capta, et vastata esset. Obsidio coepit anno nono Sedeciae mensis decimi die decima 4. Reg. 25. v. 1. Capta autem est urbs, et perrupta a Chaldaeis undecimi anni eiusdem Sedeciae die nona mensis quarti: Jeremiae 52. v. 6. Dies autem trecenti nonaginta, cum efficiant tantummodo annum, et dies viginti quinque, non aequant spatium totius illius obsidionis, quod efficit annum, menses tres, et dies viginti novem. Nempe Prophetae tempus illud ad cubandum datum non fuit, quo intermissa fuit urbis obsidio, dum Nabuchodonosor ab urbe abduxisset exercitum, profectusque esset in Aegyptum adversus Pharaonem regem Aegypti, ut est Jeremiae 37. v. 4. Non dicitur quidem ab Jeremia tanto spatio abfuisse Chaldaeos, et tamdiu intermissam esse obsidionem, sed tamen ex collatione horum inter se locorum hoc infertur, dum constat primo tempus, quod intercessit inter coeptam obsidionem, et captam urbem; deinde scitur esse intermissam obsidionem; Prophetam vero tamdiu iacere debuisse, quamdiu obsideretur urbs. Iniquitatem autem domus Israël repraesentavit sua cubatione, diesque sibi totidem habuit datos ad cubandum, quot anni fuerunt eius iniquitatis. Domus Israel, dum se a domo Juda sub Roboamo, et post mortem Salomonis seiunxisset, e vestigio defecit ad idololatriam, et in ea semper persevera-

vit. Inde ab illa separatione ad Jerosolymae vastationem intercesserunt anni trecenti nonaginta, non illi quidem adhuc completi, sed exigua unius, alteriusque anni distantia. Quorum annorum loco totidem dies trecenti nonaginta dati Prophetae sunt, nonaginta, decenarium, et rotundum numerum ponendo etiamsi is talis adcurate non esset, ut alibi quoque istiusmodi numerorum ratio solet esse in Scriptura: aut si stricte numerus est sumptus, respicitur ad tempus, et inde annorum computatio fit, quando nondum quidem exsecutione rei, Dei tamen sententia facta regnorum Israel, et Juda divisio est, et per Ahiam prophetam Jeroboamo pallii in duodecim partes discissi partes decem dedit. 3. Reg. 11. v. 31. Hos ergo annos, quibus Israel semper peccavit, idololatriamque sectabatur, diebus illis totidem numero, quot anni erant, Ezechiel cubando in sinistro latere expressit.

Quid vero huc iam domus Israel spectabat ad hanc poenam, qua afficienda erat Jerusalem, cum se a domo Juda iam pridem ante separasset, suaeque defectionis poenas sui regni devastatione, et abductione in captivitatem iam etiam dudum dedisset? Quoad religionem tam Juda, quam Israel pertinebant ad unum idemque templum, quod erat in Jerusalem, siquidem extra hoc ne licitum quidem esset Deum sacrificiis colere Israelitis. Dum ergo Deus civitatem, quam suae inter Israeliticum populum habitationi delegerat, templumque, quae eius erat domus, vastaturus erat; per Ezechielis

primum in latere sinistro, deinde in latere dextro cubationem utrorumque, et tam domus Israel, quam Juda iniquitatem Deus expressit, propter quam, civitatem, et templum a se repudiaverit, et cum domum Israel iam ante a se proiecerit; nunc etiam domum Juda a se expellat, atque hostibus diripiendam tradat.

Quinam autem sunt quadraginta anni domus Juda, quorum causa totidem diebus cubare Ezechiel, debuit in latere dextro? Domus Juda quoad primatum temporis post factam regnorum divisionem prorsus etiam non multum concessit domui Israel in defectione a Dei cultu ad idololatriam, quae et ipsa quoque statim sub Roboamo, qui primus rex fuit facta separatione, secuta est idololatriam. 3. Reg. 14. v. 23. Attamen cum resipuissent saepius, et se ab hoc flagitio revocavissent, Deusque illos in gratiam recepisset, poenamque derelictionis, quam illis minatus erat, remisisset; tandem, cum iterum, Manasse rege, idololatriam ad summum culmen provexissent, illiusque omnes foeditates, et immanitates propriorum etiam filiorum sangvine, et vita litando idolis, secuti essent, aliaque facinora ingentia, et infinita adiunxissent, et ut verbis Scripturae utar, Manasses innoxio sangvine, quem fudit, Jerusalem replevisset usque ad os, ob hanc rem noluit Dominus propitiari. 4. Reg. 21. v. 16. cap. 24. v. 4. Hi ergo anni quadraginta ex imperio Manassis accepti sunt, pro quibus cubare in dextro latere Ezechiel debuit diebus quadraginta, propter

quos ex parte domus Judae vastatio Jerosolymae, eiusque templi facta est. Regnavit quidem Manasses annos quinquaginta quinque. 2. Paral. 33. v. 1. At non ad finem usque vitae suae perstitit in sua malitia. Sed cum captus esset, et abductus in captivitatem in Babyloniam, poenitentiam egit, atque in regnum iterum remissus et religionem postea semper ipse sancte coluit, et eam apud suos quoque in regno summo studio revocavit. Idcirco ex illius spatio, quo regnavit, posterioribus annis quindecim praetermissis, quadraginta tantum relicti sunt, quique soli fuerint, qui urbis, templique excidio causam praebuerint.

Cum vero tot iam diebus iacuerit in latere sinistro pro iniquitate domus Israel, quot in obsidione fuerunt dies, donec caperetur urbs; ubi adhuc temporis aliquid ex eadem urbis calamitate superfuit, quam in cubando repraesentabat, quod ei pro latere dextro, domusque Juda iniquitate per quadraginta dies subeunda remaneret? Est Jeremiae cap. 52. v. 12. post mensem, et diem unum, ubi iam capta fuisset urbs, venisse Nabuzardanem ducem exercitus, ut urbem totam, una cum templo flammis traderet, moeniaque urbis dirueret, atque everteret. Illa ergo continuatio temporis, donec haec urbis inflammatio, moeniumque deiectio fieret, et tempus deinde, quod insumptum est aliquot dierum spatio, donec haec desolatio urbis effecta esset, duravit per hos dies quadraginta, quique iidem Ezechieli ad cubandum in latere dextro pro ini-

quitate domus Juda sunt dati: et qua vastatione, ac desolatione peracta primum totius illius tragicae scenae, quae acta est postea Jerosolymae, et cui nunc Ezechiel sua cubatione praelusit, finis fuit. Solet hic quaestio etiam moveri, an reipsa Ezechiel iacuerit per omnes illos tot dies, vel haec res tantum in mente illius per modum propheticae visionis peracta sit? Res haec eo pertinebat, ut Propheta sua actione exhiberet id, quod eventurum Jerosolymae per hostes erat, ideoque, ut sequetur, cibis eiusmodi etiam usus erat, qualibus ii utuntur, qui arcta obsidione inclusi tenentur, et fame torquentur: atque ita et iam antea, et adhuc postea eiusmodi actiones identidem ei a Deo iniunguntur, ut quod futurum esset, ab Judaeis, qui Babylone erant captivi, et erga quos officium prophetae exercebat, oculis ipsis cerni posset. At vero, si hoc in mente tantum Prophetae exstitisset, et cogitatione ad eum modum, quo res nobis per somnium offeruntur, peracta fuisset; nullam eiusmodi talem vim erga Judaeos habuisset. Longa, et molesta fuit, secundum se si spectetur, haec cubatio. Deo autem non defuit facultas, qua Prophetae praeberentur vires, quibus non modo non gravis, verum etiam iucundà omnis illa in iacendo situs in eodem latere servatio fieret „Omnia possum in eo, qui me con„fortat." Phil. 4. v. 13.

9. *Et sume tibi frumentum, et hordeum, et fabam, et lentem, et milium, et viciam, et mittes ea in vas unum, et facies tibi panes numero*

dierum, quibus dormies super latus tuum: trecentis, et nonaginta diebus comedes illud. „Jubetur autem Propheta, ait S. Hieronymus, famem „futuram, et inopiam populi Israel opere demonstrare. Sicut enim in rerum omnium penuria non „quaeruntur ciborum diversitates, et deliciae, sed „quomodo venter impleatur; sic nunc Propheta „frumentum, et hordeum, fabam, lentem, et milium, avenamque mittit in unum vas.“ Avenam hic pro vicia S. Hieronymus posuit, quod ut ipse in Commentario docet, sic etiam aliqui Hebraicum *Chüsemin* cuius loco in Vulgata vicia est, interpretentur. Septvaginta verterunt ὄλυραν: quam Homerus Iliade 7. ponit pro equorum pabulo, et ita vel cum avena, vel vicia omnino convenit. 10. *Cibus autem tuus, quo vesceris, erit in pondere, viginti stateres in die: a tempore usque ad tempus comedes illud.* Pro statere in Hebraeo sicli sunt. Siclus autem tantum pondus habet, quantum duae tertiae partes nostri argentei floreni, sive semiunciam. „Ita, ut unus panis, verba sunt S. Hieronymi, decem uncias habere dicatur: quo trahitur „magis anima, quam sustentatur.“

11. *Et aquam in mensura bibes sextam partem hin: a tempore usque ad tempus bibes illud.* Hin erat apud Hebraeos sexta pars illius mensurae, quam Ephi appellarunt, quaeque decem gomor in se continebat, gomor autem non integras nostras tres pintas efficiebat, ut de hoc genere mensurarum iam ad Exodi 16. v. 16. et cap. 29. v. 40. dictum

est. Sexta igitur pars ex Hin ne unam quidem dimidiam pintam efficiebat, quae pro totius diei potu mensura aquae fuit Prophetae concessa. „Qui „cibus, et potus, ait iterum S. Hieronymus de utro- „que coniunctim, non vires tribuit, sed mortem „prohibet.“ A tempore usque ad tempus tam ut illum suum panem comederet, quam hanc aquam suam, ut biberet, explicat S. Hieronymus, et dicit esse sumendum de vespera usque ad vesperam. 12. *Et quasi subcinericium hordeaceum comedes illud, et stercore, quod egreditur de homine, operies illud in oculis eorum.* 13. *Et dixit Dominus: sic comedent filii Israel panem suum pollutum inter gentes, ad quas eiiciam eos.* Subcinericius panis inde vocatur, quod massa farinacea in placentam extensa calidis cineribus in foco obrueretur, et ita pinseretur. Ad designandam vero penuriam lignorum istud pertinet, alteriusque materiae, unde exstrui ignis posset, quod non tantum boum, sed humanum etiam stercus dicat adhibendum. Deinde restringitur haec poena non tantum ad tempus obsidionis, verum etiam ultra extenditur, ut in captivitate talem etiam penuriam experiantur, sordidatoque pane uti cogantur, non quidem communiter, et omnes, neque enim vel Ezechiel, licet iam esset in captivitate, tali pane ad hoc tempus usus est, ut est versu sequenti, sed quod nonnumquam saltem talis etiam necessitas pressura illos esset. 14. *Et dixi: a, a, a Domine Deus ecce anima mea non est polluta, et morticinum, et laceratum*

a bestiis non comedi ab infantia mea usque nunc, et non est ingressa in os meum omnis caro immunda. 15. *Et dixit ad me: Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis, et facies panem tuum in eo.* 16. *Et dixit ad me: Fili hominis, ecce ego conteram baculum panis in Jerusalem, et comedent panem in pondere, et in sollicitudine, et aquam in mensura, et in angustia bibent,* 17. *ut deficientibus pane, et aqua corruat unusquisque ad fratrem suum, et contabescant in iniquitatibus suis.* Baculus pro sustentaculo vitae tropice est positus.

CAPVT V.

Capitis, et barbae pilos rursus mandante Deo sibi Ezechiel radit, ex hisque aliam partem comburit, aliam gladio consecat, aliam in auras dispergit: Ex his deinde capillis, qui erant dispersi iterum cum aliquos collegisset, horum aliam partem rursus comburit, aliam ad cuspidem sui pallii ligat.

---

1. *ET tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum radentem pilos, et assumes eum, et duces per caput tuum, et per barbam tuam, et assumes tibi stateram ponderis, et divides eos.* 2. *Tertiam partem igni combures in medio civitatis, iuxta completionem dierum obsidionis:* postquam illos, quibus cubare debuit ad obsidionem designandam, et praemonstrandam, dies absolvisset: *et assumes tertiam partem, et concides gladio in circuitu eius;*

tertiam vero aliam disperges in ventum, et gladium nudabo post eos. 3. *Et sumes inde parvum numerum, et ligabis eos in summitate pallii tui.* 4. *Et ex eis rursum tolles, et proiicies eos in medio ignis, et combures eos igni, et ex eo egredietur ignis in omnem domum Israel.* „Aenigma ca„pillorum, ait S. Hieronymus, in tres partes divi„sorum ipse Dominus edisserit per Prophetam di„cens; *Tertia tui pars peste morietur, et fame* „*consumetur in medio tui* (infra versu 12.) famem, „et pestilentiam ignem esse significans: *Et tertia* „*tui pars gladio cadet in circuitu tuo*, foris cae„des, ac bella describens, *Tertiam vero*, inquit, „*partem tuam in ventum dispergam*, esse eos de„monstrans, qui ducendi sunt in captivitatem. Post „quos dicit se nudare, vel effundere gladium suum, „ut nec captivitas sit novissimum malorum, su„mereque de ipsis dispersis, atque captivis, et „ligare in summitate pallii sui eos, qui de captivi„tate redituri sunt in Jerusalem, et ex ipsis quo„que tollere aliquam partem, et igni, flammaque „consumere, significans Macedonas, sub quibus „habitatores Judaeae, et praecipue Jerusalem dura „perpessi sunt. Quod autem dicit: *Ex eo* id est, „populo Judaeorum, sive iuxta Septvaginta: *ex* „*ea*, ut subaudiatur urbe Jerusalem, *egredietur* „*ignis in omnem domum Israel*, Machabaeorum „narrat historia, quod quaedam pars Judaeorum „se tradiderit Antiocho Epiphani, et eum ad per„secutionem populi concitaverit, et multa alia,

„quae in eadem scribuntur historia, et in Josephi „voluminibus, praecipueque dissensione Hircani, „et Alexandri, per quorum occasionem Cneus „Pompeius cepit Jerusalem, et Romanae ditioni „subdidit, posteaque sub Tito, et Vespasiano urbs „capta est, templumque subversum: et post quin„quaginta annos sub Aelio Hadriano usque ad so„lum incensa civitas, atque deleta est, ita ut pri„stinum quoque nomen amiserit." Illi igitur, qui ligati in pallio remanserunt, significant eos, quos ex illis, qui redierunt ex captivitate, sibi Deus stabiliter, et firmiter adiunxit, et qui credentes in Christum Dei populus effecti, salutemque adepti sunt; alii autem ex pallio capilli igni traditi, et isto suo igne incendentes domum universam Israel, sunt, qui non credendo in Christum et seipsos perdiderunt, et cum seditiones adversus Romanos excitassent, perdiderint totam nationem igne ferroque vastati per Titum, et Vespasiannm, et iterum per Imperatorem Hadrianum, eiectique atque expulsi sua regione, atque serviliter venditi, dispersique per totum orbem.

5. *Haec dicit Dominus Deus: Ista est Jerusalem, in medio gentium posui eam, et in circuitu eius terras.* 6. *Et contempsit iudicia mea, ut plus esset impia, quam gentes, et praecepta mea ultra, quam terrae, quae in circuitu eius sunt. Judicia enim mea proiecerunt, et in praeceptis meis non ambulaverunt.* 7. *Idcirco haec dicit Dominus Deus: quia superastis gentes, quae in cir-*

cuitu vestro sunt, et in praeceptis meis non ambulastis, et iudicia mea non fecistis, et iuxta iudicia gentium, quae in circuitu vestro sunt, non estis operati: „Quum etiam omnes in circuitu „nationes, verba sunt S. Hieronymi, viceritis scelere vestro, et non feceritis, quae illi naturali lege, scripta in cordibus suis, saepe fecerunt:"
8. *ideo haec dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, et ipse ego faciam in medio tui iudicia in oculis gentium:* 9. *et faciam in te, quod non feci, et quibus similia ultra non faciam propter omnes abominationes tuas.* 10. *Ideo patres comedent filios in medio tui, et filii comedent patres suos, et faciam in te iudicia, et ventilabo universas reliquias tuas in omnem ventum.* 11. *Idcirco, vivo ego, dicit Dominus Deus, nisi pro eo, quod sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, et in cunctis abominationibus tuis, ego quoque confringam, et non parcet oculus meus, et non miserebor.* 12. *Tertia pars tui peste morietur, et fame consumetur in medio tui; et tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo; tertiam vero partem in omnem ventum dispergam, et gladium evaginabo post eos.* 13. *Et complebo furorem meum, et requiescere faciam indignationem meam in eis, et consolabor, et scient, quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cum implevero indignationem meam in eis.* Consolatio illa intelligitur, quando satisfit animo, qui vindictam expetit de hostibus; et capiendo ultionem lenitur illius

dolor: quemadmodum etiam in Isaia cap. 1. v. 24. „ est: „ Heu consolabor super hostibus meis, et „ vindicabor de inimicis meis." 14. *Et dabo te in desertum, et in opprobrium gentibus, quae in circuitu tuo sunt, in conspectu omnis praetereuntis.* 15. *Et eris opprobrium, et blasphemia, exemplum, et stupor in gentibus, quae in circuitu tuo sunt, cum fecero in te iudicia in furore, et in indignatione, et in increpationibus irae.* 16. *Ego Dominus locutus sum: quando miseras sagittas famis pessimas in eos, quae erunt mortiferae, et quas mittam, ut disperdam vos, et famem congregabo super vos, et conteram in vobis baculum panis,* 17. *et immittam in vos famem, et bestias pessimas usque ad internecionem, et pestilentia, et sangvis transibunt per te, et gladium inducam super te, ego Dominus locutus sum.*

CAPVT VI.

Judaeae montibus facie ad eos conversa devastationem praedicit.

1. *ET factus est sermo Domini ad me dicens:* 2. *Fili hominis, pone faciem tuam ad montes Israel, et prophetabis ad eos,* 3. *et dices: Montes Israel audite verbum Domini Dei: haec dicit Dominus Deus montibus, et collibus, rupibus, et vallibus: Ecce ego inducam super vos gladium, et disper-*

dam excelsa vestra, 4. *et demoliar aras vestras, et confringentur simulacra vestra, et deiiciam interfectos vestros ante idola vestra*, 5. *et dabo cadavera filiorum Israel ante faciem simulacrorum vestrorum, et dispergam ossa vestra circum aras vestras* 6. *in omnibus habitationibus vestris. Urbes desertae erunt, et excelsa demolientur, et dissipabuntur, et interibunt arae vestrae, et confringentur, et cessabunt idola vestra, et conterentur delubra vestra, et delebuntur opera vestra.* 7. *Et cadet interfectus in medio vestri, et scietis, quia ego sum Dominus.* 8. *Et relinquam in vobis eos, qui fugerint gladium in gentibus, cum dispersero vos in terris.* Relinquam in vobis, in montibus scilicet Judaeae, ad hos enim fit sermo, qui Chaldaeorum gladium evitaverint fugiendo ad alias regiones, quique soli postea incolent eosdem illos Judaeae montes, cum hi fuerint dispersi, hoc est cum Judaei, qui hos modo adhuc montes incolunt, fuerint dispersi per terras, ad quas captivi ducentur. Nam ne illae quidem reliquiae, quas Chaldaei ultro manere voluerunt in Judaea, ne regio eorum penitus maneret vacua, et absque colono, perstiterunt, sed demigrarunt in Aegyptum. Jeremiae 43. v. 4.

9. *Et recordabuntur mei liberati vestri in gentibus, ad quas captivi ducti sunt, quia contrivi cor eorum fornicans, et recedens a me, et oculos eorum fornicantes post idola sua, et displicebunt sibimet super malis, quae fecerunt in universis*

sis abominationibus suis, 10. *et scient, quia ego Dominus non frustra locutus sum, ut facerem eis malum hoc.* Liberati isti ex illis, qui erant dispersi, iidem illi intelliguntur, qui per capillos repraesentabantur, qui ligati ad pallium sunt, in eoque stabiliter manserunt, ut fuit capite antecedente. 11. *Haec dicit Dominus Deus: percute manum tuam, et allide pedem tuum, et dic: heu ad omnes abominationes malorum domus Israel, quia gladio, fame, et peste ruituri sunt.* Complosio manuum, et allisio pedum consternationis signum est: quo illud: *Heu* Hebraice *ach* (אָח) etiam pertinet. Chaldaeus sic luculentius posuit: *Complode manu tua, et allide pede tuo, et dic: Vae super omnes abominationes malas domus Israel, quia in gladio, in fame, et peste ruent.* 12. *Qui longe est, peste morietur, qui autem prope, gladio corruet:* „Qui obsidionem urbis effugerit, ait S. „Hieronymus, et ad deserta migraverit, peste mo„rietur; qui prope fuerit, cadet hostium gladio:“ *et qui relictus fuerit, et obsessus, fame morietur: et complebo indignationem meam in eis.* 13. *Et scietis, quia ego Dominus, cum fuerint interfecti vestri in medio idolorum vestrorum, in circuitu ararum vestrarum, in omni colle excelso, et in cunctis summitatibus montium, et subtus omne lignum nemorosum, et subtus universam quercum frondosam, locum, ubi accenderunt thura redolentia universis idolis suis.* 14. *Et extendam manum meam super eos, et faciam terram desolatam,*

et destitutam a deserto Deblatha in omnibus habitationibus eorum, et scient, quia ego Dominus. Hoc desertum dicit S. Hieronymus fuisse in terra Emath, hoc est in Syria. Idem docet fuisse opinionem multorum, hanc Deblatham eamdem esse cum Reblatha, sola primarum literarum R, et D, *Resch*, et *Daleth*, quae similes admodum inter se sunt apud Hebraeos, permutatione. Memoratur autem ab Jeremia cap. 48. v. 22. Deblatha inter Moabiticae regionis civitates, itemque Numerorum 33. v. 46. eius mentio fit. Quare, quid impedit, ne hoc desertum ex illa Moabiticae regionis parte situm fuisse intelligatur, quin ad literarum factam alicuius vitio in scribendo permutationem recurratur, isteque terminus hic modo a Propheta assumptus sit, unde doceat, Deum manum suam esse ducturum super Judaeae montes, ut eos vastet desoletque.

CAPVT VII.

Continuatur adversus Judaeam de eius desolatione, quam Deus decreverit, et quae executioni mandanda sit proxime, praedictio.

1. *ET factus est sermo Domini ad me dicens:*
2. *Et tu fili hominis, haec dicit Dominus Deus terrae Israel: finis venit, venit finis super quatuor plagas terrae.* Ellipsis est verbi initio versus

secundi. Syrus sic plenius posuit: *Fuit ad me sermo Domini dicendo: tu vero fili hominis, dicito: Sic ait Dominus dominorum: advenit finis super terram Israelis, et advenit exitium super quatuor terrae oras.* Quatuor autem orae, et plagae eiusdem Israeliticae terrae intelliguntur. 3. *Nunc finis super te, et immittam furorem meum in te, et iudicabo te iuxta vias, et ponam contra te omnes abominationes tuas,* 4. *et non parcet oculus meus super te, et non miserebor: sed vias tuas ponam super te, et abominationes tuae in medio tui erunt, et scietis, quia ego Dominus.* Viae intelliguntur pravae illius actiones, quarum poenas Deus ei impositurus sit, itemque poenae illius abominationum in medio eius erunt, hoc est comprehendent ipsam, et pervadent intime. 5. *Haec dicit Dominus Deus: afflictio una, afflictio ecce venit.* Hic quoque antecedens adiectivum: *una,* intelligitur: dum substantivum nomen *afflictio* repetitur; et quasi ita esset: afflictio una, afflictio una ecce venit. Haec vero afflictio una eiusmodi esse intelligitur, quae sit interneciva, quaeque sola rem peragat, quin opus sit aliarum plagarum auxilio, ut is, qui percutitur, pereat. Quo eius vis, et magnitudo exprimitur. Hoc modo Abisai, cum tranfigere paratus fuisset Saulem, dicebat ad Davidem: „Perfodiam eum lacea in terra semel, „et secundo opus non erit." 1. Reg. 26. v. 8. Itaque afflictio haec una, altero deinde versu finis vocatur. 6. *Finis venit, venit finis, evigilavit*

adversum te: ecce venit. 7. *Venit contritio super te, qui habitas in terra: venit tempus, prope est dies occisionis, et non gloriae montium:* Hebraice: *et non festivus clamor montium* (וְלֹא הֵד הָרִים) Intelligitur vero laetus clamor, quo montes personant in vindemia. In huius ergo exultationis, et laetitiae in montibus locum, dicit successurum esse alium clamorem, qualis est tempore cladis, et dum hostes bachantur in caede.

8. *Nunc de propinquo effundam iram meam super te, et complebo furorem meum in te, et iudicabo te iuxta vias tuas, et imponam tibi omnia scelera tua* „Si a quinto anno transmigrationis „regis Jechoniae (verba sunt S. Hieronymi, et tunc „orsus est suas prophetias Ezechiel cap. 1. v. 2.) „usque ad nonum annum regni Sedeciae, quando „venit Nabuchodonosor, et obsedit Jerusalem, „supputare voluerimus, tres anni erunt medii. " Merito igitur dicitur in propinquo esse iam Dei iram, quam is effusurus super Jerusalem sit. 9. *Et non parcet oculus meus, nec miserebor, sed vias tuas imponam tibi, et abominationes tuae in medio tui erunt, et scietis, quia ego sum Dominus percutiens.* 10. *Ecce dies, ecce venit: egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia.* 11. *Iniquitas surrexit in virga impietatis.* Iniquitas eorum comparatur cum arborum germine: quod cum more arborum primum floruisset, et propagines ex se emisisset, quodque idem germen virgam vocat superbiae; in hoc deinde eodem ger-

mine, et virga fructus se exhibuerit iniquitatis. Fit igitur allusio eo, quod sicut fructus, dum maturi sunt, colliguntur ex arbore; ita postquam maturuit iam, et ad summam provectionem pervenit ipsorum iniquitas; huius suae impietatis fructum iam percipere, et sentire per poenas debeant. *Non ex eis, et non ex populo, neque ex sonitu eorum, et non erit requies in eis.* Non ex eis, et non ex populo aliquis erit, ad quem non iste fructus perventurus sit: neque item ex sonitu eorum aliquis excipietur, hoc est, ex iis, qui modo adhuc iucunditati, et laetitiae dant operam, qui canunt, et choreas agunt; omnibus his non futuram requiem, sed brevi esse exagitandos tumultu alio.

12. *Venit tempus, appropinquavit dies: qui emit, non laetetur; et qui vendit, non lugeat; quia ira super omnem populum eius.* „Naturale „est, ait S. Hieronymus, in possessionum emptio„ne laetari, in venditione lugere. Cum autem in„stet servitus, atque captivitas; et gaudium, et „tristitia in utroque sunt vana." 13. *Quia qui vendit, ad id, quod vendidit, non revertetur, et adhuc in viventibus vita eorum. Visio enim ad omnem multitudinem eius non regredietur, et vir in iniquitate vitae suae non confortabitur.* Anno quolibet quinquagesimo, qui Jubilei annus vocabatur, possessiones fundorum ad suos pristinos dominos redibant, etiamsi ante fuissent venditae, Levitici 25. v. 10. Quamvis ergo superstites ii adhuc essent, et in viventibus vita eorum, qui fun-

dos suos vendidissent; tamen negat Propheta futurum, ut illi redeant ad suos fundos, etiamsi quinquagesimus ille annus advenisset, utpote ultra quem duraret captivitas. Atque hanc visionem Propheticam de ista ratione fundorum, et possessionum, quas amissuri essent, quaeque dirigeretur ad totam populi multitudinem, dicit non esse regressuram, hoc est non futuram cassam, et inanem. Estque metaphora inde desumpta, dum aliquis negotii alicuius causa aliquo mittitur; is vero infecto eo redit. Tali ergo modo dicitur haec visio, ad omnem populi multitudinem missa, non esse reditura. Quo modo etiam apud Isaiam cap. 55. v. 11. Deus dicit: „Sic erit verbum meum, quod egredietur de „ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed fa„ciet, quaecumque volui, et prosperabitur in his, „ad quae misi illud.“ „Quomodo, ait S. Hie„ronymus, possessio non revertetur ad priorem „dominum eversione urbis instante; sic visio, et „comminatio prophetalis, quae ad omnem multi„tudinem urbis dirigitur, nequaquam regredietur, „et irrita fiet, sed rebus explebitur, viventibus „adhuc his, ad quos prophetalis sermo dirigitur. „Hoc autem ait, ut ostendat imminentem captivi„tatem, ne secundum consvetudinem dicerent: „Visio haec in longos dies erit, et post tempora „multa complebitur.“

14. *Canite tuba, praeparentur omnes, et non est, qui vadat ad praelium. Ira enim mea super universum populum eius.* „Jubentur per ironiam

„hi, ait S. Hieronymus, qui huic officio manci-„pati sunt, tuba clangere, ut omnes contra Baby-„lonium parentur exercitum. Sed nihil profuit im-„perasse, cum non sit in populo, qui audeat ad „bella procedere. Idcirco autem enervatus est po-„pulus, et caret viribus praeliandi, quia omnis „ira Dei super omnem multitudinem eius: sub-„auditur, urbis Jerusalem, sive terrae Judae-„ae.“ 15. *Gladius foris, et pestis, et fames intrinsecus: qui in agro est, gladio morietur; et qui in civitate, pestilentia, et fame devorabuntur.* 16. *Et salvabuntur, qui fugerint ex eis, et erunt in montibus, quasi columbae convallium omnes trepidi, unusquisque in iniquitate sua:* unusquisque propter iniquitatem suam: „Ut sub me-„taphora columbarum, ait S. Hieronymus, medi-„tantium, significet unumquemque de populo su-„um flere peccatum, et intelligere, atque sentire, „cur ista patiatur.“ 17. *Omnes manus dissolventur, et omnia genua fluent aquis.* „Pavoris „magnitudine, ait S. Hieronymus, urina polluet „genua, nec valebit profluentes aquas vesica co-„hibere.“ 18. *Et accingent se ciliciis, et operiet eos formido, et in omni facie confusio, et in universis capitibus eorum calvitium.* In luctu evellebant sibi capillos. Inde sequebatur hoc calvitium. De hac evulsione capillorum iam etiam Isaiae 3. v. 24. et Jeremiae 48. v. 37. fuerunt documenta.

19. *Argentum eorum foras proiicietur, et aurum eorum in sterquilinium erit.* „Fuga, et ca-

„ptivitate cogente, ait S. Hieronymus, divitias, „et auri, argentique pondera proiicient in plateis, „suas tantum animas servare cupientes, ne sint „ponderi, quae prius fuere luxuriae.“ Pro sterquilinio est in Hebraeo vocabulum: *Niddah:* cuius propria significatione designatur aliquid, quod quis a se procul abiicit. Ideo deinde latius usurpatur etiam pro omni eo, quod sordidum est, et respuitur. Sensus igitur est Judaeos, dum de sua fuga erunt solliciti, abiecturos ab se aurum suum, et argentum, sicut abiici solent res sordidae. *Argentum eorum, et aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Animam suam non saturabunt, et ventres eorum non implebuntur, quia scandalum iniquitatis eorum factum est.* „Ideo inquit, S. Hieronymi sunt verba, possidentium aurum, et argentum nec anima saturabitur, „nec venter implebitur, quia hoc ipsum aurum, „et argentum scandalum scelerum eorum factum „est. Significat autem idola, quae auro, argen- „toque fabricata suos condemnant artifices.“ 20. *Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, et imagines abominationum suarum, et simulacrorum fecerunt ex eo: propter hoc dedi eis illud in immunditiam.* Explicat, qua ratione aurum, et argentum scandalum iniquitatis ipsis fuerit, dum eo, se ornando, ad superbiam abuterentur, et idola sibi fabric rent, quae adorabant. Ideo dicit Deus se se idem illud aurum et argentum dedisse in immunditiem: est idem

illud vocabulum in Hebraeo *Niddah*, quod etiam iam supra fuit, ut hoc illis tam adversum, et invisum fieret, ut illud ipsi a se, veluti rem vilissimam, abiicerent. 21. *Et dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, et impiis terrae in praedam, et contaminabunt illud.* Chaldaeos designari difficile non est perspectu. Isti ergo Judaeorum aurum, et argentum, et pretiosas illorum res dicuntur contaminaturi, dum ea videlicet ornamenta, in quibus illi fastum suum habuerunt, ad viliores usus adhiberent, et converterent, quod ab insolente hoste fieri in victoria solet, ut victis illudat. 22. *Et avertam faciem meam ab eis, et violabunt arcanum meum, et introibunt in illud emissarii, et contaminabunt illud.* „Quum inquit, verba sunt „S. Hieronymi, propter superiores causas abomi„nationum populi, avertero faciem meam ab eis, „et nequaquam eos dignos meis oculis iudicavero; „tunc violabunt arcanum meum, quod significat „Sancta sanctorum, et irrumpent in ea impii, et „pestilentes terrae, quae exceptis sacerdotibus, „soloque Pontifice nullus alius audebat intrare."

23. *Fac conclusionem: quoniam terra plena est iudicio sangvinum, et civitas plena iniquitate.* Pro conclusione in Hebraeo est *Rattok* (רַתּוֹק) significat vero vinculum, catenam, et generatim aliquid, quod ad constringendum alium pertinet. Cum ergo toto hoc capite Deus Ezechieli poenas exposuisset, quae venturae super Judaeos essent; modo iubet illum facere conclusionem, hoc est iubet il-

lum Dei sententiam enunciare de ipsis per has poenas comprehendendis, et constringendis. Quomodo etiam ad Jeremiam dixit Deus: „Eiice illos a „facie mea, et egrediantur“ Jerem. 15. v. 1. Qui Judaeos ipse utique non per se eiecit, sed tantum Dei sententiam illis annunciavit de ipsorum eiectione. *Quoniam terra plena est iudicio sangvinum:* iniquis nimirum iudiciis, et in quibus per iniquas iudicum sententias fusus est innocentium sangvis. Ad Manassis autem crudelitatem, et iniquitatem digitus potissimum intenditur, cuius scelera Deum permoverint, ut Jerosolymam illo supplicio plecteret, est supra demonstratum ad capitis 4. v. 6. 24. *Et adducam pessimos de gentibus, et possidebunt domos eorum, et quiescere faciam superbiam potentium, et possidebunt sanctuaria eorum.* 25. *Angustia superveniente requirent pacem, et non erit.* 26. *Conturbatio super conturbationem veniet, et auditus super auditum: et quaerent visionem de Propheta, et lex peribit a sacerdote, et consilium a senioribus.* „Venit conturbatio super conturba„tionem, sive vae super vae, ait S. Hieronymus, „et auditus veniet super auditum, nunciusque su„per nuncium, mala augens malis, et adpropinquan„tis Babylonii fremitum, turbamque describens.“ Ad prophetas autem, cum quibus Deus arcana communicaret, ad sacerdotes, quorum officium esset docere, et ad seniores, qui consilium possent dare, frustra tunc dicit illos recursum facturos, quibus nec Prophetae visionem aliquam, qua de suo

levamine certi fierent, exhibituri ullam essent, et quos nec sacerdotes docendi suo munere, nec seniores consilii sui dexteritate iuvare, praesidiumque illis adversus impendentem procellam ferre possent. Eatenus igitur haec omnia dicuntur peritura, quatenus apud hos omnes nullum reperturi pro se remedium sint, quo iuvari pessent. Nam legem simpliciter, et absoluta consideratione, eo minus potest dici periisse a sacerdotibus, quod ceteri etiam, qui ad captivitatem ducti sunt, ista non caruerint, quam iis ab Jeremia esse datam, dum abducerentur, est 2. Machab. 2. v. 2. Sicut ergo, dum consilium dicitur periturum a senioribus; illud tantum consilium intelligitur, quod tum usui in illo periculo esse posset; et dum visionem dicuntur quaesituri, visio tantum negatur eiusmodi, quae grata illis esset, nam omnino et Rex Sedecias, et populus, cum iam res esset etiam in summa desperatione, et quaesiverunt, et invenerunt apud Jeremiam prophetam visionem, Jeremiae cap. 37. v. 6. cap. 38. v. 1. sed sibi contrariam; ita negatur de sacerdotibus etiam, hos ea, quam haberent legis cognitionem, et scientiam, opis quidquam esse illis periclitantibus laturos. 27. *Rex lugebit, et princeps induetur moerere, et manus populi terrae conturbabuntur.* Manuum tremor intelligitur. Gravi enim metu concuti solet totum corpus. *Secundum viam eorum faciam eis, et secundum iudicia eorum iudicabo eos, et scient, quia ego Dominus.* Iudicium Hebraice, *Mischpath* pro more

etiam tantum, et consvetudine solet ab Hebraeis usurpari: istoque modo hic sumitur. Sensus igitur est, quemadmodum illi se se erga Deum gessissent, illumque suis sceleribus semper irritassent, et offendissent, ita Deum nunc illis vicem reddere istis poenis, quibus eos plecteret.

CAPVT VIII.

Ezechiel per visionem a Spiritu Dei rapitur, et perducitur Jerosolymam, ibique ei Deus ostendit abominationes, quas Judaei exercebant in templo.

1. *ET factum est in anno sexto, in sexto mense, in quinta mensis: ego sedebam in domo mea, et senes Juda sedebant coram me, et cecidit ibi super me manus Domini Dei.* Sextus hic annus intelligitur transmigrationis Jechoniae in Babyloniam, cuius annus quintus istius eiusdem rei memorabatur supra cap. 1. v. 2. Manus autem Dei significat illius hanc actionem, quam modo erga eum exercuit. 2. *Et vide, et ecce similitudo quasi adspectus ignis: ab adspectu lumborum eius, et deorsum ignis, et a lumbis eius et sursum, quasi adspectus splendoris, ut visio electri.* Hunc, qui apparuit in forma fuisse humana, perspicuum fit ex eo, quod lumbi eius memorentur, et staturae illius a lumbis tam sursum, quam deorsum ratio proponatur, praeterea sequenti versu manus etiam illius commemoretur. Quare Septvaginta similitu-

dinem hanc *similitudinem viri* ὁμοίωμα ἀνδρὸς luculentius verterunt. 3. *Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, et elevavit me Spiritus inter terram, et caelum, et adduxit me in Jerusalem in visione Dei iuxta ostium interius, quod respiciebat ad Aquilonem, ubi erat statutum idolum zeli ad provocandam aemulationem.* „ Quando dicit, verba sunt S. Hieronymi: „ *Adduxit me in Jerusalem in visione Dei*, ostendit se non corpore, sed in spiritu esse translatum." Idolum autem hoc idolum zeli non ideo vocatur, quod nomen hoc illius fuerit, aut is, quem in eo colerent, sic vocaretur; sed illo idolo constituto in templo Deum provocarent, ne hunc fictum deum, sibi aequiparari, suumque eo pollui templum, impune pateretur. „ Appellatur idolum zeli, ait S. „ Hieronymus, quia ad aemulationem, et zelum Domi„ num provocat." Baal autem idolum fuisse videtur, quodManasses in templo collocaverat, quodque, quamvis ab Josia sublatum esse dicatur 2. Paral. 34. v. 4. tamen ab regibus, qui successerunt, repositum iterum sit: siquidem sub Sedecia, qui ultimus rex fuit, tam ab hoc ipso rege, quam ab universis principibus sacerdotum, et a populo pollutam fuisse domum Domini, praevaricatosque iuxta universas abominationes gentium, idem secundi libri Paralipomenon Scriptor testetur cap. 36. v. 14.

4. *Et ecce ibi gloria Dei Israel secundum visionem, quam videram in campo.* Illa visio memoratur, cuius capite 1. facta est descriptio. 5. *Et*

dixit ad me: fili hominis, leva oculos tuos ad viam Aquilonis. Et levavi oculos meos ad viam Aquilonis. Et ecce ab Aquilone portae altaris idolum zeli in ipso introitu. 6. *Et dixit ad me: fili hominis, putasne, vides tu, quid isti faciunt, abominationes magnas, quas domus Israel facit hic, ut procul recedam a sanctuario meo? Et adhuc conversus videbis abominationes maiores.* 7. *Et introduxit me ad ostium atrii: et vidi, et ecce foramen unum in pariete.* 8. *Et dixit ad me: fili hominis fode parietem. Et cum fodissem parietem, apparuit ostium unum.* 9. *Et dixit ad me: ingredere, et vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic.* 10. *Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium, abominatio, et universa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum.* 11. *Et septvaginta viri de senioribus domus Israel, et Jezonias filius Saphan stabat in medio eorum, stantium ante picturas, et unusquisque habebat thuribulum in manu sua, et vapor nebulae de thure consurgebat.* 12. *Et dixit ad me: certe vides fili hominis, quae seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubiculi sui. Dicunt enim: non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.* Picturae hae sunt Ezechieli exhibitae a Deo in templo, thurisque, quae fiebat ab illis senioribus, sacrificatio. Sed iubetur Propheta cogitare, quid illi domi, et clam faciant, qui talia auderent palam, et in templo. „Ex eo inquit,

„S. Hieronymi sunt verba, quod in templo faci-„unt pariter congregati, ostenditur, quid unus-„quisque in cubiculo suo faciat."

13. *Et dixit ad me: adhuc conversus videbis abominationes maiores, quas isti faciunt.* 14. *Et introduxit me per ostium portae domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem: et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.* Fuit Adonis Cynarae Cypriorum regis filius, ut est apud Macrobium lib. 1. Saturnal. cap. 26. et Ovidium l. 10. Metamorph. et Veneris amasius. Quem cum aper interfecisset, eum Venus deploravit, sed redivivum iterum postea recepit. In huius igitur casus memoriam eae feminae, quae Veneris cultui erant addictae, Adonidem et mortuum primo planxerunt, et eumdem postea, quasi revocatum ad vitam, cantu, et laetitia celebrarunt, ut hunc talem morem etiam S. Hieronymus memorat, et describit in suo Commentario.

15. *Et dixit ad me: Certe vidisti, fili hominis. Adhuc conversus videbis abominationes maiores his.* 16. *Et introduxit me in atrium domus Domini interius. Et ecce in ostio templi Domini inter vestibulum, et altare, quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra templum Domini, et facies ad Orientem, et adorabant ad ortum solis.* 17. *Et dixit ad me: certe vidisti, fili hominis: numquid leve est hoc domui Juda, ut facerent abominationes istas, quas fecerunt hic, quia replentes terram iniquitate conversi sunt ad irritan-*

dum me? Et ecce applicant ramum ad nares suas. Cum hoc isti fecerint, qui orientem solem adorarunt, soli autem, qui alio nomine Phoebus, vel Apollo fuit dictus, sacra fuerit inter arbores laurus; huius frondes verisimile est illos in manibus gestasse, sibique ad nares superstitiose applicavisse. Mos enim erat iste gentilium, ut ramis, et foliis illarum arborum se se etiam inter sacrificandum coronarent, quae deo ei sacrae essent, cui sacrificarent. Quare etiam 2. Machab. 6. v. 7. est, ab Antiocho rege Judaeos in Bachi festo fuisse compulsos, ut hedera, quae Bacho sacra erat, coronati circumirent. 18. *Ergo et ego faciam in furore. Non parcet oculus meus, nec miserebor; et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.*

CAPVT IX.

Post ostensa sibi Judaeorum flagitia, in templo vidit angelum, qui Dei iussu eos, qui alieni essent ab idololatria, signavit litera Thau in fronte; alios vero sex, qui reliquos omnes, non insignitos hac nota, interfecerunt.

1. *ET clamavit in auribus meis voce magna, dicens: Appropinquaverunt visitationes urbis, et unusquisque vas interfectionis habet in manu sua.* Clamavit in auribus meis, idem nimirum Deus, qui modo superiore capite verba fecerat. Dicebat

autem

autem, appropinquasse dies visitationis urbis, hoc est: venisse tempus, quo urbs puniatur. Nam sic visitationis vocabulum in Scriptura sumi, iam saepe alias exempla fuerunt. Quare Septvaginta pro visitatione *ultionem* (ἐκτίκησιν) transtulerunt. *Unusquisque vas interfectionis habet in manu sua:* illorum nimirum quisque, per quos Deus hanc visitationem faceret, et quibus hoc negotium exercendae ultionis committeret. Prodeunt autem statim deinde hi, qui a Deo constituti essent ad peragendam hanc visitationem. Vas interfectionis idem est, quod instrumentum interfectionis more Hebraeorum loquendi. 2. *Et ecce sex viri veniebant de via portae superioris, quae respicit ad Aquilonem, et uniuscuiusque vas interitus in manu eius. Vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis, et atramentarium scriptoris ad renes eius: et ingressi sunt, et steterunt iuxta altare aereum.* Altare hoc aeneum in templi atrio stabat, ubi mactabantur, et cremabantur victimae. 3. *Et gloria Domini Israel assumpta est de Cherub, quae erat super eum ad limen domus, et vocavit virum, qui indutus erat lineis, et atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis.* Gloria Domini Israel assumpta est de Cherub, hoc est, Deus, qui vehebatur illis quatuor Cherubinis, priusque in humiliore templi loco consistebat, nunc se elevavit altius, et super limen templi se collocavit: neque tamen hoc ita concipiendum est, quasi illos Cherubinos, quibus vehebatur, quibusque

solium illud, in quo sedebat Deus, insistebat, ut est demonstratum capite 1. deseruisset, sed Deo se elevante, ipsa etiam animalia una esse secuta, utpote quorum officium esset sustinere, et vehere Deum.

4. *Et dixit Dominus ad eum: transi per medium civitatem in medio Jerusalem, et signa Thau super frontes virorum gementium, et dolentium super cunctis abominationibus, quae fiunt in medio eius.* Litera Thau est ultima in alphabetho Hebraico. „Hebraei autumant, ait S. Hieronymus, „quia lex apud eos appellatur *Thora*, quae hac „in principio nominis sui litera scribitur, illi hoc „accepere signaculum, qui legis praecepta com-„pleverant. Et ut ad nostra veniamus, antiquis „Hebraeorum literis, quibus usque hodie utuntur „Samaritani, extrema *Thau* litera crucis habet „similitudinem, quae in Christianorum frontibus „pingitur, et frequenti manus inscriptione signa-„tur.“ Haec S. Hieronymus transsumpsit ex Origene. Quod eo pertinet a me adnotatum, ut intelligatur ritus istius apud Christianos se se Cruce signandi antiquitas. Non habet autem iam modo litera Thau figuram crucis etiam in Alphabetho Samaritano. At vero olim talem eius formam fuisse, ostendunt antiqui nummi a Rhenferdio producti, qui omnino decussatae crucis figuram praeseferunt, quam eiusmodi formam istius literae in antiquis Samaritanorum, atque adeo etiam Hebraeorum literis agnoscit quoque Rabbi Azarias in *Meorennaiim*. Nec vero homini Christiano, qui mysterium Redemptionis

agnoscit, quod in Cruce peractum est, et per quam Crucem, eumque, qui in illa mortuus est, a morte liberamur, qui in eumdem mortuum Christum credimus, fidemque hanc profitemur, et quasi, quid credamus in fronte exhibemus, non inquam nobis, qui initiati hac fide sumus, difficile perspectu est, quid inscriptio istius literae, quae signum gereret Crucis, quamque Propheta vidit inscribi in frontibus eorum, qui servandi erant a morte, significaverit, et cuius rei typus fuerit. Nam etiam aeneus ille serpens, quem Moyses erexit, et pro signo collocavit, quemque qui adspiciebant, a morte servabantur, quam igniti serpentes suis morsibus afferebant; figuravit eumdem Christum mortuum in Cruce. „Sicut enim Moyses exaltavit „serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium „hominis: ut omnis, qui credit in ipsum, non „pereat, sed habeat vitam aeternam." Joan. 3. v. 14. Signatio igitur literae Thau in fronte designabat fidem in Christum, quam quisque deberet profiteri, qui evadere vellet exitium, et quod Judaei omnes subirent, quicumque hanc fidem non susciperent, quae est in Christum Crucifixum. Hi vero, qui signati fuerunt, omnes erant gementes, et dolentes super illis abominationibus, quas viderant perpetrari ab aliis. Qui istorum moeror rursus typice pertinuit ad illam tristitiam, quae Christianorum est in hoc mundo, eorum, qui non secundum carnem ambulant. Sic enim Christus dixit ad Apostolos: „Plorabitis, et flebitis vos, mun-

„dus autem gaudebit, vos autem contristabimini: „sed tristitia vestra vertetur in gaudium.“ Joan. 16. v. 20. Nam, si vere credimus in Christum, illius Crucifixi, et mortui formam induimus. „Consepulti „enim sumus cum illo per baptismum in mortem“ Rom. 6. v. 4. Et rursus ad Galatas 2. v. 19. „Christo confixus sum cruci. Vivo autem, iam non ego, „vivit vero in me Christus.“ Quomodo vero configimur Cruci Christi, quomodo ei commorimur? sic, ut idem docet Paulus ad Galatas 5. v. 24. „Qui autem sunt Christi, inquit, carnem suam „crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis.“ Haec est ergo illa crucifixio, haec mors cum Christo, sed quam deinde sequetur gloria, et immortalitas vitae dicente eodem Paulo: „Mortui estis, et „vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. „Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos „apparebitis cum ipso in gloria.“ Colos. 3. v. 3. Qui autem sunt inimici Crucis Christi, horum finis interitus; quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Philip. 3. v. 18.

5. *Et illis dixit audiente me: transite per civitatem sequentes eum, et percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini. 6. Senem, adolescentulum, et virginem, parvulum, et mulieres interficite usque ad internecionem. Omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidatis, et a sanctuario meo incipite.* Etiam Apocalypsis 7. v. 3. res istiusmodi accidit, ut cum angeli quatuor iam parati starent ad mundum percutiendum plagis; al-

ter angelus istos praecesserit, servosque Dei in fronte signaverit, quos illi deinde percussores angeli non attigerunt. A sanctuario autem iubet illos Deus incipere. Nam et S. Petrus dicit 1. Ep. 4. v. 17. „Tempus est, inquit, ut incipiat iudicium „a domo Dei.“ Et S. Paulus itidem in condemnatione, et in poenis defert primatum Judaeis prae gentilibus, et Graecis. „Tribulatio et angustia, inquit, in omnem animam hominis operantis ma„lum, Judaei primum, et Graeci.“ Rom. 2. v. 9 ut doceretur, eos, quos Deus dignatus maioribus beneficiis est, ut erant in veteri Testamento Judaei, in novo Christiani, dum lumen fidei receperunt, esse etiam in poenis anteponendos ceteris. *Coeperunt ergo a viris senioribus, qui erant ante faciem domus. 7. Et dixit ad eos: Contaminate domum, et implete atria interfectis: egredimini. Et egressi sunt, et percutiebant eos, qui erant in civitate.* Contaminanda domus ob eam rationem dicitur, quod cadaveribus esset polluenda, utpote, quae eos etiam, qui ea attingerent, vasaque in domo vulgari, ipsamque domum, in qua aliquis esset mortuus, immunditie afficerent. Numer. 19. v. 14. Sed contaminatio haec templi, cum interficerentur omnes, et soli illi servarentur, qui signum Thau haberent in fronte, subtiliore oculo considerata, denotabat ipsum illud, quod a Christo quoque dictum est ad Judaeos: „Ecce relinquetur vobis domus vestra de„serta.“ Math. 23. v. 38. Quam Deus sordidatam ab illis a se repudiaverit, sicut ipsa etiam

eorum abominatus est sacrificia Isa. 1. v. 13. Amos. 5. v. 21. omniaque illorum una cum ipsis proiecit, quando non receperunt Christum. 8. *Et caede completa remansi ego, ruique super faciem meam, et clamans aio: heu, heu, heu Domine Deus! Ergone disperdes omnes reliquias Israel, effundens furorem tuum super Jerusalem?* 9. *Et dixit ad me: Iniquitas domus Israel, et Juda magna est nimis valde, et repleta est terra sangvinibus, et civitas repleta est aversione. Dixerunt enim: dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt.* 10. *Igitur et meus non parcet oculus, neque miserebor: viam eorum super caput eorum reddam.* 11. *Et ecce vir, qui erat indutus lineis, qui habebat atramentarium in dorso suo, respondit verbum, dicens: feci, sicut praecepisti mihi.* Quod hic Latinus Interpres vertit: *in dorso eius*, est in Hebraeo rursus ita, sicut fuit superius versu 2. *ad lumbos eius.* (בְּמָתְנָיו)

CAPVT X.

E medio rotarum, quae agebantur a Cherubinis, ignis acceptus effunditur super Jerusalem. Nubes implet atrium templi, Cherubim elevantur, et volant, rotaeque illos sequuntur.

1. E*T vidi, et ecce in firmamento, quod erat super caput Cherubim, quasi lapis saphirus, quasi species similitudinis solii apparuit super ea.* Eadem

haec species iam se obtulerat Ezechieli etiam capitis 1. versu 26. 2. *Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis, et ait: ingredere in medio rotarum, quae sunt subtus Cherubim, et imple manum tuam prunis ignis, quae sunt inter Cherubim, et effunde super civitatem.* Is, qui sedebat in throno dixit hoc, mandatumque istud de prunis proiiciendis super civitatem Jerusalem dedit eidem illi, qui frontes gementium superiore capite litera Thau signaverat. *Ingressusque est in conspectu meo.* Ille vir lineis indutus, cui mandatum erat, ut acciperet ignem, et funderet super Jerusalem. 3. *Cherubim autem stabant a dextris domus, cum ingrederetur vir, et nubes implevit atrium interius.* 4. *Et elevata est gloria Domini desuper Cherub ad limen domus, et repleta est domus nube, et atrium repletum est splendore gloriae Domini.* 5. *Et sonitus alarum Cherubim audiebatur usque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis.* Vox omnipotentis Dei significat hic tonitrum, ut hunc ipsum locum etiam Symmachus, et Theodotio vertit, et quod hoc modo iam etiam supra fuit capitis 1. v. 24. Sonitus ergo alarum, dum incederent animalia fragori, qualem tonitrus edit, comparatur.

6. *Cumque praecepisset viro, qui indutus erat lineis, dicens: sume ignem de medio rotarum, quae sunt inter Cherubim; ingressus ille stetit iuxta rotam.* 7. *Et extendit Cherub manum de medio Cherubim ad ignem, qui erat inter Cherubim, et*

sumpsit, et dedit in manus eius, qui indutus erat lineis. Qui accipiens egressus est. De medio Cherubim extendit Cherub manum, nempe unus ex illis quatuor, sumptumque ignem e medio suo dedit ei, qui lineis erat indutus, hicque illo accepto egressus est ex atrio interiore, ubi stabant Cherubini, et ubi gloria super eos erat Domini. Procul dubio autem exivit, et abiit, ut, quod sibi habebat mandatum fundendi ignem super Jerusalem datum, exsequeretur. Est ad caput primum demonstratum per Cherubinica haec animalia designatum esse Evangelium, eiusque propagationem per mundum. Christus autem tamquam lapis fundamentalis positus in Sion, unde initium factum est praedicationis Evangelicae, lapis fuit offensionis Judaeis, et petra scandali. Isa. 8. v. 14. 1. Petri 2. v. 8. Idcirco ignis ex ipso Cherubinorum medio acceptus, perque ipsum Cherubinum datus, et unde illuminarentur alii, fuit in ipsorum, urbisque Jerusalem perniciem: idemque, qui alios signaverat litera Thau, ut in vita servarentur, super alios, totamque urbem ignem fudit: quia idem Christus fuit positus et in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel. Luc. 2. v. 34. Deinde est hic illud considerandum versu 3. dum ille ignis acciperetur, dici atrium interius esse impletum nube, et rursus, dum se gloria Dei elevavisset super limen domus, domum esse repletam nube, atrium autem esse repletum splendore gloriae Domini. Ergo domus intelligitur idem illud, quod fuit atrium inte-

rius. Hoc autem, quod repletum est splendore gloriae Domini, fuit atrium exterius. Neque enim in unum idemque atrium cadit, ut eodem tempore et obscuratum nube, et illustratum fulgore Divinae gloriae fuerit. Quid vero aliud hoc designabat, nisi hoc, cum Christus venerit, lumenque illius Evangelii lucere in mundo coeperit; illos, qui viciniores erant ad Christum, illiusque promissionem habebant, esse excaecatos; illos, qui longius distabant, esse eodem illo Evangelii lumine illuminatos, istisque splendorem Divinae gloriae fulsisse prae illis? Quo illud quoque pertinet, quod gloria Dei super limen portae se elevaverit, tamquam scilicet deserens illos, qui erant in interiore atrio, atque procedens ad eos, qui erant foris, lumenque notitiae Divinae, quod erat communicatum in priore testamento cum Judaeis, ostenderetur iam deinde per Christum esse proferendum, et fundendum per totum reliquum mundum solis Judaeis relictis in nube, et nebula, atque hoc eo magis, quod deinde haec eadem gloria, quae se modo super limen levavit, prorsus sit egressa extra limen templi: (infra versu 18.) „Relinquetur vobis domus vestra „deserta.“ Matth. 23. v. 38.

8. *Et apparuit in Cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum.* 9. *Et vidi, et ecce quatuor rotae iuxta Cherubim: rota una iuxta Cherub unum, et rota alia iuxta Cherub unum. Species autem rotarum erat quasi visio lapidis chrysolithi.* In Hebraeo est *lapis Tharsis.* (אבן־תרשיש)

Viridis ergo, et marinus color intelligitur. Hoc de rotis, earumque isto colore iam fuit etiam capitis 1. v. 16. Itemque reliqua fere omnia congruunt cum illa tam Cherubinorum, quam ceterarum rerum in hac visione apparitione, quae descripta est eodem illo capite primo. 10. *Et adspectus earum similitudo una quatuor: quasi sit rota in medio rotae.* 11. *Cumque ambularent, in quatuor partes gradiebantur, et non revertebantur ambulantes; sed ad locum, ad quem ire declinabat, quae prima erat; sequebantur et ceterae, nec convertebantur.* Hoc itidem de rotis, et earum motu per quatuor partes, servationeque directionis in cursu fuit versu 17. eiusdem capitis primi. 12. *Et omne corpus earum, et colla, et manus, et pennae, et circuli plena erant oculis in circuitu quatuor rotarum.* Hebraice: *Et omnis caro eorum.* (וְכָל־בְּשָׂרָם) Itaque de Cherubinis est, item colla, manus, et pennae de iisdem sunt intelligenda, omnia fuisse plena oculis: circuli vero sunt de rotis, qui itidem rotarum maximi, atque extimi circuli referti fuerint per totum suum circuitum oculis. Hoc de animalibus, fuisse haec quoque undique oculata, non fuit in eorum descriptione, quae est capite 1. Ad idem vero significandum procul dubio pertinent etiam in illis oculi, quod oculi designant in rotis: nisi quod oculi in rotis designent lumen, quo pro se videant; in animalibus autem, cum ipsa quoque illuminata Dei lumine sint; hoc lumen non sibi servent, sed effundant in rotas. Explicatio capitis primi huc

etiam ad intelligendum debet praebere lumen, nec hoc intelligi absque illo potest.

13. *Et rotas istas vocavit volubiles audiente me.* Is, qui sedebat in firmamento, quod capitibus Cherubinorum imminebat, hoc de rotis pronunciavit. 14. *Quatuor autem facies habebat unum: facies una, facies Cherub; et facies secunda, facies hominis; et in tertio facies leonis, et in quarto facies aquilae.* Quandoquidem haec animalia nunc eadem sint, quae Ezechiel capite 1. vidit, ut hoc ipse declarat versu sequente; ibi autem facies una fuerit bovis, quam hic solam praetermittit, sequitur, quam hic faciem Cherub vocat, positam esse pro facie bovis, ponendo generale nomen Cherubinicae faciei pro facie una bovis Cherubinica in specie. Alias enim non prodirent eaedem illae quatuor facies, quae in animalibus fuerunt capite primo, nec proinde eadem manerent animalia. „Unam autem „faciem appellavit Cherub, ait S. Hieronymus, „pro qua supra dixerat: facies vituli. Ex quo in„telligitur faciem Cherub esse faciem vituli.“ Hic vero illud: *in tertio, in quarto* sic positum est, quasi in tertio, et quarto animali. Sed non esse hoc de animali distincto sumendum, sed de tertio, et quarto faciei loco, et parte, ex initio huius eiusdem versus intelligitur, ubi manifeste dicitur, quodlibet animal habuisse facies quatuor.

15. *Et elevata sunt Cherubim. Ipsum est animal, quod videram iuxta fluvium Chobar.* 16. *Cumque ambularent Cherubim, ibant pariter et rotae*

iuxta ea: et cum elevarent Cherubim alas suas, ut exaltarentur de terra, non residebant rotae, sed et ipsae iuxta erant. 17. *Stantibus illis stabant, et cum elevatis elevabantur. Spiritus enim vitae erat in eis.* 18. *Et egressa est gloria Domini a limine templi, et stetit super Cherubim.* 19. *Et elevantia Cherubim alas suas exaltata sunt a terra coram me: et illis egredientibus rotae quoque subsecutae sunt, et stetit in introitu portae domus Domini orientalis:* animal stetisse, in numero singulari dicitur, prout sic animal vocatur etiam versu subsequente, tametsi quatuor fuerint: *et gloria Dei Israel erat super ea.* 20. *Ipsum est animal, quod vidi subter Deum Israel iuxta fluvium Chobar, et intellexi, quia Cherubim essent.* 21. *Quatuor vultus uni, et quatuor alae uni, et similitudo manus hominis sub alis eorum.* 22. *Et similitudo vultuum eorum, ipsi vultus, quos videram iuxta fluvium Chobar, et intuitus eorum, et impetus singulorum ante faciem suam ingredi.* Hoc est, iste erat intuitus, et haec directio vultus, impetusque atque nisus, ut ante faciem suam, id est, secundum ductum faciei suae progrederentur, atque ut in anteriorem semper partem tenderent. Est hic rursus illa adhuc observatio, gloriam Domini esse egressam de templo, stetisse vero postea rursum in introitu portae illius orientalis, quo intelligeretur et discessisse eam ab Judaeis, et ad eiusdem verae Religionis cultum, qui ablatus est Judaeis, ab orientali parte, ponendo principem plagam mundi gene-

ratim pro ceteris, esse in eorum locum introductos alios. Itaque hoc figurabatur, quod dictum est a Christo: ,,Multi ab Oriente, et Occidente venient, ,,et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob ,,in regno caelorum: filii autem regni eiicientur in ,,tenebras exteriores.“ Math. 8. v. 11.

CAPVT XI.

In introitu portae orientalis templi viginti quinque viris, sibi per visionem exhibitis, Ezechiel iussu Dei vaticinatur, ut non more carnium in lebete, quod ipsi dicebant, in Jerusalem coquantur, sed abducti extra eius fines pereant. Ex Judaeis, qui iam abducti in captivitatem fuerunt, declarat Deus se se iterum restauraturum suum populum, eisque cor carneum daturum, ut eum timeant.

1. *ET elevavit me spiritus, et introduxit me ad portam domus Domini orientalem, quae respicit ad solis ortum. Et ecce in introitu portae viginti quinque viri. Et vidi in medio eorum Jezoniam filium Azur, et Pheltiam filium Banajae, principes populi.* 2. *Dixitque ad me: fili hominis, hi sunt viri, qui cogitant iniquitatem, et tractant consilium pessimum in urbe ista,* 3. *dicentes: Nonne dudum aedificatae sunt domus? Haec est lebes, nos autem carnes.* 4. *Idcirco vaticinare de eis, vaticinare fili hominis.* 5. *Et irruit in me spiritus Domini, et dixit ad me: loquere: Haec*

dicit Dominus: sic locuti estis domus Israel, et cogitationes cordis vestri ego novi. 6. Plurimos occidistis in urbe hac, et implevistis vias eius interfectis. 7. Propterea haec dicit Dominus Deus: interfecti vestri, quos posuistis in medio eius, hi sunt carnes, et haec est lebes: et educam vos de medio eius. 8. Gladium metuistis, et gladium inducam super vos, ait Dominus Deus. 9. Et eiiciam vos de medio eius, daboque vos in manu hostium, et faciam in vobis iudicia. 10. Gladio cadetis: in finibus Israel iudicabo vos, et scietis, quia ego Dominus. 11. Haec non erit vobis in lebetem, et vos non eritis in medio eius in carnes: in finibus Israel iudicabo vos. „Hi igitur, ait S. Hie„ronymus, qui erant in introitu portae domus Do„mini orientalis, desperantes salutem, et scelerum „conscientia parati ad interitum, nec volentes per „poenitudinem peccata corrigere, dicunt: licet nu„per post primam captivitatem aedificatae sint do„mus, quae ante corruerant; tamen scimus hanc „civitatem esse instar lebetis, nosque pro carnibus, „ut in ea consumamur, et concrememur." Querebantur nimirum, quasi fato aliquo se premi, et Deum sua tantum acerbitate illos persequi, quin suis sceleribus, et flagitiis imputarent, quod nova illis rursus tempestas immineret, postquam ex priore procella, qua erant iactati sub Jechonia, iam aliquantulum se se recollegissent. Idcirco Jerosolymam lebeti, seipsos carnibus, quae in eodem lebete coquerentur, assimilarunt, cum indignatione autem

animi sui adversus Deum, quem duritiei accusarent, quod sic ab eo premerentur. Quamobrem haec eorum agitatio iniquitatis cogitatio, et tractatio consilii pessimi vocatur. „Illis ista dicentibus, „pergit deinde idem S. Hieronymus, irruit in Prophetam Spiritus Domini, et secundo praecipit, „ut vaticinetur, et dicat: quoniam ista dixistis, „et cordium vestrorum secreta me non fallunt, „ego vobis interpretabor, quomodo civitas in lebetem, et vos in carnes reputemini, non iuxta „illum sensum, quem locuti estis, sed iuxta alterum, quem non timetis. Est quidem civitas in „lebetis similitudinem, sed non vestris implebitur „carnibus, verum eorum, quos interfecistis. Vos „autem, qui arbitramini vos in hac urbe morituros; educam de medio civitatis, et tradam hostium manibus, faciamque in vobis iudicia, ut „cum cecideritis gladio, nequaquam in urbe, nec „extra terminos Israel, sed in finibus vestrae provinciae; tunc cognoscatis, quod ego sim Dominus." Haec prophetia est impleta tunc, quando capta per Chaldaeos Jerosolyma primores ex fuga retracti, et comprehensi Reblatham, quae civitas fuit in finibus Syriae, qua ad Judaeam spectat, perducti ad Nabuchodonosorem, et ab eo gladio percussi sunt. 4. Reg. 25. v. 21.

12. *Et scietis, quia ego Dominus: quia in praeceptis meis non ambulastis, iudicia mea non fecistis, sed iuxta iudicia gentium, quae in circuitu vestro sunt, estis operati.* 13. *Et factum*

est, cum prophetarem, Pheltias filius Banajae mortuus est. Et cecidi in faciem meam clamans voce magna, et dixi: heu, heu, heu Domine Deus, consummationem tu facis reliquiarum Israel: quasi quos universos perdat, ut nullae remaneant reliquiae. 14. *Et factum est verbum Domini ad me, dicens:* 15. *Fili hominis, fratres tui, fratres tui, viri propinqui tui, et omnis domus Israel, universi, quibus dixerunt habitatores Jerusalem: longe recedite a Domino, nobis data est terra in possessionem.* Ex casu Pheltiae, qui subito mortuus conciderat, cum perculsus fuisset Propheta, ne si ii omnes, qui Jerosolymae, et in Judaea adhuc erant, e medio tollerentur, populi reliquiae superstites nullae manerent; docet Deus, se se istas reliquias, per quas restauratio fieret populi Israel, collecturum ex illis Judaeis, qui iam tum abducti erant in Babyloniam, et inter quos ipse etiam erat Ezechiel: quamvis hi, qui eo tempore Jerosolymae, et in Judaea adhuc erant, illos in Babylonia aspernarentur, quasi ipsis cum Deo Israel nihil iam commune esset, nec iam ad ipsos haereditas terrae Israel pertineret. „Factus „est sermo Domini ad Ezechielem, ait S. Hiero„nymus, quod nequaquam illae sint reliquiae, „quas in Jerusalem putabat Propheta; sed hi, qui „in Babylone videbantur esse captivi. Et est sen„sus: O fili hominis, fratres tui de eadem stirpe „tecum generati, fratres, inquam, tui, quibus „dixerunt habitatores Jerusalem, vos recessistis a „Domi-

„Domino, quia captivi estis, et cum Jechonia „vos tradidistis, nobis autem terra Israel data „est in aeternam possessionem. Dic ergo eis, „quod longe quidem eos fecerim a terra Israel, „et disperserim in nationes, et in alienis terris „esse praeceperim, sed quia meae obedierint ius„sioni; sim in eis futurus etiam in peregrinis, et „hostilibus locis in parvam sanctificationem: dum „plerique inveniantur ex eis, qui idololatriae ne„quaquam colla submittant, et memores sint man„datorum Dei, sicut fuerunt Daniel, et tres pueri, „et ceteros fuisse credendum est."

16. *Propterea haec dicit Dominus Deus, quia longe feci eos in gentibus, et quia dispersi eos in terris; ero eis in sanctificationem modicam in terris, ad quas venerunt.* Istud: *in sanctificationem modicam*, quomodo S. Hieronymus acceperit, superiore versu propositum est. Est vero huius loco, quod per adiectivum Latinus Interpres expressit, in Hebraeo adverbium *Meath* (מְעַט) quod de tempore etiam solet usurpari, dum dicitur brevi, et cito aliquid futurum, et cuiusmodi exempla sunt Psal. 36. v. 10. Psal. 80. v. 15. Istoque modo esse hoc potius sumendum, ex subsequente etiam versu confirmatur, ubi Deus se se dicit illos congregaturum. Non enim congregarentur, si pauci tantum ex illis revocarentur, qui quoad potiorem partem manerent dissipati, atque dispersi. Est hoc praeterea per modum consolationis dictum erga eos, qui iam erant dispersi. Quae pro-

fecto exigua fuisset consolatio, si haec populi Israel reparatio per revocationem eorum, qui erant in captivitate, tantum tam modica fuisset.

17. *Propterea loquere: Haec dicit Dominus Deus: congregabo vos de populis, et adunabo de terris, in quibus dispersi estis, daboque vobis humum Israel.* 18. *Et ingredientur illuc, et auferent omnes offensiones, cunctasque abominationes eius de illa.* 19. *Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum:* 20. *ut in praeceptis meis ambulent, et iudicia mea custodiant, faciantque ea, et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum.* Hoc vero, quin ad novum testamentum, et ad illos Israelitas pertineat, de quibus Joannis 11. v. 52. est Jesum esse mortuum, ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum, dubitatio nulla esse potest, quando hoc ipsum, quod modo dicitur futurum, Jeremias cap. 31. v. 33. vocat pactum novum, quodque aliud ab illo sit, quod Deus cum domo Juda, et Israel fecit, quando illos eduxit ex Aegypto. Itaque etiam hic, ut iam saepe alibi fuit, sub eorum, qui secundum carnem Israelitae erant, typo, et figura, quibus sub Cyro postea redeundi facultas data est in patriam, et per quos restaurata est Jerusalem, atque templum; prophetia haec pertinet ad eam liberationem ex captivitate, et populi Israel congregationem, quae facta est per Evangelium Christi, quam ipsa etiam

Cherubinica animalia, illaeque rotae in illa visione, quam modo semper adhuc Ezechiel ante se habuit, illaque ipsa eorum statio in introitu orientalis portae templi, ut superiore capite demonstratum est, designarunt, et repraesentarunt. S. Augustinus lib. de Gratia, et Lib. Arbitrio cap. 14. istud, quod modo declaravi, ad novum Testamentum pertinere, sic etiam demonstravit, et una, quid cor carneum significet, ita explicavit: „*Auferam ab eis cor lapideum, et dabo eis cor carneum:* Quod de novo Testamento fuisse praedictum, satis Apostolus ostendit, ubi ait: *Epistola nostra estis, scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* (2. Cor. 3. v. 2.) Quod non ideo dictum putemus, ut carnaliter vivant, qui debent spiritualiter vivere; sed quia lapis sine sensu est, cui comparatum est cor durum, cui, nisi carni sentienti cor intelligens debuit comparari?" Et rursus eiusdem libri capite 16. repetens haec eadem Ezechielis verba: *Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis carneum.* „Et hoc, quid est, inquit, nisi auferam cor durum, unde non faciebatis, et dabo cor obediens, unde faciatis?" Idem vero superiore illo capite 14. etiam dixerat: „Cor lapideum non significat nisi durissimam voluntatem, et adversus Deum omnino inflexibilem." 21. *Quorum cor post offendicula, et abominationes suas ambulat; horum viam in capite suo ponam* Hebraice: *in caput eo-*

rum (בְּרֹאשָׁם) *ponam, dicit Dominus Deus.* 22. *Et elevaverunt Cherubim alas suas, et rotae cum eis, et gloria Dei Israel erat super ea.* 23. *Et adscendit gloria Domini de medio civitatis, super montem, qui est ad Orientem urbis.* Quid iterum hoc, quod in monte steterit, significat? Ex Isaiae cap. 2. v. 2. hoc intelligitur, ubi est: „Et erit in novissimis diebus praeparatus mons „domus Domini in vertice montium, et elevabi-„tur super colles, et fluent ad eum omnes gentes:“ ut designaretur, praeconium Evangelii, et eam, quae per illud fundabitur, Ecclesiam futuram omnibus conspicuam in mundo, tamquam, quae posita sit in monte. 24. *Et Spiritus levavit me, adduxitque in Chaldaeam ad transmigrationem in visione in Spiritu Dei: et sublata est a me visio, quam videram.* 25. *Et locutus sum ad transmigrationem omnia verba Domini, quae ostenderat mihi.*

CAPVT XII.

Ezechiel actionem adornat, qua exprimat eos, qui obsidione hostili cincti, metu clam, et in tenebris se se conantur fuga ex obsessa urbe subducere: Sedeciamque, qui hoc postea conatus est facere, ista sua actione depingit. Demonstrat malum hoc, non esse differendum longius, sed affuturum proxime.

---

1. *ET factus est sermo Domini ad me dicens:*
2. *Fili hominis, in medio domus exasperantis tu habitas: qui oculos habent ad videndum, et non*

vident; et aures ad audiendum, et non audiunt, quia domus exasperans est. Istud elogium de Judaeis, quod domus exasperans erga Deum sint, et iam aliquoties fuit, et saepius adhuc recurret. Huius loco in Hebraeo est *Beth meri* (בֵּית מְרִי) quod domum rebellionis, et amaritudinem facientis significat. Quod ad hunc sic etiam explicat S. Hieronymus: „Pro exasperatione, inquit, dici „amaritudinem, crebro docuimus, ut sit sensus: „in medio domus ad amaritudinem convertentis, „tu habitas, quae Deum natura dulcem, atque „clementem vitiorum suorum amaritudine amarum „facit, atque crudelem. Alioquin de Deo legi„mus: *Gustate, et videte, quoniam svavis*, sive „*dulcis est Dominus.*" Psal. 33. v. 9. 3. *Tu ergo fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis, et transmigrabis per diem coram eis: transmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum in conspectu eorum, si forte adspiciant, quia domus exasperans est.* Vasa transmigrationis sunt ea, quibus se instruunt, qui peregre, et ad longum iter pergunt, proprieque Latine vocantur sarcinae. 4. *Et efferes foras vasa tua, quasi vasa transmigrantis per diem in conspectu eorum: tu autem egredieris vespere coram eis, sicut egreditur migrans.* 5. *Ante oculos eorum perfode tibi parietem, et egredieris per eum.* 6. *In conspectu eorum in humeris portaberis, in caligine efferreris: faciem tuam velabis, et non videbis terram: quia portentum dedi te domui Israel.* Quod cum passivo verbo hic

est positum: *In humeris portaberis, in caligine efferis:* est in Hebraeo active: *In humeris portabis, in caligine efferes:* (עַל־כָּתֵף תִּשָּׂא בָּעֲלָטָה תוֹצִיא) intelliguntурque sarcinae, quas in humeris portare, et ex civitate in tenebris efferre tecta facie deberet, non exeundo per portam suae domus, sed per foramen de industria factum: quo sic occulte fugientem repraesentaret Sedeciam. „Facere iubetur „Propheta, ait S. Hieronymus, in figura, quae „Sedecias facturus est in veritate. Collige, inquit, „sarcinas tuas, haec enim vasa sunt transmigran„tis. Legimus Sedeciam nocte, muro suffosso fu„gisse ad deserta Jordanis, (4. Reg. 25. v. 4.) „ibique a Babyloniis esse comprehensum, et hoc „significare perfossum parietem. Quod autem di„cit: *In humeris portabis*, subauditur sarcinas „tuas, et quidquid ad vitae solatium fugientes por„tare consveverunt. *In caligine effugies*, ne vi„dearis a quoquam; *Faciem tuam velabis*, vel „caecitate, quae ei accidit, erutis oculis a Nabu„chodonosor, vel ne cognoscatur, quod ipse sit „rex, et maior fiat cura servantium. Quodque „sequitur: *Et non videbis terram*, illud significat, „quod caecus ductus sit in Babylonem, eamque „non viderit." Sic, ne videret terram, esse Sedeciam exportatum, est infra versu 12. Pressius igitur ad hanc solam talem eius exportationem figurandam hoc pertinebat. Mirum autem videri potest, S. Hieronymum in Versione passive verba illa posuisse, quae tamen in Commentario recogno-

vit esse posita active. Attendit autem ad id, quod infra de Sedecia, quem repraesentare Ezechiel debuit, est, omnino in humeris aliorum facieque operta, ut videre terram non posset, esse e civitate elatum, dum fugam inivisset. Quod ille procul dubio ideo fecit, quod suam fugam ne a populo suo quidem, qui erat in civitate, voluerit observari. Atque hac de causa per modum cuiusdam sarcinae contectum se per suos iusserit efferri perfosso pariete, donec foras veniret, ubi se se ipse deinde in pedes daret. Ad hunc modum etiam sequente versu iterum passive est, Ezechielque se dicit fuisse exportatum, sed in Hebraeo, ut ibi exhibebitur, est tantummodo rursus verbum in voce activa. Quoniam vero sic in fonte Hebraeo est; ista ratio intelligendi, ut Ezechiel non portatus, sed ipse portans sarcinas suas egressus sit, seipsum autem contegendo, et quasi oculos, adspectumque aliorum vitando, reipsa enim non vitavit, qui in Judaeorum conspectu scenam hanc adornaverit, sit anteponenda. Qua tamen ratione nihilominus Sedeciam, qui etiam portatus humeris sit per modum sarcinae, repraesentaverit.

7. *Feci ergo, sicut praeceperat mihi Dominus, vasa mea protuli, quasi vasa transmigrantis per diem: et vesperi perfodi mihi parietem manu, et in caligine egressus sum; in humeris portatus in conspectu eorum:* Hebraice: *super humerum portavi in oculis eorum* (עַל־כָּתֵף־נָשָׂאתִי לְעֵינֵיהֶם) Sarcinas autem intelligitur super humero portasse,

ut iam declaratum est versu antecedente. 8. *Et*
factus est sermo Domini mane, ad me dicens: 9.
Fili hominis, numquid non dixerunt ad te domus
Israel, domus exasperans: quid tu facis? 10.
Dic ad eos: Haec dicit Dominus Deus: super
ducem onus istud, qui est in Jerusalem, et super
omnem domum Israel, quae est in medio eorum.
11. *Dic: ego portentum vestrum. Quomodo feci,*
sic fiet illis: in transmigrationem, et in captivi-
tatem ibunt. 12. *Et dux, qui est in medio eo-*
rum, in humeris portabitur, in caligine egredie-
tur, parietem perfodient, ut educant eum: fa-
cies eius operietur, ut non videat oculo terram.
Ex domo autem sua perfosso pariete eum sic ex-
tulerunt, quo, ut iam dictum est, ne Judaeis qui-
dem eius fuga incideret in oculos, ad hortumque
suum suburbanum se efferendum curavit, indeque
fugam ulterius dedit, ad camposque Jordanis iam
pervenit, cum a Chaldaeis, qui insecuti illum sunt,
captus est. 4. Reg. 25. v. 4. 13. *Et extendam re-*
te meum super eum, et capietur in sagena mea,
et adducam eum in Babylonem in terram Chal-
daeorum; et ipsam non videbit, ibique morietur.
14. *Et omnes, qui circa eum sunt, praesidium*
eius, et agmina eius dispergam in omnem ventum,
et gladium evaginabo post eos. 15. *Et scient,*
quia ego Dominus, quando dispersero illos in
gentibus, et disseminavero eos in terris. 16. *Et*
relinquam ex eis viros paucos a gladio, et fame,
et pestilentia, ut enarrent omnia scelera eorum

in gentibus, ad quas ingredientur, et scient, quia ego Dominus.

17. *Et factus est sermo Domini ad me dicens:* 18. *Fili hominis, panem tuum in conturbatione* Hebraice, *in tremore* (בְּרַעַשׁ) *comede, sed et aquam tuam in festinatione* Hebraice: *cum trepidatione* (בְּרָגְזָה) *et moerore bibe.* 19. *Et dices ad populum terrae: Haec dicit Dominus Deus ad eos, qui habitant in Jerusalem in terra Israel: panem suum in sollicitudine comedent, et aquam suam in desolatione bibent, ut desoletur terra a multitudine sua, propter iniquitatem omnium, qui habitant in ea.* 20. *Et civitates, quae nunc habitantur, desolatae erunt, terraque deserta: et scietis, quia ego Dominus.* 21. *Et factus est sermo Domini ad me dicens:* 22. *Fili hominis, quod est proverbium istud vobis in terra Israel dicentium: in longum differentur dies, et peribit omnis visio?* Sic vulgo loquebantur, ut res iam in proverbium abiverit, de prophetiis, quae per prophetas ederentur. Perituram autem saltem quoad se visionem, et prophetiam rebantur, cuius cum executio sit differenda in tempus longius, haec iam tactura ipsos non sit, utpote iam vix in vita superstites, et nuturali conditione moriendi hinc subductos. Est haec prophetia edita anno sexto, posteaquam Jechonias, ceterique Judaei cum eo captivi in Babyloniam venerunt, ut est supra cap. 8. v. 1. idemque annus sextus fuit regni Sedeciae, qui tum Jechoniae, cum in captivitatem esset abductus,

successerat. Nono autem anno regni ipsius Nabuchodonosor in Judaeam cum exercitu venit, et oppugnare urbem incepit, et undecimo in suam potestatem redegit. Intelligitur ergo, hanc prophetiam omnino celeriter eventum suum habuisse. 23. *Ideo dic ad eos: Haec dicit Dominus Deus: quiescere faciam proverbium istud, neque vulgo dicetur ultra in Israel: et loquere ad eos, quod appropinquaverit dies, et sermo omnis visionis.* 24. *Non enim erit ultra omnis visio cassa, neque divinatio ambigua in medio filiorum Israel.* Divinatio ambigua Hebraice *Miksam chalak* (מִקְסַם חָלָק) *Chalak* autem significat aliquid, quod planum, atque politum est. Quare translatum ad divinationem, et praedictionem propheticam, significat hanc talem, quae iis, quibus fieret, esset favens, et blanda. Itaque tam hoc, quam illud etiam, quod visio cassa dicatur, est tantum positum secundum eos, qui sic loquerentur, et opinarentur, nec aliquod incommodum sibi ex illis vacticiniis metuerent. 25. *Quia ego Dominus loquar, et quodcumque locutus fuero verbum, fiet, et non prolongabitur amplius: sed in diebus vestris, domus exasperans, loquar verbum, et faciam illud, dicit Dominus Deus.* 26. *Et factus est sermo Domini ad me dicens:* 27. *Fili hominis, ecce domus Israel dicentium: visio, quam hic videt, in dies multos, et in tempora longa iste prophetat.* 28. *Propterea dic ad eos: Haec dicit Dominus Deus: non prolongabitur ultra omnis sermo me-*

us: verbum, quod locutus fuero, complebitur, dicit Dominus Deus.

CAPVT XIII.

Pseudoprophetae redarguuntur, qui fictis de ingenio suo praedictionibus populum seducerent, inanique spe securitatis eum lactarent, eorumque lactatio aedificationi luteae comparatur, quam superveniens imber destructurus sit.

1. *ET factus est sermo Domini ad me dicens:*
2. *Fili hominis, vaticinare ad prophetas Israel, qui prophetant, et dices prophetantibus de corde suo: audite verbum Domini.* 3. *Haec dicit Dominus Deus: vae prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident.* 4. *Quasi vulpes in desertis, prophetae tui Israel erant:* Qui nimirum fictis blanditiis, ut vulpes, et impunitatis vana spe populum in vitiis detinerent, eumque deciperent. Hoc ad haereticos applicat per similitudinem S. Hieronymus. „Qui Dei Spiritum, „inquit, relinquentes, sequuntur spiritum suum; „quia nequaquam Divino instinctu, sed proprio „corde vaticinantur, unde et nihil vident. Qui au„tem sapiens est, non cordis sui cogitationes, sed „Dei Spiritum sequitur, iuxta illud, quod et in „superioribus animalia, et rotae Spiritum Dei se„quebantur. Et Propheta dicit: *Post Dominum*

„*Deum tuum ambulabis* (Deut. 13. v. 4.) Quis „autem haereticorum, qui sequitur spiritum suum, „non impingat in tenebris, et caecus caecos du-„cat in foveam? Unde licet sibi in mysteriis, imo „orgiis suis (Bachi sacra sic vocabantur, quae a „bachantibus, et lymphaticis celebrabantur) plura „Ecclesiasticis Doctoribus videre videantur; tamen „nihil omnino vident, quia solem iustitiae perdi-„derunt, frustraque imitantur eos, qui prius vo-„cabantur Videntes, et quibus dicitur: *Qui vides,* „*vade; recede in terram Juda, et in Bethel non* „*prophetabis.*" Amos 7. v. 12.

5. *Non adscendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in praelio in die Domini.* „Legimus, ait S. Hiero-„nymus, Aaronem adversum ignem, Israelis populum „devorantem, occurrisse, et stetisse medium, et „oppusuisse murum pro salute populi: (Num. 16. „v. 46.) Jeremiae quoque dicitur, ne occurrat „Domino, neque stet contra iram eius orationis „perseverantia. (Jerem. 7. v. 16.) Sicut enim „murus hosti opponitur, et adversario occurri so-„let ex adverso, contraque venienti; ita Dei sen-„tentia Sanctorum precibus frangitur. Unde et „Moysi dicitur: *Dimitte me, et delebo populum* „*istum* (Exodi 32. v. 10.) Cui enim dicitur: *Di-„mitte me*, ostenditur, quod tenendi habeat fa-„cultatem. Isti stare non possunt in praelio in die „Domini, ut pro populo precibus dimicent, et „resistant obsecrationibus sententiae Dei." Pseudo-

prophetae autem ea ratione etiam non steterunt pro populo, et pro illo adversus Dei iram se non opposuerunt, qui potius hanc provocarent, illique populum exponerent, dum illum non tantum a vitiis non revocarent, sed blandiendo illius cupiditatibus in erroribus confirmarent, insolentioremque facerent.

6. *Vident vana, et divinant mendacium, dicentes: ait Dominus, cum Dominus non miserit eos: et perseveraverunt confirmare sermonem.* 7. *Numquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? Et dicitis, ait Dominus, cum ego non sim locutus.* 8. *Propterea haec dicit Dominus Deus: quia locuti estis vana, et vidistis mendacium; ideo, ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus.* Syrus: *Ideo, ecce ego contra vos:* intelligiturque verbum: *ero.* 9. *Et erit manus mea super prophetas, qui vident vana, et divinant mendacium: in consilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur: et scietis, quia ego Dominus Deus.* Idem hoc est, quod saepius alibi aliis verbis dicitur: „Delebitur anima „illa de populo suo“ Genes. 17. v. 4. Levit. 23. v. 30. etc. designatque istum talem excludendum esse a spe promissionum, quae factae Israelitico populo sunt. Cumque Israeliticae regionis, lacte, et melle manantis, ceterarumque istiusmodi temporalium rerum promissionis, quae factae ipsis sunt, umbram habuerint futurorum bonorum, Hebr. 10.

v. 1. exclusio haec a populi consilio, et coetu, atque a scriptura domus Israel, tamquam ad quem librum domus Israel nomina illorum minime imponenda essent; significat extorres illos futuros a consortio Abraham, Isaac, et Jacob in regno caelorum. 10. *Eo, quod deceperint populum meum, dicentes: pax, et non est pax: et ipse aedificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis.* Perspicuum est, per parietem designari ipsum populum, quem Deus aedificaret revocando eum, et hortando per prophetas, quos mittebat, ad bonam frugem: Jerem. 25. v. 4. et hoc infra versu adhuc apertius dicitur; quem vero eumdem parietem illi corrumperent luto suo, ne firmus esset, dum vana impunitatis spe lactando eumdem populum insolentiorem, proniorem que ad omnem licentiam facerent, et ob quam causam is deinde, velut infirmus paries, corrueret, in exitiumque incideret.

11. *Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit. Erit enim imber inundans, et dabo lapides praegrandes desuper irruentes, et ventum procellae dissipantem.* 12. *Siquidem ecce cecidit paries. Numquid non dicitur vobis: ubi est litura, quam linistis?* 13. *Propterea haec dicit Dominus Deus: et erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione mea, et imber inundans in furore meo erit, et lapides grandes in ira in consumptionem.* 14. *Et destruam parietem, quem linistis absque temperamento, et adaequabo eum terrae, et revelabitur fundamentum*

eius, *et cadet*, *et consumetur in medio eius*, *et scietis*, *quia ego sum Dominus*. Luti temperamentum intelliguntur paleae, ut fuit versu 10. Istud: *Et consumetur in medio eius*, est in secunda persona pluralis numeri in Hebraeo: *Et consumemini in medio eius* (וּכְלִיתֶם בְּתוֹכָהּ) ad pseudoprophetasque pertinet futurum, ut una cum pariete, quem male liniverunt, ipsi quoque pereant, et fructum sui illius laboris ex consortio poenae accipiant. 15. *Et complebo indignationem meam in pariete*, *et in his*, *qui liniunt eum absque temperamento*, *dicamque vobis*; *non est paries*, *et non sunt*, *qui liniunt eum*. Utrosque scilicet perdet, atque e medio tollet. 16. *Prophetae Israel*, *qui prophetant ad Jerusalem*, *et vident ei visionem pacis*: *et non est pax*, *ait Dominus Deus*. Per modum explicationis est hoc positum, pseudoprophetas hos esse, de quibus superiore versu dixerat, non futuros illos, qui parietem liniunt absque temperamento.

17. *Et tu fili hominis pone faciem tuam contra filias populi tui*, *quae prophetant de corde suo*, *et vaticinare super eas*. Reperiuntur in Scriptura plures Spiritu prophetico exornatae etiam feminae. Nam prophetissa fuit Maria soror Moysis Exod. 15. v. 20. Debbora Judic. 5. v. 4. Olda 4. Reg. 22. v. 14. Ut ergo viri viros, ita femianae feminas aemulabantur mentiendo esse se prophetas. Atque ad has istius generis mulierculas modo dirigitur propheticus sermo. 18. *Et dic*: *Haec dicit Dominus Deus*: *vae*, *quae consuunt pulvillos*

sub omni cubito manus, et faciant cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas: et cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Non reapse vivificabant, quas, ut antecessit ad exitium una secum deducerent, sed solis verbis, promittendo illis impunitatem, et omnem securitatem, dum illos vanis suis praedictionibus deciperent, et illaquearent. 19. *Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, et fragmen panis, ut interficerent animas, quae non moriuntur, et vivificarent animas, quae non vivunt, mentientes populo credenti mendaciis.* Exprobratur, quod propter exiguam mercedulam, et offam Deum violarent corrumpendo in Religione, et observantia erga eum eius populum, atque animas interficerent, quae no1 moriuntur, quae munere Divinae creationis sunt immortales inducendo ad peccatum, quod generat mortem Jacobi 1. v. 15. e contrario autem animas, quae non viverent, et quae per peccatum essent mortuae, vivificarent, vitam tametsi perverse viverent, illis pollicendo.

20. *Propter hoc haec dicit Dominus Deus: ecce ego ad pulvillos vestros, quibus vos capitis animas volantes, et dirumpam eos de brachiis vestris, et dimittam animas, quas vos capitis, animas ad volandum.* Pulvillis, et illa mollitie in docendo capiebant animas volantes, hoc est, ceperunt animas, sicuti aves capiuntur volantes. Hos ergo pulvillos dicit Deus descripturum se sub eorum brachiis, quibus eos supposuerunt, et in quibus

bus illos pulvillis tenent, quasi secure quiescentes, dissipatisque pulvillis dicit se se illos veluti aves ex cavea dimissurum. Sensus ergo est, futurum, ut Deus animas populi sui, quas pseudoprophetae suis pulvillis deciperent, ex ista pseudoprophetarum perversitate eripiat, fraudesque illorum, atque technas dissipet. Est ergo hoc idem illud, quod Jeremiae 23. v. 2. et infra in Ezechiele cap. 34. v. 10. promittit Deus etiam contra malos pastores sui gregis, se se ipsum vindicaturum oves suas ex eorum manibus, aliosque pastores, qui recte eas pascant, daturum. Quod vero spectabat ad tempus Evangelii, dum Christum Deus misit, illiusque ministros Apostolos, qui ex depravatione, quae per improbos pastores, et doctores facta est, ereptum populum recta doctrina imbuerent. 21. *Et dirumpam cervicalia vestra, et liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt ultra in manibus vestris ad praedandum, et scietis, quia ego Dominus.* 22. *Pro eo, quod moerere fecistis cor iusti mendaciter, quem ego non contristavi, et confortastis manus impii, ut non reverteretur a via sua mala, et viveret;* 23. *propterea vana non videbitis, et divinationes non divinabitis amplius, et eruam populum meum de manu vestra, et scietis, quia ego Dominus.* Impii iustos tamquam sibi contrarios persequuntur, et quibus hi graves sint vel ad videndum, propterea, quod istorum vita illorum improbitatem redarguat, atque refellat. Sap. 2. v. 15. Dum ergo pravorum doctorum delinimentis impro-

bi insolentiores fiunt; eo acrius adversus iustos insurgunt, illosque vexant. Hic est ergo ille moeror iustorum, cuius causa etiam pseudoprophetae ipsi esse dicuntur.

CAPVT XIV.

Judaeis in malitia sua obfirmatis, minatur Deus spiritu mendacii se se illos puniturum, quo per pseudoprophetas, quos consulunt, decipiantur. Declarat peccanti terrae se se non esse parsurum, etiamsi Noe, Daniel, et Job in eius medio essent: ex Jerusalem autem civitate, cum eam puniverit, se se aliquos conservaturum.

1. *ET venerunt ad me viri seniorum Israel, et sederunt coram me.* 2. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens:* 3. *Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis, et scandalum iniquitatis suae statuerunt contra faciem suam. Numquid interrogatus, respondebo eis?* Immunditias suas statuerunt in cordibus Hebraice: *idola sua* (גִּלּוּלֵיהֶם) ut hoc deinde versu 7. clare ponitur etiam in Latino, ubi istud idem repetitur. Ex hoc vero, quod dicatur, quid in corde habuerint, intelligitur alterum quoque, quod scandalum iniquitatis statuerint sibi contra, hoc est, e regione faciei suae, tamquam quo mente, et cogitatione sua essent defixi, et quid destinatum ha-

berent sequi, esseque hoc scandalum iniquitatis, in quod impingerent, eamdem idololatriam. Cum vero Deus de his dicat: *Numquid respondebo eis?* etsi aperte non demonstretur, tamen intelligitur, istos venisse eo proposito ad Ezechielem, ut de quibusdam rebus eum consulerent, Deique oraculum ex eo exquirerent, et quibus se responsurum Deus negat. 4. *Propter hoc loquere eis, et dices ad eos: Haec dicit Dominus Deus: homo, homo de domo Israel, qui posuerit immunditias in corde suo, et scandalum iniquitatis suae statuerit contra faciem suam, et venerit ad prophetam interrogans per eum me; ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum: 5. ut capiatur domus Israel in corde suo, quo recesserunt a me in cunctis idolis suis.* Homo homo iuxta indolem lingvae Hebraicae, pro eo est, quod nos diceremus: homo quisque, vel quicumque. Et ad hunc modum hoc Arabs vertit: *Quicumque de domo Israelis.* Ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum, hoc est, secundum multitudinem eius immunditiarum, sive, ut clarius adhuc ponam, ut responsum accipiat, prout pro suis immunditiis meretur. Non autem verus propheta intelligitur is, per quem Deus se se illi sic responsurum dicit. Quod perspicuum magis fit ex versu 9. ubi sic est: „Et propheta cum errave-„rit, et locutus fuerit verbum, ego Dominus de-„cepi prophetam illum: et extendam manum meam „super illum, et delebo eum de medio populi mei

„Israel. Et portabunt iniquitatem suam: iuxta ini-„quitatem interrogantis sic iniquitas prophetae erit.“ Neque enim propheta errare verus potest, dum motus a Deo, ex illiusque inspiratione loquitur; quod secus error in Deum ipsum recideret: nec puniri illum aequum est a Deo, qui illud fecisset, et proposuisset, quod sibi mandatum habebat ab eo. Itaque propheta, ad quem homo huiusmodi sciscitandi causa venturus dicitur, et cui per hunc in multitudine immunditiarum eius Deus se responsurum dicit; bonus, et ex Dei ore loquens propheta non est. Quomodo ergo nihilominus Deus ipse se se responsurum ei dicit, a quo per prophetam illum consuleretur, et quomodo dicitur ipse prophetam illum decepisse? Nempe solet in Scriptura dici de Deo, hoc illum etiam facere, quod solummodo permittit. Quomodo etiam apud Isaiam est: „Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis, indura-„sti cor nostrum, ne timeremus te.“ Isa. 63. v. 17. Deus tamen hoc dicitur facere, quod tantum illius permissu fit, quod talis deceptio proveniat ex iusto Dei iudicio erga illum, qui decipitur in poenam sui anterioris peccati, et Deus deceptore utatur ad ipsum puniendum. Id, quod S. Augustinus contra Julianum l. 5. cap. 5. cum pluribus aliis Scripturae documentis, tum isto clarissime ostendit. 2. ad Thessalonicenses cap. 2. v. 10. Ubi Paulus de illis, qui credere Evangelio noluerunt „Eo, quod charitatem veritatis, inquit, non re-„ceperunt, ut salvi fierent; ideo mittit illis Deus

„operationem erroris, ut credant mendacio." Hac de re, fuit iam etiam 3. Reg. 22. v. 20. ubi Deo similiter permittente malus spiritus se se ad decipiendum Achab ad os posuit omnium illius pseudoprophetarum.

6. *Propterea dic ad domum Israel: haec dicit Dominus Deus: convertimini, et recedite ab idolis vestris, et ab universis contaminationibus vestris avertite facies vestras.* 7. *Quia homo, homo de domo Israel, et de proselytis quicumque advena fuerit in Israel, si alienatus fuerit a me, et posuerit idola sua in corde suo, et scandalum iniquitatis suae statuerit contra faciem suam, et venerit ad prophetam, ut interroget per eum me, ego Dominus respondebo ei per me,* 8. *et ponam faciem meam super hominem illum, et faciam eum in exemplum, et in proverbium, et disperdam eum de medio populi mei, et scietis, quia ego Dominus.* In proverbium illi venire intelliguntur, dum acerbitas alicuius mali, quam quis explicare sermone vult, cum calamitate, quam illi passi sunt, comparat. 9. *Et propheta cum erraverit, et locutus fuerit verbum; ego Dominus decepi prophetam illum: et extendam manum meam super illum, et delebo eum de medio populi mei Israel.* 10. *Et portabunt iniquitatem suam: iuxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas prophetae erit:* 11. *ut non erret ultra domus Israel a me, neque polluatur in universis praevaricationibus suis; sed sint*

mihi in populum, et ego sim eis in Deum, ait Dominus exercituum.

12. *Et factus est sermo Domini ad me dicens:* 13. *Fili hominis, terra, cum peccaverit mihi, ut praevaricetur praevaricans, extendam manum meam super eam, et conteram virgam* baculum, sustentaculum, *panis eius, et immittam in eam famem, et interficiam de ea hominem, et iumentum.* 14. *Et si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, et Job; ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum.* Cur prae aliis iustis, isti tres nominati sint, dubitari profecto nequit; quin hoc ad singularem eorum laudem spectet, commendationemque iustitiae: qui, tametsi tales essent, et tam accepti Deo; tamen patrocinari aliis minime possent, quos Deus propter obstinationem in malitia punire decrevisset. S. Hieronymus coniecturam hanc affert, neque enim ipse etiam hoc, tamquam certum, affirmat, istos tres prae Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Moyse, aliisque sanctissimis, Deoque, cum viverent, familiarissimis viris esse potissimum commemoratos, quod necNoe diluvium, quo deletus fuit totus mundus, interventu suo prohibere; nec Daniel, (is tum actu in Babylonia vivebat) populi sui captivitatem; nec Jobi innocentia, atque integritas, qui ipsas suas plagas probandae tantum suae virtutis causa subiverit, patrocinata sit filiis, atque liberis suis, ne domus ruina opprimerentur. 15. *Quod si et bestias pessimas induxero super terram, ut vastem eam, et fuerit*

invia, eo quod non sit pertransiens propter bestias;
16. *tres viri isti, si fuerint in ea, vivo ego, di-*
cit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias li-
berabunt, sed ipsi soli liberabuntur, terra autem
desolabitur. 17. *Vel si gladium induxero super*
terram illam, et dixero gladio: transi per ter-
ram, et interfecero de ea hominem, et iumentum;
18. *et tres viri isti fuerint in medio eius; vivo*
ego, dicit Dominus Deus, non liberabunt filios,
neque filias, sed ipsi soli liberabuntur. 19. *Si*
autem et pestilentiam immisero super terram il-
lam, et effudero indignationem meam super eam
in sangvine, ut auferam ex ea hominem, et iu-
mentum, 20. *et Noe, et Daniel, et Job fuerint*
in medio eius; vivo ego, dicit Dominus Deus,
quia filium, et filiam non liberabunt: sed ipsi
iustitia sua liberabunt animas suas.

21. *Quoniam haec dicit Dominus Deus: quod*
si quatuor iudicia mea pessima, gladium, et fa-
mem, ac malas bestias, et pestilentiam immisero
in Jerusalem, ut interficiam de ea hominem, et
pecus; 22. *tamen relinquetur in ea salvatio edu-*
centium filios, et filias. Erga Jerusalem haec omnia quatuor poenarum genera composita sunt, quorum erga terram aliam semper unum tantum positum fuit, repetendo terram toties, quot essent haec poenarum genera. Terram autem aliam sic Deus se dicit habiturum, ut postquam ei peccasset, hanc uno etiam illo supplicii genere consumpturus sit, etiamsi in ea tres hi iusti, Noe,

Daniel, et Job reperirentur, qui quidem soli e communi terrae illius exitio eximendi sint propter suam iustitiam, ceteri autem omnes, etiamsi istorum essent filii, vel filiae, perituri. At vero de Jerusalem dicit, quod, etiamsi omnes has quatuor plagas pessimas, et exitiosas, gladium, famem, pestilentiam, atque malas bestias in eam immiserit coniunctim; tamen relictum iri in ea salvationem eorum, qui educerent filios, et filias, atque adeo intelliguntur futuri aliqui ex clade superstites, qui incolumes manerent, unaque cum liberis servarentur, quin iam hic erga Jerusalem mentio aliqua de Noe, Daniele, et Jobo fiat. Quorsum vero hoc pertinet? Nempe eo, quod etiamsi improbior esset Jerusalem, ut pluribus poenis, maiore impetu, Deus in illam incurreret; tamen eam penitus numquam consumpturus sit, et ex qua reliquiae semper aliquae sint conservandae. Quod vero idem se se declarat erga alias civitates, et terras non esse facturum, sed has internecione se se deleturum, solisque iustis, si qui in illis reperirentur, esse parsurum. In Jerusalem ergo, quantumvis improbos, semper aliquos, dum eam plagis afficit, conservat; in aliis civitatibus, et terris iustos solos servat, ceteros omnes perdit. Quare intelligitur hoc pertinere ad peculiarem Dei erga Jerusalem, et Judaeos favorem.

Deinde est hic illud considerandum, nuspiam, dum tres illi iusti commemorantur, Noe, Job, et Daniel, dici Deum illis terris, etiam his

intercedentibus, et preces suas interponentibus non parcere; sed tantum, hi tres iusti si fuerint in illa civitate, quam Deus vastaret, et deleret, illos non esse una cum ceteris perituros, servatumque eos iri ob suam iustitiam, quin tamen propter hanc parentum iustitiam exitium evadant ipsi etiam filii eorum, et filiae. Hi autem liberi eorum tales, qui impii sint, utique intelliguntur, quod secus in sua etiam iustitia non minus, atque parentes conservationis suae praesidium haberent. Ex qua animadversione planum fit, nec hic locum esse illi quaestioni, cur Deus, qui alibi saepe reperitur indulsisse iis, quos puniturus erat, dum intercessor aliquis fuisset iustus, ut Numerorum 12. v. 13. ad Moysis preces a lepra sanavit Mariam eius sororem, et eiusdem libri cap. 14. v. 20. peccatum populo remisit eiusdem Moysis placatus oratione, et ipsis Sodomitis, ut multa alia exempla praeteream, Deus poenam illius excidii, quo conflagrarunt, non irrogaturus fuisset, flexus Abrahami precibus, si conditio illa, de decem hominibus iustis tenuisset, qua suas Deo preces obtulerat Abraham pro eorum conservatione: Genes. 18. v. 32. et ex quibus exitio destinatis civitatibus tamen adhuc unam Segor Loth servavit rogando Deum pro ea. Genes. 19. v. 21. cur, inquam, Deus istorum trium iustorum pro illis terris non susceperit preces: siquidem nec sit, precatos illos esse: una autem fortasse etiam illud perspici potest, cur hi tres, Noe, Daniel, et Job potissimum pro exemplo sint assum-

pti, cum impiis Deum non perdere etiam iustos. Hi enim tres iusti tales fuerunt, qui et inter impios vixerunt, et tales, qui genere Israelitae non erant; et tamen pereuntibus illis, inter quos vixerunt, servati ab interitu sunt. Noe enim Abrahamum antecessit, atque adeo non pertinet ad eos, qui in foedere comprehenduntur, quod Deus cum Abrahamo fecit, servatus autem est unus ex toto mundo, per diluvium pereunte; item Job alterius nationis, et non Israelita fuit, quem tamen Deus propter iustitiam dilexerit, et charum habuerit. Similiter Daniel, quamvis genere esset Judaeus, tamen cum princeps esset constitutus super omnes provincias Babylonis, et praefectus magistratuum super cunctos sapientes Babylonis, Dan. 2. v. 48. tamen non tantum, cum vastaretur Babylon a Medis, et Persis, incommodum nullum accepit, verum etiam in honore, et auctoritate confirmatus fuit a Dario, in cuius potestatem Chaldaeorum imperium concessit. Dan. 6. v. 2.

Ecce ipsi ingredientur ad vos, et videbitis viam eorum, et adinventiones eorum, et consolabimini super malo, quod induxi super Jerusalem in omnibus, quae importavi super eam. 23. *Et consolabuntur vos, cum videritis viam eorum, et adinventiones eorum, et cognoscetis, quod non frustra fecerim omnia, quae feci in ea, ait Dominus Deus.* Ecce ipsi, ex Jerosolyma videlicet quatuor illis plagis affecta, et vastata, qui fuerint servati, ut antecessit, venturi sunt ad vos, in

Babyloniam, nimirum per captivitatem, et agnoscetis vias illorum, et adinventiones malarum rerum, quas perpetrarunt, *et consolabimini super malo, quod induxi super Jerusalem:* dum videlicet recognoscerent suo illi merito omnia illa accidisse, quae passa est; et tamen Deum mitius cum ea egisse, qui aliquos tamen servaverit ex ea, quam meritum eius fuerit, Deumque erga Jerusalem conservando illos, qui in Babyloniam venerunt, illud fecisse, quod idem erga terram aliam non fecisset; in qua neminem, nisi iustum servasset, reliquos autem omnes perdidisset, ut fuit supra.

CAPVT XV.

Judaeos perinde, ut de ligno vitis fieri solet, quod comburitur, docet Deus se se traditurum exitio.

1. *ET factus est sermo Domini ad me, dicens:*
2. *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quae sunt inter ligna silvarum?* 3. *Numquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcumque vas?* 4. *Ecce igni datum est in escam: utramque partem eius consumpsit ignis, et medietas eius redacta est in favillam: numquid utile erit ad opus?* 5. *Etiam cum esset integrum, non erat aptum ad opus, quanto magis, cum illud ignis devoraverit, et combusserit, nihil*

ex eo fiet operis? 6. *Propterea haec dicit Dominus Deus: quomodo lignum vitis inter ligna silvarum, quod dedi igni ad devorandum, sic tradam habitatores Jerusalem,* 7. *et ponam faciem meam in eos: de igne egredientur, et ignis consumet eos, et scietis, quia ego Dominus, cum posuero faciem meam in eos,* 8. *et dedero terram inviam, et desolatam, eo quod praevaricatores exstiterint, dicit Dominus Deus.* Sicut omne lignum vitis incendio traditur, sic totam Judaeam, et Jerusalem demonstrat Deus, se se ad vastitatem, ac solitudinem esse redacturum. Judaeosque dicit de igne egressuros, et igne consumendos: quod nimirum eos etiam, qui evaserint, et superstites manserint ex clade, quando capietur ab Chaldaeis urbs, et vel fuga fuerint dispersi, vel in captivitatem ducti, persecuturus adhuc sit, et immissurus in eos ultorem suum ignem. Id quod iam supra etiam cap. 5. v. 2. actione illa Prophetae, qua pilorum barbae, et capitis sui tertiam partem combussit igne; alteram tertiam partem consecuit gladio; tertiam vero in auras dispersit, et tamen adhuc adversus hanc etiam partem Deum esse suum nudaturum gladium dixit, prophetice monstrabatur.

CAPVT XVI.

Demonstrat Deus Jerusalem a principio sui ortus fuisse foedam, et inquinatam, et quam nihilominus mundatam a suis sordibus ipse in suam sponsam assumpserit, omnibusque pulcherrimis ornamentis condecoraverit: quae vero illa more adulterae ad alios amatores, et ad idola transtulerit, quaeque Samariam sororem suam, et ipsam Sodomam magnitudine flagitiorum superaverit. Hanc ergo dicit se etiam ut adulteram habiturum, et a se repudiaturum: sed quam rursus revocaturus ad se sit, novumque foedus cum ea facturus.

1. *ET factus est sermo Domini ad me, dicens:*
2. *Fili hominis, notas fac Jerusalem abominationes suas,* 3. *et dices: Haec dicit Dominus Deus Jerusalem: radix tua, et generatio tua terra Chanaan: pater tuus Amorrhaeus, et mater tua Cethaea.* Docet Deus per Prophetam, Israelitas, quod naturalem ipsorum procreationem concernit, non esse dissimiles Chananaeis, Amorrhaeis, aliisque foedissimis, propter flagitiorum sordes, gentibus. Non minus enim omnes Israelitae, quam hae nationes, concepti, et editi in lucem in sordibus peccati sunt. Erant enim natura filii irae, sicut et ceteri. Ephes. 2. v. 3. Quod eo pertinebat, ut doceretur, illos non ex se habuisse, cur assumpti sint a Deo in peculiarem eius populum, nec Patriarcharum pietatem, et iustitiam illis suffragari potuisse, utpote, quae

conceptionem illam ipsorum in sordibus peccati minime sustulisset: sed qui omnino in eodem corruptae per peccatum nativitatis coeno iacuerint, in quo producuntur alii ex foedissima quacumque natione: soliusque Dei fuisse erga eos clementiam, et benignitatem, quod ceteris permissis iacere in suo coeno, ac sordibus, ipsi a Deo assumpti ad eius Religionem, atque cultum sint, illosque sibi Deus, veluti sponsam adiunxerit, et copulaverit. Isto ad hoc caput iacto explicationis fundamento, facilius deinde reliqua intelliguntur, quomodo inter se cohaereant, et apta sint. Nam ad originale peccatum omnino ista pertinere, nexus ceterarum, quae sequuntur, confirmabit.

4. *Et quando nata es, in die ortus tui, non est praecisus umbilicus tuus, et aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis.* Non quod Israelitis ista officia, dum nascerentur, praestita non essent; sed tamen, quod istis remediis, atque fomentis, immunditties naturalis, in qua nati sunt, ablata ab illis non sit. Foetus dum in utero adhuc geritur, zona, ex umbilico prodeunte, cum utero materno colligatus tenetur, et connexus, illaque via per umbilicum nutrimentum ei affluit, quaeque zona deinde abscinditur, dum infans in lucem prodiit. Sal autem cum virtutem siccandi habeat, ideo ad siccanda corpuscula recenter nata adhibitus est. Haec vero immundities, quam secum ex materno utero ferunt infantes, cum lavando tollatur, et qua sublata nihilominus infans maneat in

immunditie sua, in qua est secundum animam productus ex materno utero, et corruptus per originale peccatum; ideo nec umbilicus dicitur ei praecisus, nec sale esse lotus, vel involutus pannis, qui interiore hac consideratione, haereat adhuc in eodem, in quo prodiit ex utero, immunditiei suae statu. Docet ergo illos peraeque ut alios in peccato originali natos, et inquinatos fuisse. 5. *Non pepercit super te oculus, ut faceret tibi unum de his misertus tui, sed proiecta es super faciem terrae in abiectione animae tuae in die, qua nata es.* „Nullus tui misertus est, ait S. Hieronymus, offenso Deo, nullius super te mota sunt viscera, ut „de quatuor superioribus saltem unum tibi faceret.“ Nempe, quia nemo etiam subvenire poterat, ut interiores illas, quas materni uteri in se habebat, abstergeret sordes. „Quis potest, ait Job cap. 14. v. „4. facere mundum de immundo conceptum semi„ne? nonne tu, qui solus es?“ Ideo ergo deinde dicitur proiecta super faciem terrae in abiectione animae suae, in die, qua nata est, tamquam cuius mundatio desperata esset, ipsaque anima illius atque vita in desperatione esset, nisi Deus ipse misertus esset.

6. *Transiens autem per te vidi te conculcari in sangvine tuo, et dixi tibi, cum esses in sangvine tuo: vive, dixi, inquam, tibi: in sangvine tuo vive.* Sangvis hic modo vocatur, quae supra dicta fuit immunditiës. Est enim haec reipsa ex sangvine materni uteri. In hoc ergo volutatam suo

sangvine, cum illam Deus quasi illac transiens vidisset, dixit ad eam: In sangvine tuo vive: hoc est: „Licet sis in sangvine, ait S. Hieronymus, „tamen vive.“ Quam scilicet Deus, cum propter peccatum, quo erat inquinata, esset peritura, sua clementia recreaverit ad vitam. 7. *Multiplicatum, quasi germen agri, dedi te, et multiplicata es, et grandis effecta, et ingressa es, et pervenisti ad mundum muliebrem: ubera tua intumuerunt, et pilus tuus germinavit, et eras nuda, et confusione plena.* Continuatur allegoria de infante in sordibus nato, et abiecto. Quem, ubi Deus iussit vivere, eduxerit tamquam germen agri, quod se diffundit, et late crescit: *et multiplicata es*, hoc est, incrementum cepit corpus: *et grandis effecta es, et ingressa es;* pervenisti ad eam maturitatem aetatis, ut iam per te incedere posses, et firmae tibi essent ad gradiendum vires, hoc est ergo, adolevisti: *et pervenisti ad mundum muliebrem:* ad illam aetatem, qua iam puellae exornari solent, ut iuvenes ad se alliciant, et facilius accipiant maritos. *Ubera tua intumuerunt, et pilus tuus germinavit.* „Honeste, ait S. Hieronymus, adolescentularum maturitas indicatur, quando intumescunt ubera, sive „eriguntur, et germinat pilus.“ Pilus pubertatis tempus significat.

8. *Et transivi per te, et vidi te: et ecce tempus tuum, tempus amantium: et expandi amictum meum super te, et operui ignominiam tuam. Et iuravi tibi, et ingressus sum pactum tecum, ait*

Dominus

Dominus Deus, et facta es mihi. Tempus tuum, tempus amantium. „Illud tempus erat, ait S. Hie-„ronymus, quando possunt mulieres viris sociari." *Expandi amictum meum super te, et operui ignominiam tuam:* eodem videlicet tempore, cum illa iam ad maturitatem ineundi connubii pervenisset. Hoc vero tempus Jerusalem, et populi Israel fuit, cum eductus esset ex Aegypto. Tunc enim etiam ei Deus iuravit, hoc est: foedus cum ipso fecit, et spopondit se se illi futurum Deum, illumque habiturum pro suo populo, tumque facta est illi, intellige Jerusalem sponsa. Amictus ergo etiam, quo illam texit, intelliguntur indumenta legis, quibus illam Deus instruxit, in qua praesidium adversus nuditatem suam haberet, si eam observasset.

9. *Et lavi te aqua, et emundavi sangvinem tuum ex te, et unxi te oleo.* 10. *Et vestivi te discoloribus, et calceavi te ianthino, et cinxi te bysso, et indui te subtilibus.* 11. *Et ornavi te ornamento, et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum.* 12. *Et dedi inaurem super os tuum, et circulos auribus tuis, et coronam decoris capiti tuo.* 13. *Et ornata es auro, et argento, et vestita es bysso, et polymito, et multicoloribus: similam, et mel, et oleum comedisti, et decora facta es vehementer nimis, et profecisti in regnum.* Ornamenta vestium memorantur, quibus Deus Jerosolymam exornaverit, velut sponsam suam, deinde similae, mellis, et olei nomine, victus svavitas, et abundantia, provectione eius ad regnum

eius dignitas, et gloria ad quam eam erexerit, exprimitur. Cum vero ex horum trium primo lex, totiusque Religionis apparatus, quo Israelitae sunt instructi a Deo, significetur, ut iam superiore versu dictum est de amictu, et infra versu 16. ab ipso Ezechiele declaratur; altero, lacte, et melle manans regio designetur, quae ad habitandum iis data est; ac tertio demum, imperii gloria, quae sub Davide, et Salomone ad maximum culmen fuit apud eos provecta, facile intelligatur; quaeri potest, quomodo etiam Jerusalem lota aqua, et emundata a suo sangvine sit, dum assumeretur in sponsam, cum in lege nemo iustificetur apud Deum. Gal. 3. v. 11. Omnino vi legis nemo factus est iustus in veteri Testamento. „Quia ex operibus legis, ait S. Paulus, non iustificabitur omnis caro coram illo." Rom. 3. v. 20. Attamen dum idem Apostolus dicit in eadem ad Romanos Epistola, capite eodem, versu 30. „Quoniam quidem unus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide" et certum est multos fuisse iustos, in eodem veteri Testamento, qui dum observarunt legem, iustificati sunt non vi legis, sed fidei, quam in eum habuerunt, ad quem eos lex, veluti paedagogus, direxit; Gal. 3. v. 21. Jerusalem quoque intelligitur esse lota, atque mundata, cum facta esset Dei sponsa. Janthini nomine intelliguntur pelles, de quibus iam fuit Exodi 25. v. 5. Inaures vero cum proprie dicantur de ornamentis ex auribus pendentibus, tum usurpatur etiam hoc vocabulum pro monilibus ex capite per fron-

tem dependentibus. „Non quo inaures, ait S. Hieronymus, ponantur in naribus, quae ex eo, quod „de auribus pendeant, inaures vocantur; sed quod „circulus in similitudinem factus inaurium, eodem „vocabulo nuncupetur, et usque hodie inter cetera „ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex „fronte pendere, et imminere naribus.“ Polymitum idem est, quod multiplicis, et varii coloris.

14. *Et egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam: quia perfecta eras in decore meo, quem posueram super te, dicit Dominus Deus.* 15. *Et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo, et exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut eius fieres.* Nomen pro iure, et auctoritate sumitur. Dum ergo Jerusalem suo nomine dicitur fornicata esse; significatur, illam sibi licentiam hanc scortandi sumpsisse. Erat vero meretricum, et prostibulorum ista consvetudo; ut in viis palam sederent, transeuntesque ad concumbendum secum invitarent, et allicerent. Qua de re iam etiam dictum est ad Genesis 38. v. 14. Jeremiae 3. v. 2. 16. *Et sumens de vestimentis tuis fecisti tibi excelsa hinc inde consuta, et fornicata es super eis, sicut non est factum, neque futurum est.* Excelsa hinc inde consuta Hebraice *varie ornata* (טְלֻאוֹת) Chaldaeus vertit: *Excelsa cooperta polymitis.* Sensus igitur est, religionis cultum, et sacrificia, quae sibi habebat data, et praescripta erga Deum, haec convertisse, hisque abusam esse ad colenda idola, super hisque

esse fornicatam, dum quae soli Deo debuisset exhibere, haec ab Deo, velut Sponso suo abstulit, ut iis gratificaretur falsis diis, cum quibus scortabatur.

17. *Et tulisti vasa decoris tui de auro meo, atque argento meo, quae dedi tibi, et fecisti tibi imagines masculinas, et fornicata es in eis.* Cum Jerusalem sub forma consideretur feminae; ad servandam allegoriam idola, cum quibus fornicata est; imagines, et simulacra vocantur masculorum, ut quasi feminae cum viro concubitus exprimeretur.
18. *Et sumpsisti vestimenta tua multicoloria, et operuisti illas: et oleum meum, et thymiama meum posuisti coram eis.* 19. *Et panem meum, quem dedi tibi, similam, et oleum, et mel, quibus enutrivi te, posuisti in conspectu eorum in odorem svavitatis: et factum est, ait Dominus Deus.* Et factum est: intellige, istud omne, quod modo dictum est. Chaldaeus vertit: *Nonne facta sunt omnia haec? ait Dominus Deus.* 20. *Et tulisti filios tuos, et filias tuas, quas generasti mihi, et immolasti eis ad devorandum. Numquid parva est fornicatio tua?* Victimae, dum in sacrificiis mactarentur, spectabantur, quasi ex quibus epulum instrueretur ei, cui sacrificatio fiebat. Quapropter etiam erga verum Deum altare mensa illius vocata est Malachiae 1. v. 7. Ex quo clarum fit, cur Jerusalem, dum filios suos immolaret idolis, hos dicatur illis apposuisse ad devorandum. 21. *Immolasti filios meos, et dedisti illos consecrans eis.*

22. *Et post omnes abominationes tuas, et fornicationes non es recordata dierum adolescentiae tuae, quando eras nuda, et confusione plena, conculcata in sangvine tuo.* 23. *Et accidit post omnem malitiam tuam (vae, vae tibi, ait Dominus Deus)* 24. *et aedificasti tibi lupanar, et fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis.* 25. *Ad omne caput viae aedificasti signum prostitutionis tuae, et abominabilem fecisti decorem tuum, et divisisti pedes tuos omni transeunti, et multiplicasti fornicationes tuas.* 26. *Et fornicata es cum filiis Aegypti, vicinis tuis magnarum carnium, et multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me.* Magnae carnes pro magna libidine sunt positae, eaeque in membro, quo libido exercetur: quemadmodum etiam infra cap. 23. v. 20. eiusdem Jerusalem sub nomine Oolibae sororis insania istius rei cum equorum, et asinorum genitali membro confertur. „Et insanivit libidine super concubitum „eorum, quorum carnes sunt ut carnes asinorum, „et sicut fluxus equorum fluxus eorum.“ Idololatria autem adhuc semper nomine istius luxuriei, et fornicationis intelligitur. In cuius superstitionis lascivia, in portentorumque multitudine, et varietate, quae pro diis coluerunt, Aegyptii facile superarunt nationes quascumque alias.

27. *Ecce ego extendam manum meam super te, et auferam iustificationem tuam, et dabo te in animas odientium te filiarum Palaestinarum, quae erubescunt in via tua scelerata.* Justificatio-

nem tuam Septvaginta verterunt τὰ νόμιμά σȣ, *legitima tua:* Intelligitur ergo is Religionis cultus, quo velut sponsa Jerusalem fuit exornata a Deo, et quem si fideliter, sincereque exhiberet; omnino ea ratione, ut iam supra demonstratum est ad versum 9. iustificaretur: et quem cultum Deus ab illis respuit, dum animo pravo exhiberetur. „Neomenias „vestras, inquit, et sabbata, et festivitates alias „non feram, iniqui sunt coetus vestri, calendas ve„stras, et solennitates vestras odivit anima mea." Isaiae 1. v. 13. „Datur autem, ait S. Hieronymus, „in animas odientium se filiarum Palaestinarum, „quando traditur Palaestinis, quos indifferenter Se„ptvaginta alienigenas vocant: quas intelligere pos„sumus urbes, vel oppida Palaestinae." Unius autem gentis nomine, quae hostilitates maximas exercuit adversus Israelitas, saepeque illos gravissime vexavit, atque pressit, ut est in libris Judicum, et Regum, tamquam per speciem, quae posita est pro genere, hostes quicumque intelliguntur, quorum insectationibus, atque odio, postquam ipsos a se repudiavisset, legitimaque sua ab illis abstulisset, Deus illos traditurus sit. 28. *Et fornicata es in filiis Assyriorum, eo quod necdum fueris expleta.* Et fornicata es cum filiis Assyriorum (אֶל־בְּנֵי אַשּׁוּר) eosdem videlicet deos, quos illi colerent assumendo, seque cum illis in religione erga idola prostituendo, cum nondum esset expleta, et satiata illa libidine, quam exercebat cum Aegyptiorum diis. *Et postquam fornicata es, nec*

sic es satiata. 29. *Et multiplicasti fornicationem tuam in terra Chanaan cum Chaldaeis; et nec sic satiata es.* 30. *In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus, cum facias omnia haec opera mulieris meretricis, et procacis?* 31. *Quia fabricasti lupanar tuum in capite omnis viae, et excelsum tuum fecisti in omni platea: nec facta es quasi meretrix fastidio augens pretium.* Meretrix enim, dum aversionem ostendit ab eo, qui eius complexum ardenter expetit; hunc inducit ad maius meretricium pretium promittendum. Cum vero cum Chaldaeis dicatur esse fornicata in terra Chanaan; in Chaldaea autem Chaldaei habitaverint; Chaldaea intelligitur hic nomine terrae Chanaan. Quod etiam S. Hieronymus docet ad hunc locum: „Ingredien„tes, inquit, Chaldaeam, quae est terra Chanaan, „imitati sunt (Judaei videlicet,) eorum errores, „quorum imperio subiacebant.“ Sed et subsequentis capitis versu 4. eadem Chaldaea, et Babylonia sic isto nomine Chanaan rursus compellatur. 32. *Sed quasi mulier adultera, quae super virum suum inducit alienos.* 33. *Omnibus meretricibus dantur mercedes: tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, et dona donabas eis, ut intrarent ad te undique ad fornicandum tecum.* 34. *Factumque est in te contra consvetudinem mulierum in fornicationibus tuis, et post te non erit fornicatio:* non erit fornicatio talis, ac tanta, quanta tua fuit. „Tanta fuit expositio adulterae ad omnem „turpitudinis magnitudinem, ait S. Hieronymus,

„ut non solum praesentibus, sed etiam futuris meretricibus praeferatur." *In eo enim, quod dedisti mercedes, et mercedes non accepisti, factum est in te contrarium.*

35. *Propterea meretrix audi verbum Domini.* 36. *Haec dicit Dominus Deus: quia effusum est aes tuum, et revelata est ignominia tua in fornicationibus tuis super amatores tuos, et super idola abominationum tuarum in sangvine filiorum tuorum, quos dedisti eis;* 37. *ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commista es, et omnes, quos dilexisti, cum universis, quos oderas, et congregabo eos super te undique, et nudabo ignominiam tuam coram eis, et videbunt omnem turpitudinem tuam.* Jerosolymae dire pro per hostes continuatione allegoriae vocatur eius denudatio ignominiosa, unde in despectum, et contemptum apud alias nationes veniret. 38. *Et iudicabo te iudiciis adulterarum, et effundentium sangvinem: et dabo te in sangvinem furoris, et zeli.* Chaldaeus: *Et ultionem sumam ex te, ultionem adulterantium, et effundentium sangvinem, et tradam te in occisionem in ira, et in furore.* 39. *Et dabo te in manus eorum, et destruent lupanar tuum, et demolientur prostibulum tuum, et denudabunt te vestimentis tuis, et auferent vasa decoris tui, et derelinquent te nudam, plenamque ignominia.* 40. *Et adducent super te multitudinem, et lapidabunt te lapidibus, et trucidabunt te gladiis suis.* 41. *Et comburent domos tuas igni, et*

facient in te iudicia in oculis mulierum plurimarum, et desines fornicari, et mercedes ultra non dabis. 42. *Et requiescet indignatio mea in te, et auferetur zelus meus a te, et quiescam, nec irascar amplius.* „Haec autem omnia, ait S. Hieronymus, per metaphoram mulieris adulterae, et „homicidae, quae non solum contra virum suum „fornicata sit, sed et filios interfecerit, dicuntur „ad Jerusalem, et quod congregandae sint universae gentes advèrsus eam, quarum adoraverit ido„la, et omnia Dei munera in cultum eorum con„verterit, et destruatur templum Baal, et arae „omnes civitatis incendio subvertantur, nihilque „in ea remaneat. Et sicut solent contra adulteram „omnes lapides iacere, et trucidare meretricem, „ut singulorum vulneribus occidatur; ita ut omnes „mulieres videant poenam fornicariae, sic in con„spectu aliarum in circuitu civitatum, et omnium „nationum deserendam Jerusalem. Et hoc fieri, ut „desinat fornicari, et non det ultra mercedes ama„toribus suis, et requiescat indignatio Dei, nec „irascatur ei, quam amare desierit. Ex quo per„spicimus grandem offensam esse, nequaquam cu„rae haberi a Deo, sed permitti hominem scele„ribus suis, atque peccatis. *Auferetur*, inquit, „*zelus meus a te, et requiescam, nec irascar am„plius:* quasi alienae, et quae a me recesserit, et „quam aeternae tradiderim nuditati.“ Fit respectus ad illam eius reprobationem, qua abiecta est a Deo penitus: quodque ei accidit postea vastatione illius

facta per Romanos. 43. *Eo, quod non fueris recordata dierum adolescentiae tuae, et provocasti me in omnibus his: quapropter et ego vias tuas in capite tuo dedi, ait Dominus Deus, et non feci iuxta scelera tua in omnibus abominationibus tuis.* „Et cum te subvertero, o adultera, ait S. „Hieronymus, tamen minus in te irae meae exer„cebo, quam meruisti, quo et in hoc Divina clemen„tia demonstretur, ut maiora sint peccata, quam „poenae.“ Fuit adhuc in eo Dei erga eam clementia, quod cum meruisset subverti, sicut Sodoma, et Gomorrha funditus, nemine relicto superstite; tamen salvae factae sint ex ea reliquiae. Isaiae 1. v. 9. Dies adolescentiae, quorum non est recordata, sunt dies, et tempus illud, quo, in adolescentia sua cum Deo est desponsata, et cuius gratiae, atque beneficii, quod immemor fuerit, illudque foedus connubii cum Deo toties violaverit, atque ruperit, prostituendo se idolis, ei exprobratur.

44. *Ecce omnis, qui dicit vulgo proverbium, in te assumet illud, dicens: sicut mater, ita et filia eius.* 45. *Filia matris tuae es tu, quae proiecit virum suum, et filios suos, et soror sororum tuarum es tu, quae proiecerunt viros suos, et filios suos. Mater vestra Cethaea, et pater vester Amorrhaeus.* 46. *et soror tua maior Samaria, ipsa, et filiae eius, quae habitant ad sinistram tuam; soror autem tua minor te, quae habitat a dextris tuis, Sodoma, et filiae eius.* Quam de Cethaea matre, Cethaei autem iidem sunt, qui

etiam Hethaei vocantur, et Chananaeam incoluerunt cum Amorrhaeis, pluribusque aliis populis ante Israelitas, quam, inquam, de Cethaea matre, et Amorrhaeo patre erga Israelitas, et Jerusalem, quoad nativitatis corruptam originem supra per prophetam Deus fecerat comparationem; hanc nunc facit quoad similitudinem, et imitationem flagitiosae vitae, et qua in re Jerusalem sicut matrem habet Cethaeam, patremque Amorrhaeum; ita insuper sorores habeat alteram Samariam, alteram Sodomam, cum quibus certet, atque contendat in turpissima vita. Maior autem eius soror Samaria, minor Sodoma vocatur non ratione temporis; fuit enim Sodoma antiquior multo, sed duarum inter se harum civitatum inter se contentione in provectione iniquitatis, et flagitii, qua Samaria, Sodomam, ipsaque proinde etiam Jerusalem, quae infra versu 51. in scelere anteponitur Samariae, antecessit. Cuius Jerusalem iterum respectu Samaria soror vocatur maior, quod in idololatria, et aureorum vitulorum cultu prior fuerit sorore sua Judaea, et Jerusalem. Ad dextram vero Jerusalem Sodoma collocata fuisse dicitur, ad eius sinistram Samaria, ab Jerusalem prospiciendo Orientem versus. Filiae Samariae, et Sodomae sunt civitates, et loca, quae sub illis posita, et quorum illae principes essent, et veluti matres. 47. *Sed nec in viis earum ambulasti, neque secundum scelera earum fecisti pauxillum minus: paene sceleratiora fecisti illis in omnibus viis tuis.* Non est in Hebraeo adverbium *paene*, sed litera *Vav.* Quae alias vulgo copulandi

vim habet, praeter alios autem multiplices usus facit etiam affirmationem, et tantumdem valet, quantum apud nos hae voculae asseverandi: quin imo, quin potius. Atque in hac significatione esse hoc sumendum hic, declarat versus subsequens 48. et 51. ubi non tantum aequiparatur Jerusalem Samariae, et Sodomae, sed omnino anteponitur.

48. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma, soror tua ipsa, et filiae eius, sicut fecisti tu, et filiae tuae.* 49. *Ecce haec fuit iniquitas Sodomae sororis tuae, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, et filiarum eius, et manum egeno, et pauperi non porrigebant.* 50. *Et elevatae sunt, et fecerunt abominationes coram me, et abstuli eas, sicut vidisti.* 51. *Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit: sed vicisti eas sceleribus tuis, et iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.* ,,Non simpliciter iu-,,stas, ait S. Hieronymus, Sodomam, et Samari-,,am decernit, sed comparatione deteriorum: quo-,,modo et publicanus non absolute iustus dicitur, ,,sed collatione peioris." Luc. 18. v. 14. Hoc modo Judas Thamarem, nurum suam, iustiorem se dixit, cum illam tantum in facinore, quod patratum ab ambobus est, minus deliquisse recognosceret, Genes. 38. v. 26. utpote, cui ipse causam praebuerit. 52. *Ergo et tu porta confusionem tuam, quae vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratius agens ab eis:* prae eis (מִמֵּךְ) *iustificatae sunt enim*

a te. Ergo et tu confundere, et porta ignominiam tuam, quae iustificasti sorores tuas. 53. *Et convertam restituens eas conversione Sodomorum cum filiabus suis, et conversione Samariae, et filiarum eius, et convertam reversionem tuam in medio earum,* 54. *ut portes ignominiam tuam, et confundaris in omnibus, quae fecisti consolans eas.* Hebraice: *Et convertam captivitatem earum, captivitatem Sedom, et filiarum eius; et captivitatem Someron, et filiarum eius; et captivitatem captivitatum tuarum in medio eius:* (וְשַׁבְתִּי אֶת־שְׁבוּתְהֶן אֶת־שְׁבוּת סְדֹם וּבְנוֹתֶיהָ וְאֶת־שְׁבוּת שֹׁמְרוֹן וּבְנוֹתֶיהָ וּשְׁבוּת שְׁבִיתַיִךְ בְּתוֹכָהְנָה) Numerus autem pluralis intendendae significationis gratia *captivitatem tuarum* pro *captivitatis tuae* est positus. Dicitur ergo futurum, ut et Sodoma, et Samaria redeat ad libertatem ex captivitate, et una cum his suis sororibus etiam Jerusalem. Dum vero revocanda dicitur Jerusalem ex captivitate; eo ipso intelligebatur futurum, ut in eam etiam incidat. Cum quo illud deinde nexum est, quod sequitur: *Ut portes ignominiam tuam, et confundaris in omnibus, quae fecisti consolans eas:* Sodomam videlicet et Samariam sorores: Quomodo autem has Jerusalem consolata est? dum similiter poenas dedit, ut illae. Nam, si unus plectatur, alter autem, qui perinde, aut plus etiam peccavit, immunis relinquatur; poena fit tristior ei, qui illam fert. De reversione autem omnium harum trium civitatum e sua captivitate, adhuc apertius est versu subsequente.

55. *Et soror tua Sodoma, et filiae eius revertentur ad antiquitatem suam; et tu, et filiae tuae revertimini ad antiquitatem vestram.* Samaria numquam rediit ad dignitatem suam pristinam, quin nec illa decem tribus, ex quibus illius regnum constabat, ex captivitate redierunt, nisi quidam pauci. Quod cum alias iam demonstratum a me est, tum est manifeste hoc apud Oseam prophetam cap. 1. v. 6. ubi se negat Deus ultra miserturum domus Israel, sed tantummodo domus Juda; deinde eo minus de Sodoma dici potest esse ex captivitate restitutam; primum, quae in captivitatem ne ducta quidem sit, sed quae igne conflagraverit, qui e caelo super eam cecidit; deinde, quae consumpta prorsus sit, ut praeter Loth, qui eductus solus cum uxore, et duabus filiabus est, servatus ex incendio sit nemo. Videndum ergo hic est, quid per antiquitatem intelligatur, ad quam non minus duae illae civitates, Samaria, et Sodoma, quam Jerusalem, revocatae dicuntur, et instauratae. Initio huius capitis dictum est, Jerosolymae eamdem nativitatis corruptae per peccatum esse conditionem, quae fuit Cethaeis, et Amorrhaeis. Haec vero antiquitas nativitatis non fuit, sed novitas, et ad quam corruptionem non ab initio sui ortus, et creationis homo positus a Deo est, sed in quam postea incidit per peccatum. Dum ergo hae civitates dicuntur restituendae esse suae antiquitati; designatur beneficium redemptionis, quo per Christum humanae naturae facta est reparatio, et ad quam

modo significabatur prophetice non tantum Jerusalem, et Judaeos, verum etiam Samariam, et Sodomam esse venturam, nec cum solis Judaeis, sed etiam cum Samaritanis, et Sodomitis esse donum illius antiquitatis communicandum. Sicut vero in illo, quem modo paulo ante memoravi, Oseae loco, cum se Deus domus Israel negasset ultra esse miserturum; tamen statim deinde subiicitur, numerum filiorum Israel futurum esse instar arenae maris, hoc nomine filiorum Israel denotando eos, qui ex fide sunt filii Abrahae, Gal. 3. v. 7. ita in Ezechiele, in isto loco hoc similiter fit, et cum per Jerusalem ii designentur, qui ex Judaeis vocati ad fidem, et renovati per Christum sunt, per Samariam, et Sodomam intelligantur, non tantum, qui in communione Religionis non essent cum Jerusalem, et Judaeis, sicut se Samaria ab Jerusalem separavit, ut iam nollet in consortio Religionis cum ea esse 3. Reg. 12. v. 28. verum etiam qui Sodomae instar cooperti turpissimis, obscoenissimisque flagitiis, et quo utroque nomine gentiles designarentur, qui tamen etiam renovandi essent ad suam antiquitatem. Quod factum postea est per Christum.

56. *Non fuit autem Sodoma, soror tua audita in ore tuo in die superbiae tuae,* 57. *antequam revelaretur malitia tua, sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriae, et cunctarum in circuitu tuo filiarum Palaestinarum, quae ambiunt te per gyrum.* „In diebus su-

„perbiae tuae, ait S. Hieronymus, quando pecca„bas, non es recordata eversionis Sodomae soro„ris tuae, antequam pateret malitia tua; quae hoc „tempore revelata est in tantum; ut cunctis urbi„bus Syriae, et Palaestinae, quae in circuitu tuo „sunt, fieres opprobrium." 58. *Scelus tuum, et ignominiam tuam tu portasti, ait Dominus Deus.* Praeteritum tempus pro futuro est positum more loquendi Prophetarum. 59. *Quia haec dicit Dominus Deus: et faciam tibi, sicut despexisti iuramentum, ut irritum faceres pactum;* 60. *et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiae tuae, et suscitabo tibi pactum sempiternum.* „Nequaquam ait S. Hieronymus, pactum „Evangelii sempiternum." Finis legis erat Christus Rom. 10. v. 4. et Joannis 1. v. 45. dicebat Philippus. „Quem scripsit Moyses in lege, et Pro„phetae, invenimus Jesum" Per legem enim promissus fuerat Christus. Deus erga illius temporis, quo legem Israelitis dedit recordatus est, dum Christum misit, per quem novum foedus sancitum est. 61. *Et recordaberis viarum tuarum, et confunderis, cum receperis sorores tuas te maiores cum minoribus tuis, et dabo eas tibi in filias, sed non ex pacto tuo.* Tam maiores hic, quam minores plures memorantur civitatis Jerusalem sorores. Non ergo hae tantum solae duae sunt Samaria, et Sodoma. Quid igitur? Intelliguntur nimirum civitatem, et regiones omnes, quae se per Evangelium Ecclesiae, quae spiritualis Jerusalem est, sub-

subiecerunt, et cuius Christus rex est, quemadmodum est Psalmo 2. v. 6. „Ego autem constitu- „tus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum „eius.“ Et cuius regni fines tenduntur per orbem universum. Cui in eodem Psalmo dicitur: „Postu- „la a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, „et possessionem tuam terminos terrae.“ Hoc tamen ut Jerusalem, veluti regina promoveretur inter suas sorores reliquas per omnia regna, in Jerusalemque constitueret regni sui sedem, etsi hoc erat promissum Jerosolymae data promissione de Christo, tamen hoc ei deinde non est praestitum a Deo ex pacto. Quod pactum iam non stetit, nec Deum obligatum tenuit, postquam conditiones illius, ut Deum unice coleret, Jerusalem violavit. Parte enim una transgrediente, et infringente conditiones, nec altera tenetur manere in pactione, quae debet esse mutua. Docet igitur Deum, se cum illam, quod pactum violaverit, pro merito suo habuerit; tamen idem illud pactum esse ei exsoluturum, tametsi id iam vi promissionis facere non teneretur, atque adeo esse hoc ex pura sua liberalitate, citra debitum suae etiam, quam fecit, promissionis. 62. *Et suscitabo ego pactum meum tecum, et scies, quia ego Dominus,* 63. *ut recorderis, et confundaris, et non sit tibi ultra aperire os prae confusione tua, cum placatus tibi fuero in omnibus, quae fecisti, ait Dominus Deus.* Confusio haec illius dicitur futura, postquam ei Deus iam fuerit placatus. Intelligitur ergo haec il-

lius confusio ex propria suorum scelerum, quae adversus Deum commisit, agnitione, unde erubescat. Quomodo ad Romanos etiam hac de causa confusos, et verecundia affectos post suam conversionem, scribit S. Paulus: „Quem ergo, inquit, „fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?" Rom. 6. v. 21.

CAPVT XVII.

Per aenigma duarum aquilarum declarat Deus Sedeciae, quod sub praesidium Pharaonis confugerit adversus Nabuchodonosorem, cui se subiectum fore iuratam fidem dedit, minime prospere esse successurum, sed captum iri, et in Babylonia esse moriturum.

1. *ET factum est verbum Domini ad me dicens:*
2. *Fili hominis propone aenigma, et narra parabolam ad domum Israel.* 3. *Et dices: haec dicit Dominus Deus: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri.* 4. *Summitatem frondium eius avulsit, et transportavit eam in terram Chanaan, in urbe negotiatorum posuit illam.* 5. *Et tulit de semine terrae, et posuit illud in terra pro semine, ut firmaret radicem super aquas multas: in superficie posuit illud.* 6. *Cumque germinasset, crevit in vineam latiorem humili statura respicientibus*

ramis eius ad eam, et radices eius sub illa erant. Facta est ergo vinea, et fructificavit in palmites, et emisit propagines. Istud hic adhuc in aenigmate propositum, inferius ab ipso Deo versu 12. huius capitis explicatur. Aquila est Nabuchodonosor rex Babylonis. Libani nomine Jerusalem intelligitur. In hoc monte medulla cedri fuit rex Jechonias, summitates frondium, quas haec aquila defregit, et avulsit, erant principes, et primores in regno Jechoniae, quos Nabuchodonosor transtulit in Babyloniam. Haec vero Babylonia, et Chaldaea aenigmatico nomine vocatur terra Chanaan, quod ei nomen etiam superioris capitis versu 29. fuit datum. Erant Chananaei, in quo numero etiam Sidon, et Tyrus fuerant civitates, inprimis, ut de his notum est civitatibus, mercaturae addicti. Quare Chananaeum pro mercatore etiam Salomon posuit Proverb. 31. v. 24. „Sindonem fecit inquit, „et vendidit; et cingulum tradidit Chananaeo" loquiturque de muliere forti, et strenua, quae labore manuum sic suam sustentaverit domum; ut ex rebus labore manuum paratis, et a se confectis, atque venditis suam etiam locupletaverit domum. Itidem vero Babylone viguit mercatura, quae ideo etiam hic in Ezechiele vocatur urbs negotiatorum. Hinc igitur a Chananaea, et ab illis civitatibus, in quibus floruit summopere mercatura, translatum est terrae Chanaan vocabulum per figuram sermonis, quae metaphora vocatur, ad ipsam etiam Babylonem. Quod vero hic est, aquilam tulisse de se-

mine terrae, illudque terrae imposuisse; hoc idem infra, dum aenigma hoc explicatur, et enodatur, semen regni appellatur. Atque iste erat Sedecias, quem Jechoniae a se capto, et abducto substituit in regia dignitate Nabuchodonosor. Aquae multae, super quas eius radicem defixit, et firmavit, est Judaeorum populus, cui illum regem praefecit. Nam aquarum nomine solere multitudinem alicuius populi designari Numer. 24. v. 7. iam demonstratum est. In superficie autem tantum terrae aquila illa, et Nabuchodonosor semen illud posuit, quod regnum infirmum hoc ei tradiderit, utpote quod servaret sibi subiectum, et obnoxium, quem iureiurando obstrinxerit ad subiectionem erga se. „In superficie posuit illum, ait S. Hieronymus, „nec potestatem eius alta imperii radice firmavit, „sed posuit eum, ut respiceretur: et sub potesta-„te esset Babylonia, sive humili statura respicien-„tibus ramis eius ad eam, ut praeesset quidem po-„pulis Judaeorum, sed respiceret ad Babylonii iu-„bentis imperium. Hoc est enim, quod Scriptu-„ra dicit: *Humili statura respicientibus ramis* „*eius ad eam*, subaudiatur, aquilam." Vinea, quae succrevit, fuit Judaeorum regnum, quod carptum, atque despoliatum, dum nobiliores omnes cum Jechonia ducerentur in captivitatem, sub Sedecia ia iterum se se nonnihil recollegerat.

7. *Et facta est aquila altera grandis, magnis alis, multisque plumis. Et ecce vinea ista, quasi mittens radices suas ad eam, palmites suos ex-*

*tendit ad illam, ut irrigaret eam de areolis ger-
minis sui.* „Aquila secunda, id est, altera, ait
„S. Hieronymus, et ipsa magna, plena plumis,
„multorum ungvium propter rapacitatem, et vasta-
„tionem gentium plurimarum, rex Aegypti est
„Pharaó. Et ecce vinea ista, subauditur rex Se-
„decias, qui a Nabuchodonosor in Jerusalem fue-
„rat constitutus, coepit, inquit, mittere, propa-
„gines suas ad eam, id est, ad regem Aegyptio-
„rum legatos dirigere, et ab eo contra regem,
„cui subditus erat, auxilium postulare. Hoc est
„enim, quod Scriptura nunc dicit, ut irrigaret
„eam de areolis germinis sui.“ 8. *In terra bona
super aquas multas plantata est, ut faciat frondes,
et portet fructum, ut sit in vineam grandem.* 9.
*Dic: haec dicit Dominus Deus: ergone prospera-
bitur? nonne radices eius evellet, et fructus eius
distringet* Hebraice: *Succidet* (יְקוֹסֵס) *et siccabit
omnes palmites germinis eius, et arescet: et non
in brachio grandi, neque in populo multo, ut evel-
leret eam radicitus.* „Quae in terra bona, ait
„S. Hieromus, a Nabuchodonosor plantata erat,
„ut faceret frondes, et adferret fructum, et cre-
„sceret in vineam latiorem, propterea iubetur Pro-
„phetae, ut loquatur ad vineam, quae a Nabu-
„chodonosor plantata erat, et ramos suos ad aqui-
„lam Aegyptiam miserat, numquid prosperabitur,
„quia hoc facere conata est, et non statim omnes
„propagines eius, et palmites siccabuntur?“ Quo-
modo vero de Pharaone dici potest, nam de hoc

esse istud ex collatione huius versus cum versu 17. ubi haec etiam aenigmatis pars explicatur, manifestum fit, quomodo ergo de Pharaone dici potest, quod ipse vineae istius radices evulserit, fructus succiderit, radicitusque eam sustulerit, siquidem is potius ferre auxilium conatus sit? Sedecias, fiducia fretus regis Aegypti, excussit subiectionem erga Nabuchodonosorem. Pharao autem istius rei causa fuit sui auxilii pollicitatione. Hac re perdidit funditus Sedeciam, eiusque regnum, qui nisi Sedeciae auxilium suum pollicitus fuisset; is rebellare adversus Nabuchodonosorem ausus non fuisset, nec Nabuchodonosor ad oppugnandam Jerusalem venisset. Quatenus igitur Pharao interitui Sedeciae ista ratione causam praebuit; eatenus is illi tribuitur. *Et non in brachio grandi, neque in populo multo:* hoc est, etiamsi brachium grande, et populum multum se Pharao putaverit habere, nihilominus prosperitas non erit, ut non sui auxilii latione vineam evellat radicitus. 10. *Ecce plantata est; ergone prosperabitur? Nonne cum tetigerit eam ventus urens, siccabitur, et in areis germinis sui arescet?* Vento urente intelligitur vis illius belli, qua Jerosolymam adgressus est, et oppugnavit Nabuchodonosor.

11. *Et factum est verbum Domini ad me dicens:* 12. *Dic ad domum exasperantem: nescitis, quid ista significent? Dic: ecce venit rex Babylonis in Jerusalem, et assumet regem, et principes eius, et adducet eos ad semetipsum in*

Babylonem. Est hoc de re iam praeterita. Quare altera etiam duo verba: *assumet*, *adducet*, in tempore praeterito sunt accipienda, et ita est in Hebraeo propter *Vav* conversivum: וַיִּקַּח, וַיָּבֵא 13. *Et tollet de semine regni, ferietque cum eo foedus, et ab eo accipiet iusiurandum, sed fortes terrae tollet:* Sedecias is erat de semine, et stirpe regia, cum quo foedus fecit, et iuramentum a quo accepit: 14. *ut sit regnum humile, et non elevetur, sed custodiat pactum eius, et servet illud.* Superius versu 8. fuit, sic esse hanc vineam a Nabuchodonosore plantatam, ut sit in vineam grandem. Istud ergo, ut sit regnum humile, et non elevetur, non eo pertinet, quasi noluisset multiplicationem hominum fieri in regno, quod Sedeciae tradidit, sed ut maneret erga eum humile, atque ei subiectum, atque ideo iuramentum ab eo exegit. 15. *Qui recedens ab eo misit nuncios ad Aegyptum, ut daret sibi equos, et populum multum. Numquid prosperabitur, vel consequetur salutem, qui fecit haec? et qui dissolvit pactum numquid effugiet?* 16. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in loco regis, qui constituit eum regem, cuius fecit irritum iuramentum, et solvit pactum, quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur.* 17. *Et non in exercitu grandi, neque in populo multo faciet contra eum Pharao praelium, in iactu aggeris, et in exstructione vallorum, ut interficiat animas multas.* Pharao cum suo exercitu moverat quidem ex Aegypto, ut

auxilium ferret Sedeciae, dum iam obsideretur Jerusalem per Chaldaeos. Ei venienti Nabuchodonosor, intermissa obsidione, obviam ivit. At Pharao suis rebus timens, metuque Nabuchodonosoris retraxit se, suumque reduxit exercitum, et Nabuchodonosor rediit ad continuandam Jerosolymae oppugnationem. Jerem. 37. v. 6. Sensus ergo est iste: Pharao contra Nabuchodonosorem non faciet praelium in exercitu suo grandi, hoc est, tametsi grandem secum duxerit exercitum, et numerosissimum habuerit militem; non faciet contra eum praelium iaciendo aggerem, et exstruendo valla, ut interficiat animas multas ex hostili videlicet Chaldaeorum exercitu. Hoc enim certe consilio se se moverat adversus Chaldaeos, ut cladem illis afferret, et ita propulsaret periculum ab Judaeis. Quod tamen ille praelium non iniit cum illis, ut Chaldaeorum animas multas conaretur interficere desertus ab animositate. 18. *Spreverat enim iuramentum, ut solveret foedus, et ecce dedit manum suam: et cum omnia haec fecerit, non effugiet.* Hoc est: et ideo, quod omnia haec fecerit, et iuramenti etiam religionem violaverit, non effugiet Sedecias. 19. *Propterea haec dicit Dominus Deus: vivo ego, quoniam iuramentum, quod sprevit, et foedus, quod praevaricatus est, ponam in caput eius.* 20. *Et expandam super eum rete meum, et comprehendetur in sagena mea, et adducam eum in Babylonem, et iudicabo eum ibi in praevaricatione, qua despexit me.* Non curando

religionem iuramenti: qui despectus reciderat in Deum, cuius nomine interposito iusiurandum dedit. 21. *Et omnes profugi eius cum universo agmine suo gladio cadent.*

22. *Haec dicit Dominus Deus: et sumam ego de medulla cedri sublimis, et ponam: de vertice ramorum eius tenerum distringam, et plantabo super montem excelsum, et eminentem.* 23. *In monte sublimi Israel plantabo illud, et erumpet in germen, et faciet fructum, et erit in cedrum magnam, et habitabunt sub ea omnes volucres, et universum volatile sub umbra frondium eius nidificabit.* 24. *Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile: et siccavi lignum viride et frondere feci lignum aridum. Ego Dominus locutus sum, et feci.* Quod medulla cedri ipsam regiam stirpem significet, fit perspicuum ex versu 3. huius capitis, ubi etiam medullam cedri esse acceptam est, dum Jechonias abduceretur rex a Nabuchodonosore in Babyloniam. Hanc autem medullam, aut vero potius hoc de medulla, quod Deus acciperet, dicit sese positurum, hoc est, insertum, implantaturum, unde deinde nova fieret arbor cedrus, sub qua omnes volucres habitarent. Quid ergo per istud aliquid de medulla significatur? Illud, quod est Jeremiae cap. 33. v. 15. „In diebus illis, et in tempore illo germinare faciam David germen iustitiae, et faciet iudicium, et iustitiam in terra. In diebus illis salva-

„bitur Juda, et Jerusalem habitabit confidenter, „et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Do- „minus Justus noster. Quia haec dicit Dominus: „non interibit de David vir, qui sedeat super thro- „num domus Israel.“ Intelligitur ergo Christus eductus a Deo ex illa medulla illius cedri, et regiae Davidicae stirpis, ex qua etiam fuit Jechonias, et ceteri reges Juda: tenerum ex ramis eiusdem cedri, cedrus autem totam Judaeorum gentem designat, et extremitates frondium defractae denotant reliquias eiusdem gentis, quae conversae ad Christum sunt, et speciatim Apostoli, quorum deinde praedicatione arbor illa crevit nova cedrus, quaeque super excelsum, et eminentem montem fuit constituta: quemadmodum et ab Isaia praedictum est cap. 2. v. 2. „Et erit in novissimis „diebus praeparatus mons domus Domini in ver- „tice montium, et elevabitur super colles, et flu- „ent ad eum omnes gentes:“ intelligiturque Ecclesia. Sub qua deinde cedro ingenti, in altissimo monte plantata, fructumque proferente, omnes volucres habitaturae, et nidificaturae erant. Quo intelligitur illud idem, quod modo per Isaiam de confluxu omnium gentium ad montem domus Domini dictum est. Lignum sublime, arbor autem intelligitur, quod Deus humiliavit, est synagoga; lignum humile, quod Deus exaltavit, est Ecclesia novi foederis. Huc eodemque lignum aridum, et viride pertinet, hoc altero Ecclesiam rursus, illo priore designante synagogam. Nam quae synago-

ga foecunditate ante erat donata a Deo, facta est sterilis, et arida: at contra Ecclesia ex gentibus collecta, et congregata, cum infoecunda ad illud usque Christi tempus fuisset, repente tum virere, et germinare coepit, adeo, ut foecunditate etiam longissime superet synagogam. Sic namque est hoc etiam praedictum ab Isaia 54. v. 1. et quod idem huius ipsius rei demonstrandae causa citatum est etiam a Paulo ad Galatas 4. v. 27. „Laetare, „inquit, sterilis, quae non paris: erumpe, et „clama, quae non parturis: quia multi filii de„sertae magis, quam eius, quae habet virum."

CAPVT XVIII.

Negat Deus hoc: parentes comedisse uvam acerbam, et dentes filiorum inde obstupescere, futurum deinceps Judaeis in proverbium: sed unumquemque, ob peccatum suum poenas esse soluturum: impiumque, si poenitentiam egerit, vita esse donandum; iustum, si ab iustitia deficiat, morte plectendum.

1. *ET factus est sermo Domini ad me dicens:*
2. *Quid est, quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt?* Si Judaei tantum ii hoc dixissent, qui mali erant; querimonia haec a perverso eorum animo profecta, non multam habere debe-

ret uaestionem, verumne id fuerit, quod querebantur. Etenim istud quoque spectandum esset velut unum ex illis, quae perverse de Deo sentirent, nec qui se peccasse vellent agnoscere, sed Deum potius de inclementia, et acerbitate accusare. Sed etiam Jeremias hoc idem questus est Thren. 5. v. 7. „Patres nostri, inquit, peccave„runt, et non sunt: et nos iniquitates eorum por„tavimus.“ Nempe, patres illorum omnino peccaverunt: et antequam haec poena, qua vastabatur Jerusalem, veniret, sunt mortui, atque adeo nec illam viderunt, vel tulerunt; filii autem eorum, cum non tantum parentes suos in perverse agendo secuti fuissent, verum etiam eos antecessissent, et superavissent, de quibus Jeremias dicit cap. 7. v. 26. „Peius operati sunt, quam patres eorum“ in hanc poenam inciderunt Deo repetente poenas parentum a filiis in tertiam, et quartam generationem, quemadmodum est Exodi 34. v. 7. et Deuteronomii 5. v. 9. Quae inter se loca contendens S. Hieronymus, sic hic in Ezechielem loquitur: „Scandalum, inquit, patiebantur occultum, quod „iniustitia videretur Dei alium peccare, et alium „luere peccata. Si enim reddit peccata patrum „super filios in tertiam, et quartam generationem, „iniustus videtur, ut alius peccet, et alius punia„tur. Sed ex eo, quod sequitur: *His, qui me* „*oderunt*, (Deut. 5. v. 9.) comminationis, sive „praecepti scandalum solvitur. Non enim ideo „puniuntur in tertia, et quarta generatione, quia

„deliquerunt parentes eorum, cum patres potius, „qui fuerunt peccatores, puniri debuerint; sed „quia patrum exstiterunt aemulatores, et oderunt „Deum haereditario malo, et impietate in ramos „quoque de radice crescente." Qua de re est iam etiam ad illa Pentateuchi loca dictum.

3. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola haec in proverbium in Israel.* 4. *Ecce omnes animae meae sunt, ut anima patris, ita et anima filii mea est: anima, quae peccaverit, ipsa morietur.* Quod haec promissio spectet ad Evangelii tempus, et ad legem gratiae, apertissime intelligitur ex Jeremiae cap. 31. v. 29. ubi sic est: „In diebus illis non dicent ultra: „Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt: sed unusquisque in iniquitate „sua morietur: omnis homo, qui comederit uvam „acerbam, obstupescent dentes eius. Ecce dies „venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel, „et domui Juda foedus novum, non secundum „pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in „die, qua apprehendi manus eorum, ut educerem „eos de terra Aegypti." Nam, postquam per baptismum deletum est originale peccatum, quod per generationem contractum est; iam parentum peccatum filiis non nocet: sed si quis postea nihilominus in mortem, atque exitium incurrat; fructus is est omnis propria actione commissae culpae, quin eum iam refundere possit in parentes. „Ad illud „igitur Testamentum generatio pertinet, ait S.

„Augustinus Operis imperf. contra Julian. l. 3. „c. 84. ad hoc autem regeneratio. Unde ibi „peccata patrum redduntur in filios; hic vero ge- „nerationis vinculo per regenerationem soluto, non „dicitur: *Patres manducaverunt uvam acerbam*, „*et dentes filiorum obstupuerunt*, sed eius, qui „manducaverit uvam acerbam, obstupebunt den- „tes: quia non in patris, sed in suo peccato, si „commiserit, quisque morietur.“ Et contra eumdem Julianum l. 6. cap. 25. „In hoc igitur Testa- „mento novo per sangvinem Mediatoris deleto „paterno chirographo, incipit homo paternis debi- „tis non esse obnoxius renascendo; quibus nascen- „do fuerat obligatus.“

5. *Et vir, si fuerit iustus, et fecerit iudicium, et iustitiam*, 6. *in montibns non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, et uxorem proximi sui non violaverit, et ad mulierem menstruatam non accesserit*, 7. *et hominem non contristaverit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit; panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento;* 8. *ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit; ab iniquitate averterit manum suam, et iudicium verum fecerit inter virum, et virum;* 9. *in praeceptis meis ambulaverit, et iudicia mea custodierit, ut faciat veritatem; hic iustus est; vita vivet, ait Dominus Deus.* Ex his illud: non comedere in montibus, pertinet ad idololatriam: siquidem in excelsis locis, et montibus consveve-

rint idola habere, iisque sacrificare. Ex quibus sacrificiorum carnibus sibi deinde epulas instruebant. 10. *Quod si genuerit filium latronem, effundentem sangvinem, et fecerit unum de istis:* 11. *et haec quidem omnia non facientem,* quae prius enumerata sunt, *sed in montibus comedentem, et uxorem proximi sui polluentem,* 12. *egenum, et pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, et ad idola levantem oculos suos, abominationem facientem,* 13. *ad usuram dantem, et amplius accipientem, numquid vivet? non vivet. Cum universa haec detestanda fecerit, morte morietur, sangvis eius in ipso erit.* Effusus sangvis intelligitur, qui sic futurus in illo sit. Itaque mortis supplicium exprimitur. Chaldaeus: *Reatus mortis eius erit in eo.* 14. *Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui, quae fecit, timuerit, et non fecerit simile eis;* 15. *super montes non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, et uxorem proximi sui non violaverit,* 16. *et virum non contristaverit, pignus non retinuerit, et rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento,* 17. *a pauperis iniuria averterit manum suam, usuram, et superabundantiam non acceperit, iudicia mea fecerit, in praeceptis meis ambulaverit; hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet.* 18. *Pater eius, quia calumniatus est, et vim fecit fratri, et malum ope-*

ratus est in medio populi sui; ecce mortuus est in iniquitate sua.

19. *Et dicitis: quare non portavit filius iniquitatem patris? videlicet, quia filius iudicium, et iustitiam operatus est, omnia praecepta mea custodivit, et fecit illa, vivet vita.* 20. *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur.* Quemadmodum versu 4. ita hic etiam anima pro homine est posita per synecdochen partem ponendo pro toto. Cuiusmodi exempla iam etiam fuere alibi, ut cum omnes animae domus Jacob sexaginta sex dicuntur fuisse, quae ingressae sunt in Aegyptum. Genes. 46. v. 26. *Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii. Justitia iusti super eum erit; et impietas impii erit super eum.* 21. *Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit iudicium, e t iustitiam; vita vivet, et non morietur.* 22. *Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: in iustitia sua, quam operatus est, vivet.* 23. *Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non, ut convertatur a viis suis, et vivat?* 24. *Si autem averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius; numquid vivet? omnes iustitiae eius, quas fecerat, non recordabuntur: in praevaricatione, qua praevaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morie-*

morietur. 25. *Et dixistis: non est aequa via Domini. Audite ergo domus Israel: numquid via mea non est aequa, et non magis viae vestrae pravae sunt?* 26. *Cum enim averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem; morietur in eis: in iniustitia, quam operatus est, morietur.* 27. *Et cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit iudicium, et iustitiam; ipse animam suam vivificabit.* 28. *Considerans enim, et avertens se ab omnibus inquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet, et non morietur.* 29. *Et dicunt filii Israel: non est aequa via Domini. Numquid viae meae non sunt aequae, domus Israel, et non magis viae vestrae pravae?* 30. *Idcirco unumquemque iuxta vias suas iudicabo, domus Israel, ait Dominus Deus. Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas.* 31. *Proiicite a vobis omnes praevaricationes vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum: et quare moriemini domus Israel?* 32. *Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, et vivite.*

CAPVT XIX.

Sub parabola leaenae, et leonis proponitur, quid Joachazo, et Jechoniae regibus Juda evenerit: item sub nomine vineae, quam totam ignis devastaverit, exhibetur, quid eventurum Jerosolymae sit.

1. *ET tu assume planctum super principes Isra-*
el, 2. *et dices: Quare mater tua leaena inter le-*
ones cubavit, in medio leunculorum enutrivit ca-
tulos suos? 3. *Et eduxit unum de leunculis suis,*
et leo factus est: et didicit capere praedam, ho-
minemque comedere. 4. *Et audierunt de eo gen-*
tes, et non absque vulneribus suis ceperunt eum,
et adduxerunt eum in catenis in terram Aegypti.
5. *Quae cum vidisset, quoniam infirmata est,*
et periit exspectatio eius; tulit unum de leunculis
suis, leonem constituit eum. 6. *Qui incedebat*
inter leones, et factus est leo, et didicit praedam
capere, et homines devorare, 7. *didicit viduas*
facere, et civitates eorum in desertum adducere;
et desolata est terra, et plenitudo eius a voce ru-
gitus illius. 8. *Et convenerunt adversus eum gen-*
tes undique de provinciis, et expanderunt super
eum rete suum; in vulneribus earum captus est.
9. *Et miserunt eum in caveam, in catenis ad-*
duxerunt eum ad regem Babylonis, miseruntque
eum in carcerem, ne audiretur vox eius ultra su-
per montes Israel. „Planctus igitur super prin-

„cipes est, ait S. Hieronymus, omnes videlicet, „qui de stirpe Josiae generati sunt. Mater prin„cipum Jerusalem leaena appellatur, quae leun„culos genuit, et nutrivit, unumque de leunculis „suis eduxit, et fecit leonem, Joachaz significans, „filium Josiae, quem Nechao Pharao duxit in Ae„gyptum, et pro eo constituit Joachim. Quo „mortuo Jechonias filius eius rex constitutus cum „matre, et optimatibus civitatis a Nabuchodono„sor ductus est in Babylonem. Perspicuumque „est, sub metaphora leaenae, leunculorum, et „leonis, rursumque alterius leonis illa describi, „quae eo tempore iam facta erant, quo haec Pro„pheta dicebat. Postquam enim Jerusalem edu„xit de stirpe regia Joachaz filium Josiae, et con„stituit in regem; tam crudelis in brevi exstitit „tempore, ut tropologice cepisse praedas, et ho„mines devorasse memoretur. Ad quem cum ve„nisset Aegyptius; cepit eum non absque vulne„ribus, sive in fovea, ut proprie in Hebraico con„tinetur, ut conservet tropologicam captionem „leonum (hoc est, ut servet allegoriam, quae „ducta est a captura leonum) qua semper in foveis „capi solent. Et adduxit eum in chamo (ex He„braeo *Chachim* (חַחִים) quod hamum, vel uncum „significat, est vocabulum hoc retentum a S. Hie„ronymo) sive in catenis in terram Aegypti, ibi„que mortuus est. Quod cum vidisset mater „eius Jerusalem, quae eum genuerat, quae nutri„erat, quae constituerat in regnum, quod periis-

„set exspectatio eius; tulit de aliis regibus Jecho-„niam filium Joachim, et constituit in regem. „Qui et ipse praecessoris imitatus crudelitatem, „sub leonis feritate describitur, quod homines de-„voraverit, multas viduas fecerit, ad desertum ad-„duxerit civitates, et ad vocem rugitus eius ter-„rita sit universa provincia, ita, ut convenirent „ad eum gentes, et expanderent super eum rete „suum, et in fovea caperent, et mitterent eum in „caveam, et in catenas, non quod hoc Jechoniae „factum sit; ipse enim se tradidit regi Babylonio, „et in Chaldaeam asportatus est; sed ut leonis „servetur translatio, qui capitur in foveis, catenis-„que constringitur, et in caveis reservatur." Historia huius rei, quae hic memorata est, 4. Reg. capite 23. et 24. describitur.

10. *Mater tua quasi vinea in sangvine tuo super aquam plantata est: fructus eius, et frondes eius creverunt ex aquis multis.* 11. *Et factae sunt ei virgae solidae in sceptra dominantium, et exaltata est statura eius inter frondes: et vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum.* 12. *Et evulsa est in ira, in terramque proiecta, et ventus urens siccavit fructum eius: marcuerunt, et arefactae sunt virgae roboris eius: ignis comedit eam.* 13. *Et nunc transplantata est in desertum, in terra invia, et sitienti.* 14. *Et egressus est ignis de virga ramorum eius, qui fructum eius comedit: et non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominantium. Planctus est, et erit in planctum.* „Di-

„versis sermonibus, ait S. Hieronymus, una res „dicitur. Et quomodo in superioribus legimus Je„rusalem pulchrae mulieri comparatam, et rursum „leaenae, quae in cubili suo leones nutrierit; sic „nunc viti, vel vineae pulcherrimae comparatur, „quae super aquas plantata sit multas, et idcirco „humore nutriti palmites in tantum increverint, „ut unus palmes; quem Scriptura virgam solidis„simam, sive fortissimam nuncupat, profecerit in „sceptra dominantium. Tantae autem erat ipsa „vinea pulchritudinis, ut splendor viroris eius flo„ribus mali punici coaequaretur: quod in Hebrai„co dicitur: *Quasi vinea in sangvine tuo*, rubore „florum sangvini comparato. Exaltata ergo vinea, „et erecta, *Quia superbis Deus resistit, humili„bus autem dat gratiam* (Jacobi 4. v. 6.) evulsa „est in furore Domini, in terramque proiecta, ut „ruinas Jerusalem elegans vitis translatio (hoc est, „metaphora haec de vitae, et vinea) custodiret.“ Transplantata autem est haec vinea in desertum, quia Jerusalem, et Judaea ad solitudinem deducta est per Chaldaeos moenibus, atque universa urbe diruta, incolisque omnibus partim caesis, partim captis, et in captivitatem abductis. Qui ignis, quo vastata est vinea, ex ipsis eius ramis, et palmitibus prodiit, siquidem ipsa Jerusalem hunc Dei furorem, quo conflagravit, suis sceleribus accenderit. Adversus quam a Deo sic dicitur Jeremiae 17. v. 4. „Quoniam ignem succendisti in furore meo, „usque in aeternum ardebis.“ Non remansit vero

in ea virga fortis, et sceptrum dominantium. Postquam enim Sedecias fuit captus, et in captivitatem abductus, desierunt esse amplius reges in Judaea, regioque relicta est vacua ab incolis, nisi quod pauperiores ab Chaldaeis relicti sint, saltem ne absque omni colono maneret terra. Sed qui ipsi etiam demigraverunt in Aegyptum. Jeremiae 43. v. 4.

CAPVT XX.

Seniores populi Israel veniunt ad Ezechielem, ut per eum consulerent Dominum. Quibus Deus negat responsum se esse daturum: et Prophetam iubet exprobrare illis flagitia, quae illi dimittere numquam voluerint, et quibus eum semper offenderunt.

1, *ET factum est in anno septimo, in quinto,*
in decima mensis: venerunt viri de senioribus Israel, ut interrogarent Dominum, et sederunt coram
me. 2. *Et factus est sermo Domini ad me di-*
cens: 3. *Fili hominis, loquere senioribus Israel,*
et dices ad eos: Haec dicit Dominus Deus: numquid ad interrogandum me vos venistis? Vivo ego, quia non respondebo vobis, ait Dominus
Deus. 4. *Si iudicas eos, si iudicas, fili hominis, abominationes patrum eorum ostende eis.* Si iudicas eos, si iudicas, Hebraice: *Nonne iudicabis eos, nonne iudicabis?* (הֲתִשְׁפֹּט אֹתָם הֲתִשְׁפּוֹט)

Judicare autem positum est pro arguere sceleris, obiurgare. Quare Chaldaeus hoc ita vertit: *An argues eos, an argues, fili hominis?* 5. *Et dices ad eos: haec dicit Dominus Deus: In die, qua elegi Israel, et levavi manum meam pro stirpe domus Jacob, et apparui eis in terra Aegypti, et levavi manum meam pro eis, dicens: ego Dominus Deus vester.* Levare manum, dum haec caelum versus dirigitur, ut indicetur etiam gestu, per quem iuretur, esse solet signum iuramenti, uti hoc modo etiam huius capitis versu 28. usurpatur. At vero pro plagis etiam idem hoc sumitur, siquidem et hic, dum hae alicui imponuntur, is, qui percutit, quo ictus gravior accidat, manum prius elevat, quam eam ad percutiendum demittat. Isto autem altero modo levatio manus hic posita est pro plagis, quibus Deus affecerit Aegyptios Israelitarum gratia. Itaque alibi quoque crebro, dum de eductione eorum ex Aegypto mentio fit, dicitur hoc Deus in brachio excelso, et extento fecisse, in multis prodigiis, et signis. Baruch 2. v. 11.

6. *In die illa levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de terra Aegypti in terram, quam provideram eis fluentem lacte, et melle, quae est egregia inter omnes terras.* 7. *Et dixi ad eos: unusquisque offensiones oculorum suorum abiiciat, et in idolis Aegypti nolite pollui. Ego Dominus Deus vester.* 8. *Et irritaverunt me, noluerunt-que me audire: unusquisque abominationes ocu-*

lorum suorum non proiecit, nec idola Aegypti reliquerunt. Hinc ex isto loco certissime intelligitur, Israelitas iam in Aegypto fuisse contaminatos idolatria. *Et dixi, ut effunderem indignationem meam super eos, et implerem iram meam in eis, in medio terrae Aegypti.* 9. *Et feci propter nomen meum, ut non violaretur coram gentibus, in quarum medio arant, et inter quas apparui eis, ut educerem eos de terra Aegypti.* „Ne pollueretur nomen meum, ait S. Hieronymus, et viderer, non potuisse complere, quod Israel repromiseram. Peperci igitur nomini meo, ne haberent occasionem blasphemandi nationes, inter quas notus factus sum eis in terra Aegypti." Israelitae etiam, antequam Moyses missus ad eos fuisset, sciverunt se ex Aegypto in terram Chanaan reductum iri. Hoc enim et Jacobo promissum est a Deo, cum se contulisset in Aegyptum cum sua tota domo; Genes. 46. v. 4. et Joseph, antequam moreretur fratribus suis declaravit. Genes. 50. v. 23. Quae res, cum Israelitis nota omnibus esset; facile vulgata etiam per Aegyptios est, in quorum medio illi vixerunt. Quod si ergo Deus poenis illos in Aegypto contrivisset; et si illos inde non eduxisset; Aegyptiis cavillari in mentem venisset, Deum ideo suum Israeliticum populum consumpsisse, quod de eius eductione ex Aegypto adversus Aegyptiorum prohibitionem desperaverit.

10. *Eieci* Hebraice *Eduxi* (אוֹצִיאֵם) *ergo eos*

de terra Aegypti, et eduxi eos in desertum. 11.
Et dedi eis praecepta mea, et iudicia mea osten-
di eis, quae faciens homo vivet in eis. Judicia,
Hebraice: *Mischpatim*, eadem intelliguntur, quae
sunt statuta, et decreta. 12. *Insuper et sabbata*
mea dedi eis, ut essent signum inter me, et eos,
et scirent, quia ego Dominus sanctificans eos.
13. *Et irritaverunt me domus Israel in deserto:*
in praeceptis meis non ambulaverunt, et iudicia
mea proiecerunt, quae faciens homo vivet in eis,
et sabbata mea violaverunt vehementer. Dixi ergo,
ut effunderem furorem meum super eos in deserto,
et consumerem eos. 14. *Et feci propter nomen*
meum, ne violaretur coram gentibus, de quibus
eieci eos in conspectu earum. 15. *Ego igitur leva-*
vi manum meam super eos in deserto, extendi
iam manum ad eos percutiendos, *ne inducerem eos*
in terram, quam dedi eis fluentem lacte, et melle,
praecipuam terrarum omnium; 16. *quia iudicia*
mea proiecerunt, et in praeceptis meis non ambu-
laverunt, et sabbata mea violaverunt. Post idola
enim cor eorum gradiebatur. 17. *Et pepercit ocu-*
lus meus super eos, ut non interficerem: nec con-
sumpsi eos in deserto. 18. *Dixi autem ad filios*
eorum in solitudine: in praeceptis patrum vestro-
rum nolite incedere, nec iudicia eorum custodia-
tis, nec in idolis eorum polluamini. 19. *Ego Do-*
minus Deus vester: in praeceptis meis ambulate,
iudicia mea custodite, et facite ea, 20. *et sab-*
bata mea sanctificate, ut sint signum inter me,

et vos, et sciatis, quia ego sum Dominus Deus vester. 21. *Et exacerbaverunt me filii: in praeceptis meis non ambulaverunt, et iudicia mea non custodierunt, ut facerent ea; quae cum fecerit homo, vivet in eis; et sabbata mea violaverunt. Et comminatus sum, ut effunderem furorem meum super eos, et implerem iram meam in eis in deserto.* 22. *Averti autem manum meam, et feci propter nomen meum, ut non violaretur coram gentibus, de quibus eieci eos in oculis earum.* Nam eadem ratione, ut supra demonstratum est, criminati iidem Aegyptii fuissent Deum, strage Israelitas esse affectos ab eo in deserto, quod propositum suum de illis introducendis in terram Chanaan ex virium suarum imbecillitate effectum dare non potuerit. 23. *Iterum levavi manum meam in eos in solitudine, ut dispergerem illos in nationes, et ventilarem in terras,* Et propter vitulum aureum, quem adorarunt, et rursus post exploratorum reditum, cum desperassent se esse a Deo introducendos in terram promissam; Deus paratus erat illos universos delere. Exod. 32. v. 10. Num. 14. v. 12. 24. *eo quod iudicia mea non fecissent, et praecepta mea reprobassent, et sabbata mea violassent, et post idola patrum suorum fuissent oculi illorum.* 25. *Ergo et ego dedi eis praecepta non bona, et iudicia, in quibus non vivent,* 26. *et pollui eos in muneribus suis, cum offerrent omne, quod aperit vulvam propter delicta sua: et scient, quia ego Dominus.* „Neque dixit, ait S.

„Hieronymus, dedi eis praecepta mala, sed non „bona. Non enim statim sequitur, ut quod bonum „non est, sit malum: sicut et Apostolus docet, „bonum esse homini uxorem, vel mulierem non „tangere.“ (1. Cor. 7. v. 26.) Nam feminam, si uxor sit, tangere, malum non est, tametsi bonum sit prorsus feminam non tangere, et vivere in continentia.

Fuerunt autem praecepta, Israelitis data, omnino non bona. Sic enim loquitur S. Paulus ad Hebraeos 7. v. 18. „Reprobatio fit, inquit, praece„dentis mandati propter infirmitatem eius, et inu„tilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex.“ Et rursus, quam 2. Cor. 3. v. 7. et 9. ministrationem mortis vocet, et damnationis, quaeque Dei iram sit operata: siquidem ubi lex non est, nec sit praevaricatio. Rom. 4. v. 15. Nam, cum lex tantum praeciperet; per se ipsam autem vires non praeberet ad perficiendum id, quod praeciperetur; cupiditates autem, quae se constringi in homine nolunt, carne concupiscente adversus spiritum, cum vehementius adhuc in illud ferantur, quod est prohibitum; lex propter humanae naturae corruptam hanc indolem facta est occasio maioris praevaricationis: quemadmodum dicit Paulus: „Lex autem „subintravit, ut abundaret delictum.“ Rom. 5. v. 20. Tamquam igitur servis, et durae cervicis, qui rebelles adversus Deum perpetuo essent, illoque deserto, et contempto falsos sibi deos assumerent, nec in Deo suam fiduciam collocarent, etiam

postquam in Aegypto tantam illius potentiam in illis prodigiis, quae illorum gratia patravit, vidissent tam manifeste; et omnium luculentissime, dum tam mirabiliter traducerentur per mare Rubrum; Deus vicissim talibus illos legibus, quae servis tantum essent convenientes, non filiis, mancipavit. Quia tamen per legem cognitio peccati, ut inquit S. Paulus ad Rom. 3. v. 20. illaque ostenderet illis, quid agere deberent, et quid omittere, et lucerna pedibus, atque lumen semitis eorum esset, Psal. 118. v. 105. si modo lumen illud voluissent sequi, erat „Lex sancta, et mandatum sanctum, „et iustum, et bonum.“ Roman. 7. v. 12.

Talis ergo ratio cum esset illarum legum, in illis omnino, ut modo in versu 25. est, non vivebant, hoc est, vi legis ad iustificationis donum, per quod vitam adipiscerentur aeternam, non perveniebant. „Quia ex operibus legis non iustifica„bitur omnis caro coram illo.“ Rom. 3. v. 20. et rursus ad Galatas 3. v. 11. „Quoniam autem, in„quit, in lege nemo iustificatur apud Deum; ma„nifestum est, quia iustus ex fide vivet. Lex au„tem non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in „illis.“ Hoc sic de praeceptis, victurum in illis, qui ea observaret, est etiam supra capitis huius versu 11. et 21. Similiter etiam Levitici 18. v. 5. idem de illis dicitur. „Custodite, ait ibi Deus „per Moysem, leges meas, atque iudicia, quae „faciens homo vivet in eis.“ Quomodo ergo haec sibi contraria non sunt, quando iam dicitur, quod

in his non vivent, iam rursus, quod in iis vivent? In lege vitam erant consecuturi, sed non vi legis, verum virtute fidei: rursus autem vitam non erant adepturi in lege, nisi observantia legis animata esset per fidem. Et bene, quamvis habendo fidem, in lege tamen etiam dicuntur victuri, quod etiamsi quis fidem haberet; tamen si legem transgrederetur, morte damnandus esset. Sic enim est Deuteronomii 4. v. 1. „Et nunc Israel audi praecepta, „et iudicia, quae ego doceo te, ut faciens ea vi„vas.“ Et rursus capite 8. eiusdem libri versu 1. „Omne mandatum, quod ego praecipio tibi hodie, „cave diligenter, ut facias, ut possitis vivere.“ et Matthaei 19. v. 17. „Si vis ad vitam ingredi, „serva mandata.“ Nam cum fides illa valeat, quae per charitatem operatur, Gal. 5. v. 6. Plenitudo autem legis sit dilectio Rom. 13. v. 10. et: Qui habet mandata mea, et servat ea, ille sit, qui diligat me Joan. 14. v. 21. aeternae autem vitae bona, quae oculus non vidit, nec auris audivit, Deus praeparaverit illis, qui diligunt illum; 1. Cor. 2. v. 9. consequens est, ut per fidem, quae disiuncta est ab legis observantia, vita obtineri non possit: utpote quae fides sine operibus mortua sit. Jacobi 2. v. 20.

Quod ergo discrimen inter vetus, et novum Testamentum relinquitur, si et ibi ad legem accedere debuit fides, et hic in novo fides etiam non sufficiat, et valeat, quae sine legis observantia est? Quia foedus antiquum non habuit sibi promis-

sam Dei gratiam, sine qua nec creditur, nec lex potest observari: quae vero promissio est erga foedus novum. Sic enim est Jeremiae cap. 31. v. 33. ,,Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde ,,eorum scribam eam:" quaeque lex quoad Vetus Testamentum tantum fuit data in tabulis lapideis: et quia, ut Joannis 1. v. 17. est: ,,Lex per Moysem data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est." ,,In illo vero Testamento, ait ,,S. Augustinus de Gestis Pelagii cap. 5. quod proprie vetus dicitur, et datum est in monte Sina, ,,non invenitur promitti apertissime, nisi terrena ,,felicitas. Unde illa terra, quo est populus introductus, et per eremum ductus, terra promissionis vocatur, in qua pax, et regnum, et ab inimicis victoriarum reportatio, et abundantia filiorum, ac fructuum terrenorum, et siqua huiusmodi, haec sunt promissa veteris Testamenti. Quibus etsi figurantur ad novum Testamentum pertinentia spiritualia; tamen, qui propter illa terrena suscipit legem Dei; ipse est haeres veteris ,,Testamenti. Ea quippe secundum vetus Testamentum promittuntur, atque tribuuntur; quae secundum hominem veterem concupiscuntur. Quae ,,autem illic ad novum Testamentum pertinentia ,,figurantur, novos homines quaerunt. Neque nesciebat enim, quid loqueretur tantus Apostolus, ,,qui duo Testamenta in ancilla, et libera, allegorica significatione distincta esse dicebat, veteri filios carnis, novo filios promissionis attribuens.

„*Non qui filii carnis*, inquit, *hi filii Dei*, *sed* „*filii promissionis deputantur in semen*. Rom. 9. „v. 8. Filii ergo carnis pertinent ad terrenam Je„rusalem, quae servit cum filiis suis; filii autem „promissionis ad eam, quae sursum est, liberam „matrem nostram in caelis aeternam. (Gal. 4. v. „25.) Unde perspicitur, qui ad regnum terrenum, „et qui pertineant ad regnum caelorum. Istam di„stinctionem, qui etiam illo tempore, per Dei „gratiam, intelligentes, filii promissionis effecti sunt; „novi Testamenti haeredes in occulto Dei consilio „deputati sunt, etiamsi vetus Testamentum, per „temporum distributionem Divinitus datum pópu„lo veteri congruenter ministraverunt.“ Quare idem S. Augustinus, cum saepe alibi, tum in libro 3. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 4. docet, iustos omnes, etiam qui Abrahamum antecesserunt, ad novi Testamenti gratiam pertinere. „Sive igitur Abraham, inquit, sive post eum us„que ad ipsum Moysem, per quem datum est „Testamentum a monte Sina, in servitutem gene„rans; sive ceteri Prophetae post eum, et sancti „homines Dei usque ad Joannem Baptistam, filii „sunt promissionis, et gratiae secundum Isaac fi„lium liberae, non ex lege, sed ex promissione „haeredes Dei, cohaeredes autem Christi.“ Qui ergo eumdem nobiscum Spiritum fidei, sine qua etiam illis impossibile fuisset placere Deo, Hebr. 11. v. 6. eamdemque nobiscum legem habuerunt, siquidem hanc Christus venerit non solvere, sed

adimplere Matth. 5. v. 17. nullum etiam inter nos, si non mortuam, sed vivam fidem exhibeamus, et illos, qui in veteri Testamento vixerunt, quique sic Dei observaverunt mandata, ut in iis viverent per fidem; intercedit discrimen: nisi quod gratiam, sine qua nec ipsi possent credere, vel observare legem, non haberent sibi datam ex fonte haustam testamenti veteris, sed novi: quo et ipsi ora applicarent per fidem in unum Mediatorem Dei, et hominum Jesum Christum, ita ut foedera quidem inter se duo vetus, et novum differrent, quorum alterum sibi haberet adnexam gratiae per Christum promissionem, alterum legem quidem haberet, sed sine illa promissione: hominibus autem; qui in illo foedere legem observarent, et una fidem exhiberent, gratia, qua salutem adipiscerentur, tribueretur ex foedere, quod Christi sangvine sancitum est, novo: et sine qua gratia Vetus testamentum est litera occidens: novum vero Testamentum, quia gratiam habet sibi adiunctam Spiritus est vivificans. 2. Cor. 3. v. 6.

Similiter vero, ut de praeceptis, et de lege modo dictum est, non fuisse bonam, utpote, quae iustificare per seipsam neminem posset; sic de muneribus quoque est, quod Deus illos in his polluerit: quae scilicet eorum sacrificia, quae Deus illis, ut offerrent, praescripserat, eiusmodi erant, ut expiare non possent peccata, Deumque propitium facere, et offensum reconciliare. „Impossibile enim „est, ait S. Paulus ad Hebr. 10. v. 4. sangvine

„tauro-

„taurorum, et hircorum auferri peccata.“ Et de quibus tamen muneribus, atque oblationibus est, illas in expiationem proficere; Levitici 1. v. 4. offerri pro expiatione; Numer. 5. v. 8. Deum propitium futurum, dum ei victima fuerit oblata; Levit. 4. v. 20. et de illo die, quo singulis annis solennis fiebat totius populi expiatio, est Levitici 16. v. 30. „In hac die expiatio erit vestri, atque „mundatio ab omnibus peccatis vestris: coram Do„mino mundabimini.“ Sangvine autem vituli, et hirci peragebatur illa expiatio, et mundatio. Ut ergo supra demonstratum, Justos in lege veteri esse iustificatos non vi legis, sed per fidem, ita illa etiam sacrificia non eiusmodi erant, ut per se possent expiare illorum peccata, atque Deum illis placare; sed qua sacrificiorum oblatione tamen sibi propitium facerent Deum per fidem charitate erga eum ardentem, dum haec coniuncta esset cum sacrificio. Qua de re iam ad Levitici 1. v. 4. etiam est dictum. Deus autem, dum illis talia munera dedit, quae offerrent, eadem ratione dicitur eos polluisse, qua Pharaonem, et ipsos Judaeos induravisse. Exodi 4. v. 21. Isaiae 63. v. 17. Nam sicut eatenus tantum de Deo dicitur, illos induravisse, quatenus duritiem, quam illi ex se habebant, non sustulit; ita sacrificiis ipsos etiam polluit, qui eiusmodi sacrificia illis tradiderit, quae vim mundandi illos non haberent, et auferendi sordes, in quibus erant. *Cum offerrent omne, quod aperit vulvam propter delicta sua.* Unum hoc in specie ge-

nus oblationis commemoratur primogenitorum, quodque etiam perinde eiusmodi munus fuerit, in quo eos Deus polluerit, propter illorum autem delicta. Quibus sicut propter duram cervicem dedit praecepta non bona; ita propter delicta, quibus eum identidem gravissime offenderit, non bona etiam sacrificia concesserit.

27. *Quamobrem loquere ad domum Israel, fili hominis, et dices ad eos: Haec dicit Dominus Deus: adhuc et in hoc blasphemaverunt me patres vestri, cum sprevissent me contemnentes,* 28. *et induxissem eos in terram, super quam levavi manum meam, ut darem eis: viderunt omnem collem excelsum, et omne lignum nemorosum, et immolaverunt ibi victimas suas, et dederunt ibi irritationem oblationis suae, et posuerunt ibi odorem svavitatis suae, et libaverunt libationes suas.* Oblatio, quam idolis exhibuerunt, irritatio oblationis dicitur, qua scilicet oblatione irritaverint Deum. 29. *Et dixi ad eos: quid est excelsum, ad quod vos ingredimini? Et vocatum est nomen eius excelsum usque ad hanc diem.* In exelsis locis solebant potissimum idola sua constituere, et colere. Quaerit igitur Deus, quid sit excelsum, et quid in illo peculiare sit, et quaenam res illius loci eos permoveat ad eundum eo, ut superstitioni ibi vacent? Docetque deinde eos stulte istiusmodo editis locis excelsorum etiam nomen imposuisse, quo quasi dignitatem illorum praedicent.

30. *Propterea dic ad domum Israel: Haec dicit Dominus Deus: Certe in via patrum vestrorum vos polluimini, et post offendicula eorum vos fornicamini.* 31. *Et in oblatione donorum vestrorum, cum traducitis filios vestros per ignem, vos polluimini in omnibus idolis vestris usque hodie: et ego respondebo vobis domus Israel? Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non respondebo vobis.* Senes Israel venerant, ut per Ezechielem consulerent in quodam suo negotio Deum, ut est initio capitis. His igitur negat se ad id responsurum, quod quaerebant. 32. *Neque cogitatio mentis vestrae fiet, dicentium: erimus, sicut gentes, et sicut cognationes terrae, ut colamus ligna, et lapides.* 33. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, et in brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos.* 34. *Et educam vos de populis, et congregabo vos de terra, in quibus dispersi estis in manu valida, et in brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos:* 35. *et adducam vos in desertum populorum, et iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem.* Antecessit, dixisse illos, sese more aliarum nationum culturos ligna, et lapides. Negat autem Deus istud futurum, neque sibi Israeliticum populum, a quo colatur, defuturum, dicitque se super illos omnino regnaturum, illosque sibi pro populo futuros, atque hoc effectum in manu illius forti, et furore effuso esse dandum. Quod Deus dispersum populum iterum congregaturus esset, id declarabat eius

potentiam, manumque eius fortem, et brachium extentum: sed furor effusus profecto ad ultionem, et vindictam significandam, quam una exerceret, pertinet. Super Israelitas autem utrumque Deus praestitit. Benignitatem enim, et clementiam illis exhibuit, quos ex illis ad suum cultum revocavit; furorem, et vindictam, quos poenis addixit, et perdidit, ut qui Deum, bonitate eius adducti, nollent rocognoscere; tamen sentirent illum esse Deum in poenis. Nam de utrisque, quid ipsis eventurum a Deo esset, deinde explicatur. Ac primum de illis alteris, quos ex peregrinis populis, inter quos dispersi nunc sunt, collecturus, et in desertum populorum adducturus sit, ubi facie ad faciem cum illis iudicabitur. Est oratio coloribus vestita rerum illarum, quae inter Deum, et Israeliticum populum intercesserunt, postquam eductus esset ex Aegypto in desertum Arabiae, et ubi Deus legem ei dedit, foedusque cum eo fecit. Sensus igitur est, Deum cum illo Israele, quem ex captivitate revocaturus est, novum foedus esse facturum, quemadmodum foedus antea in deserto fecerat cum Israelitico populo, quem ex Aegypto eduxit in desertum ad montem Sina. *Et ibi iudicabor*, inquit, *vobiscum facie, ad faciem.* Hoc: *iudicabor vobiscum*, cum Dei, et populi mutuam actionem declaret, ac proinde ad irrogationem poenae non possit pertinere, ex subsequente versu 37. perspicuum fit, in qua significatione positum sit. Nam hos eosdem, dicit ibi Deus, se subiecturum

sceptro suo, et inducturum se in vinculis foederis. Quo profecto perspicue intelligitur, quod iam dixi futurum, ut Deus illos sibi assumat in populum suum, super quem regnet, et quos Deus tracturus ad se, sibique vinculis foederis adstricturus sit. Vocabulum: *iudicium* non significare semper actionem iudicis, qua de reo quaestionem exercet, et illum damnat, atque punit, non multo ante etiam versu 25. exemplum fuit. Quare, iudicari Deum cum illis, significat, mutuis pactionibus, in foedere quod solet fieri, quasi lege obligari. Facie autem ad faciem dicit Deus, se hoc foedus cum illis esse initurum, hoc est palam, manifeste. Foedus illud cum sangvine Christi fuisset sancitum; inter Deum, et novum illius Israeliticum populum, est deinde declaratum, et in effectum datum die Pentecostes, quando Spiritus sanctus venit super Apostolos, Divinaeque gratiae promissione, vi illius foederis, illos replevit. Hoc autem factum est facie ad faciem, in conspicua videlicet forma Spiritus sancti in lingvis igneis, et in illo eiusdem Spiritus S. igne, quo eorum corda sunt accénsa, et in lingvis, quas e vestigio novas loquebantur, plurimisque et clarissimis prodigiis, quibus idem illud foedus deinde per Apostolos declarabatur. Desertum vero hoc, in quo hoc foedus fieret, desertum populorum vocatur, quod multi populi hi futuri essent, quibus foedus hoc suum daturus esset Deus.

36. *Sicut iudicio contendi adversum patres vestros in deserto terrae Aegypti, sic iudicabo vos, dicit Dominus Deus.* Hebraice: *Sicut iudicatus sum cum patribus vestris* (כאשר נשפטתי את־אבותיכם) *in deserto terrae Aegypti, sic iudicabor vobiscum,* (אשפט אתכם) *dicit Dominus Deus.* 37. *Et subiiciam vos sceptro meo, et inducam vos in vinculis foederis.* Inducam vos Hebraice: *accedere faciam vos.* (והבאתי אתכם) Intelligitur ergo Deus illos ad se esse illius foederis vinculo tracturus, sibique agglutinaturus. 37. *Et eligam de vobis transgressores, et impios, et de terra incolatus eorum educam eos, et in terram Israel non ingredientur: et scietis, quia ego Dominus.* Terra incolatus eorum, in Hebraeo est: *Terra peregrinationis eorum* (ארץ מגוריהם) Rursusque sub figura illorum Israelitarum, qui educti quidem sunt ex Aegypto, ubi erant peregrini, sed introducti in terram promissam non sunt, et quibus Deus iuravit in ira sua, si introibunt in requiem eius, Psal. 94. v. 11. pertinet modo hoc ad illos, de quibus antecessit, Deum in furore effuso regnaturum esse super eos. Quorum sicut alteros foedere sibi copulaturus esset Deus, et in terram Israel reducturus, ita e contrario alteros, ante sit perditurus, quam venirent in eamdem terram Israel, et in promissam sibi patriam. Quoniam autem, ut iam saepe demonstratum est, Israelitici populi illa ex Babylonia revocatio typum expressit conversionis gentium omnium, per mundum dispersarum, ad fidem,

illoque nomine revocationis Judaeorum ex captivitate populorum omnium liberatio per Christum e servitute peccati, et eorum in Ecclesia, quod Christi regnum est, collocatio significatur; quod olim gestum est per illos Israelitas in typo, et figura, qui educti ex Aegypto, cum Deo inobedientes exstitissent in deserto, atque increduli, non pervenerunt ad terram promissam, sed ante in deserto perditi, et morte affecti sunt a Deo; idem hoc erga spiritualem Israelem ex omnibus populis confectum, et novo foedere Deo adstrictum ostenditur futurum. Quem postquam Deus e terra pristina suae peregrinationis, hoc est, ex illa alienatione, in qua erat prius ab eo, eduxisset, ad summque cultum perduxisset; tamen ex his eos, qui sunt transgressores, et impii, electurum, et separaturum, ut una cum ceteris in terram Israel non perveniant, hoc nomine caelestem patriam designando: quam significaret illa etiam Israelitis promissa lacte, et melle manans regio, et ad quam hi perventuri non sint. Quia nimirum non omnes, qui fidem suscipiunt, et per Baptismum intrant in hanc, quae in peregrinationis statu adhuc posita Ecclesia est, si transgressores, impiique sint, pervenient ad illam caelestis patriae, quae nobis promissa est, aeternam habitationem: ad quam nos etiam Paulus hortatur, illorum, qui non introierunt ex Israelitis in terram sibi promissam exemplo, dicens: Fe-
„ stinemus ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum
„ quis incidat incredulitatis exemplum.“ Hebr. 4. v. 11.

39. *Et vos domus Israel, haec dicit Dominus Deus, singuli post idola vestra ambulate, et servite eis. Quod si et in hoc non audieritis me, et nomen meum sanctum pollueritis ultra in muneribus vestris, et in idolis vestris;* 40. *in monte sancto meo, in monte excelso Israel, ait Dominus Deus, ibi serviet mihi omnis domus Israel: omnes, inquam, in terra, in qua placebunt mihi.* Israelitae, ad quos modo ista dicebantur nomine Dei per Prophetam, sibi, ut supra fuit versu 32, proposuerunt more aliarum nationum ligna, et lapides colere. His ergo dicitur, ut siquidem ita luberet, tantum obsequerentur animo suo in colendis illis idolis. Ac deinde: *Quod si et in hoc non audieritis*, Hebraice: *Et postea: si non vos audieritis me* (וְאַחַר אִם־אֵינְכֶם שֹׁמְעִים אֵלָי) et nomen meum sanctum pollueritis ultra in muneribus, et idolis vestris; tamen in monte sancto meo, in monte excelso Israel ibi serviet mihi, ait Dominus Deus, omnis domus Israel, omnes in terra, in qua mihi placebunt. Sensus igitur, quod si hi, qui secundum carnem Israelitae sunt, Deum noluerint colere; tamen eum populus Israel culturus sit in illius sancto monte Sion, qui nimirum per fidem fierent filii Abrahae, et ex quibus deinde constitueretur Christi Ecclesia. *Et ibi quaeram primitias vestras, et initium decimarum vestrarum* Hebraice *initium donorum vestrorum* (רֵאשִׁית מַשְׂאוֹתֵיכֶם) Quod Chaldaeus vertit: initium ciborum vestrorum, Syrus, primas fruges: *in omnibus sanctificationi-*

bus vestris: hoc est, in omnibus, quascumque res primitiarum nomine deberent Deo offerre, et consecrare. 41. *In odorem svavitatis suscipiam vos, cum eduxero vos de populis, et congregavero vos de terris, in quas dispersi estis, et sanctificabor in vobis in oculis nationum.* 42. *Et scietis, quia ego Dominus, cum induxero vos ad terram Israel, in terram, pro qua levavi manum meam, ut darem eam patribus vestris.* 43. *Et recordabimini ibi viarum vestrarum, et omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis, et displicebitis vobis in conspectu vestro, in omnibus malitiis vestris, quas fecistis.* 44. *Et scietis, quia ego Dominus, cum benefecero vobis propter nomen meum, et non secundum vias vestras malas, neque secundum scelera vestra pessima, domus Israel, ait Dominus Deus.* Perspicuum est ex multis similibus locis, et Propheticis documentis, quae iam hactenus antecesserunt, et ut in hoc ipso capite iam etiam demonstratum est, rem hanc omnem ad novum Testamentum, et ad eum qui spiritu fidei Israeliticus populus factus est, ad novamque Sionem, quae est Christi Ecclesia, pertinere, illosque veteres Israelitas, et eorum oblationes munerum tantum typum fuisse fidelium novi Testamenti in Ecclesia, a quibus in spiritu et veritate adoraretur Deus, et erga quos etiam a Malachia praedictum est: „Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni

„loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio „munda“ Malachiae 1. v. 11.

45. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens:* 46. *Fili hominis, pone faciem tuam contra viam Austri, et stilla ad Africum, et propheta ad saltum agri meridiani.* Fuit Ezechiel in Babylonia, cuius respectu Jerusalem, et Judaea ad Austrum, et ex parte ad Occidentem, unde ventus Africus flat, spectabat. Nam contra Jerusalem omnino hanc prophetiam dirigi, subsequentes versus declarabunt. Eamdemque Jerusalem, et Judaeam saltum etiam agri Meridiani vocat, ideo, quod Judaea, ut notum est montosa fuerit regio. Stillare autem est positum pro: fundere prophetiam, quod alterum deinde etiam verbum: prophetare declarat. 47. *Et dices saltui meridiano: audi verbum Domini, haec dicit Dominus Deus: Ecce ego succendam in te ignem, et comburam in te omne lignum viride, et omne lignum aridum: non exstingvetur flamma succensionis: et comburetur in ea omnis facies ab Austro, usque ad Aquilonem.* Per lignum viride, et aridum, possent intelligi iuvenes, et senes. At vero cum sequentis capitis versu 3. in quo continuatur haec ad Jerusalem prophetia, sit in illa calamitate, quae eventura esset Jerosolymae, Deum gladium suum esse evaginaturum ad occidendum iustum, et impium; per viride, et aridum lignum omnino iusti, et impii veniunt intelligendi, qui utrique belli illius calamitatem experirentur. Combustio omnis faciei

ab Austro usque ad Aquilonem significat totius regionis devastationem ab eius extremitate una ad alteram. 48. *Et videbit universa caro, quia ego Dominus succendi eam, nec exstingvetur.* Ignis videlicet, ne totum illud combustionis negotium peragat, quemque impedire, et prohibere nemo possit. 49. *Et dixi: a, a, a Domine Deus! ipsi dicunt de me: numquid non per parabolas loquitur iste?* „Et est sensus, ait S. Hieronymus, „planius loquere, non intelligimus, per parabolam „quid loquaris; aperto sermone Dei nobis pande „sententiam.“

CAPUT XXI.

Devastationem, quae ab Chaldaeis Jerosolymae impendeat, Propheta declarat, Nabuchodonosoremque in bivio omen esse capturum docet, Judaeosne prius, an Ammonitas adgredi deberet, captoque vero omine Jerosolymam primum, ac deinde Ammonitas esse vastandos ab eo, ipsosque Babylonios etiam esse extremum interituros.

1. *ET factus est sermo Domini ad me, dicens:* 2. *Fili hominis, pone faciem tuam ad Jerusalem, et stilla ad sanctuaria, et propheta contra humum Israel,* 3. *et dices terrae Israel: haec dicit Dominus: Ecce ego ad te, et eiiciam* Hebraice: *educam* (הוֹצֵאתִי) *gladium meum de vagina sua, et occidam in te iustum, et impium.* Supra fuit

capitis 14. v. 14. peccante terra, et Deo illam vastante, atque puniente, si tres viri isti Noe, Daniel, et Job fuerint in ea; iustitia sua esse liberandos. At ibi res est de eo exitio, et supplicio, quod impii subituri sunt aeternum, et quod omnino iusti semper evadent. Quod vero idem non tenet de aliis huius vitae adversitatibus, et de morte ipsa temporali. An non ipse ille Daniel, qui modo memorabatur, eamdem cum ceteris captivitatem subiit? non eam subierunt tres iusti illi pueri, qui Danielis fuerunt socii, non ipse Ezechiel, non plures alii? Nam temporalibus poenis peraeque afficiuntur a Deo iusti, ad fidei eorum exercitationem, et probationem, et saepe etiam magis, quam ii, qui impii, et aversi a Deo sunt. „Multae „tribulationes iustorum, ait Psaltes, et de omni„bus his liberabit eos Dominus.“ Psal. 33. v. 20. Et S. Paulus ad Hebraeos 10. v. 36. „Patientia „enim vobis, ait, necessaria est, ut voluntatem „Dei facientes, reportetis promissionem.“ Et rursus Eiusdem Pauli est istud quoque Actor. 14. v. 21. „Quoniam per multas tribulationes opor„tet nos intrare in regnum Dei.“ Intelligitur ergo, quomodo illi liberationi hoc, quod modo Deus se dicat nec iusto esse parsurum, itemque illi iustorum signationi, quam in visione vidit fieri Ezechiel supra capite 9. v. 6. ne eis noceretur, dum ceteri omnes caederentur, et interficerentur in urbe Jerusalem, contrarium non sit. Ad magnitudinem autem mali pertinet certe designandam,

dum hoc eiusmodi demonstratur esse futurum, ut omnes comprehendat, nullusque illud possit effugere. Tali igitur plaga significatur ferienda esse Jerusalem.

4. *Pro eo autem, quod occidi in te iustum, et impium, idcirco egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab Austro usque ad Aquilonem,* 5. *ut sciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem.* Cum dicat egressurum esse tantum modo adhuc gladium, illud quoque: *Pro eo autem, quod occidi in te iustum, et impium,* est in futuro tempore accipiendum. 6. *Et tu fili hominis ingemisce in contritione lumborum, et in amaritudinibus ingemisce coram eis.* „Non levi voce, „ait S. Hieronymus, nec dolore moderato, sed in „contritione lumborum, ut gemitus tuus ex imis „visceribus, et amaritudine animi proferatur.“ 7. *Cumque dixerint ad te: quare tu gemis? dices: pro auditu, quia venit, et tabescet omne cor, et dissolventur universae manus, et infirmabitur omnis spiritus, et per cuncta genua fluent aquae. Ecce venit, et fiet, ait Dominus Deus.* „Tanta cunctos, ait S. Hieronymus, occupabit trepidatio, „atque formido, ut timore cogente artus, et viscera dissolvantur, et vesica humorem tenere „non valeat, ita ut urina genua polluantur. Naturale est enim, ut timore cogente vesica laxetur, et adversus hominis voluntatem humor defluat.“

8. *Et factus est sermo Domini ad me dicens:* 9. *Fili hominis propheta, et dices: haec dicit Dominus Deus: loquere: Gladius, gladius exacutus est, et limatus;* 10. *ut caedat victimas, exacutus est; ut splendeat, limatus est: qui moves sceptrum filii mei, succidisti omne lignum.* „Loquitur autem ad gladium Nabuchodonosor, ut „veniat contra Jerusalem, ait S. Hieronymus, ut „exacuatur, atque limetur: multos enim esse caedendos, et ad ipsum apostrophen facit: tu es, „qui moves, atque subvertis sceptrum filii mei, „imperium videlicet populi Israel, et omne lignum „succidis, universam populi multitudinem." Populum Israel vocat Deus filium suum etiam saepe Exodi 4. v. 22. „Filius meus primogenitus Israel. „Dixi tibi: dimitte filium meum, ut serviat mihi." Item Isaiae 1. v. 2. Oseae 11. v. 1. 11. *Et dedi eum ad laevigandum, ut teneatur manu: iste exacutus est gladius, et iste limatus est, ut sit in manu interficientis.* Laevigatio illa est de capulo gladii. Dicitur enim hoc ea de causa esse factum, ut teneatur. Quod autem laevigatum est, propter lubricitatem minus deinde firmiter tenetur. Non ergo laevigatio qualiscumque intelligitur, sed ea illius expolitio, et fabrefactio, qua fiat gladius aptus ad manum, ut firmiter servari, et versari facile in omnes partes possit. 12. *Clama, et ulula fili hominis, quia hic factus est in populo meo, hic in cunctis ducibus Israel, qui fugerant:* factus est super populum meum, super cunctos duces Israel: *gladio tra-*

diti sunt cum populo meo: idcirco plaude super femur. „Idcirco percute femur, ait S. Hieronymus, „sive manum, et habitum plangentis assume.“ 13. *Quia probatus est, et hoc, cum sceptrum subverterit, et non erit, dicit Dominus Deus.* „Hic „enim gladius probatus est mihi, ait S. Hierony„mus, et hoc, cum sceptrum meum, regnumque „subverterit: quod ultra non erit, et in Se„decia rege finietur.“ Hebraeum ad verbum sic est: *Quia probatio: et quid si etiam sceptrum abiiciens? non erit* (כִּי בֹחַן וּמָה אִם־גַּם־שֵׁבֶט מֹאֶסֶת לֹא יִהְיֶה) Est autem sensus: Quia probatio illius gladii, sive, ut S. Hieronymus vertit, quia probatus est mihi ille gladius. Et quid si etiam sceptrum abiiciens erit idem ille videlicet gladius? sive ut clarius adhuc ponam: Quid si gladius sceptrum etiam abiecerit? Intelligitur autem una etiam illud, quod praecessit, Deum istud quoque probaturum esse. Ac deinde per affirmationem sequitur: Et non erit, nimirum hoc sceptrum: dicit Dominus Deus.

14. *Tu ergo, fili hominis, propheta, et percute manu ad manum: et duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum. Hic est gladius occisionis magnae, qui obstupescere eos facit:* Ut femoris percussio, ita manus quoque cum manu complosio consternationis signum est, 15. *et corde tabescere, et multiplicat ruinas.* Nectitur hoc adhuc cum verbo superioris versus: Hoc est gladius, qui eos corde tabescere facit; et multiplicat ruinas. *In omnibus portis eorum dedi conturbationem gla-*

dii acuti, et limati ad fulgendum, amicti ad caedem. 16. *Exacuere, vade ad dexteram, sive ad sinistram, quocumque faciei tuae est appetitus.* 17. *Quin et ego plaudam manu ad manum, et implebo indignationem meam; ego Dominus locutus sum.* „Ego plaudam manu ad manum, ait S. Hie-„ronymus, ut saevientem te contra adversarios „meos, quasi fautor tuus, et exhortator instigem.“

18. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens:* 19. *Et tu fili hominis, pone tibi duas vias, ut veniat gladius Babylonis. De terra una egredientur ambae, et manu capiet coniecturam: in capite viae civitatis coniiciet.* Ubi scilicet una prior via in duos se ramos divideret, et alia parte ad civitatum, quae deinde statim memorabuntur, unam, alia parte ad aliam iretur. Itaque caput viae civitatis utriusque intelligitur. 20. *Viam pones, ut veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon, et ad Judam in Jerusalem munitissimam.* 21. *Stetit enim rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quaerens, commiscens sagittas: interrogavit idola, exta consuluit.* 22. *Ad dexteram eius facta est divinatio super Jerusalem, ut ponat arietes, ut aperiat os in caede, ut elevet vocem in ululatu, ut ponat arietes contra portam, ut comportet aggerem, ut aedificet munitiones.* „Factus est sermo Domini ad me dicens, verba „sunt S. Hieronymi, vis fili hominis scire, quis „iste sit gladius, et apertius discere personam gla-„dii saevientis? Ausculta, quae dico: pone duas „vias

„vias, ut per illas veniat gladius regis Babylonis.
„Qui egredietur quidem uno itinere Chaldaeorum,
„sed cum venerit per desertum, et solitudinem
„ad bivium terrae Arabiae, quae appellatur filio-
„rum Ammon, quarum una via Jerusalem ducit
„ad dextram partem, sinistra vero ad Rabbath fi-
„liorum Ammon, quae est civitas metropolis, et
„hodie Philadelphia nominatur; memor, inquit,
„internecionis, quae accidit regi Assyrio, quando
„centum octoginta quinque millia una nocte sunt
„caesa, formidabit ad dextram partem declinare,
„et ire contra munitissimam Jerusalem: sed stabit
„in ipso compito, et ritu gentis suae oraculum
„consulet, ut mittat sagittas suas in pharetram, et
„commisceat eas, inscriptas, sive signatas nomi-
„nibus singulorum, ut videat, cuius sagitta exeat,
„et quam prius debeat civitatem oppugnare. Hanc
„autem Graeci βελομαντίαν, sive ῥαβδομαντίαν no-
„minant. (Latine significat augurium ope virgae,
„vel iaculi.) Interrogavit igitur idola, exta consu-
„luit. Ad dexteram facta est divinatio eius, ut per-
„geret contra Jerusalem, et oppugnaret eam, ag-
„geres comportaret, arietes poneret, aedificaret
„munitiones, urbemque concluderet, et in caede
„aperiret os suum, et fremitum exultantis, et ulu-
„lantis exercitus concitaret.“ Aperire os in caede,
significat milites hortari ad patrandam caedem.

23. *Eritque quasi consulens frustra oraculum in oculis eorum, et sabbatorum otium imitans: ipse autem recordabitur iniquitatis ad capiendum.*

„Hoc, inquit, faciens, verba sunt S. Hieronymi, „videbitur habitatoribus Jerusalem oraculum frustra „consulere, et quasi sabbatorum otium tenere, lu„dere videlicet, et nihil operis perpetrare. Rex „autem Babylonis non in sua fortitudine, sed in „iniquitate populi confisurus est, qua scit eos offen„disse Deum, et peccata patrum novis cumulasse „delictis, et praevaricationes eorum omnibus pa„tuisse, et idcirco non dubitabit de victoria, quia „confidet de iniquitate Jerusalem.“ Videtur in specie illa iniquitas Judaeorum Nabuchodonosorem ad fiduciam victoriae animasse, qua illi foedus cum eo initum, et iuramento etiam firmatum violaverunt, seque ab eius subiectione subtraxerunt: quaeque illum procul dubio causa exstimulavit ad inferendum illis bellum, et ob quod crimen violati iuris iurandi etiam supra fuit capitis 17. v. 19. Deum esse minatum se se illud iuramentum, et foedus positurum in caput Sedeciae regis. 24. *Idcirco haec dicit Dominus Deus: pro eo, quod recordati estis iniquitatis vestrae, et revelastis praevaricationes vestras, et apparuerunt peccata vestra in omnibus cogitationibus vestris, pro eo, inquam, quod recordati estis, capiemini.* Quod quis libenter in mente, et memoria gerit; illud amat. Itaque recordatio iniquitatis significat in illis animum iucunde affectum deditumque pristinis flagitiis, et quae insuper etiam revelent, atque proferant, et pandant, atque adeo in quibus nec verecundiam aliquam habeant, ut saltem illa celarent.

25. *Tu autem profane, impie dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis praefinita.* „Post urbis Jerusalem subversionem, ait S. Hiero„nymus, et captivitatem populi, ad ducem Israel „sermo dirigitur, quem nemini dubium est, signi„ficari Sedeciam, in quo regum Israel de stirpe „David imperium finitum est." 26. *Haec dicit Dominus Deus: aufer cidarim, tolle coronam: nonne haec est, quae humilem sublevavit, et sublimem humiliavit?* Pro cidari in Hebraeo est *Mitznepheth*, significatque illud, quod circumvolvitur, quod idem Graecis dicitur diadema. Ad insigneque regium hoc pertinere indicat alterum nomen coronae: deinde quod dirigatur sermo ad Sedeciam regem, ut est superiore versu. Sensus vero est, nonne haec corona est, quae Sedeciam extulit, ad fastumque, et ad superbiam inflavit; et quae eadem cidaris, et corona illum etiam rursus deprimet: qui propter superbiam suam, quam in corona illa exercuit, deiiciendus ex dignitate sua sit.

27. *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam, et hoc non factum est, donec veniret, cuius est iudicium, et tradam ei.* Iniquitas per metonymiam pro poena iniquitatis est posita: et sensus est, futurum, ut Deus illius coronam, hoc est ipsum regem debita poena suae iniquitatis adficiat, et ponat illum, atque habeat, ut meritus propter suam iniquitatem est. Conduplicatio, et tanto magis triplicatio vocabuli rei, quae dicitur intensionem significat. *Et hoc non est factum, donec ve-*

niret, cuius est iudicium, et tradam ei. Et hoc, ut sic corona regia apud Judaeos haberetur, uti modo scilicet in Sedecia habenda esset, non est factum, donec veniret is, cuius est iudicium. Is vero Christus intelligitur. De quo est Jeremiae 33. v. 15. „In diebus illis, et in tempore illo germi-„nare faciam David germen iustitiae, et faciet iu-„dicium, et iustitiam in terra.“ Et rursus cap. 23. v. 5. „Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et sus-„citabo David germen iustum, et regnabit Rex, „et sapiens erit, et faciet iudicium, et iustitiam in „terra. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel „habitabit confidenter, et hoc est nomen, quod „vocabunt eum, Dominus iustus noster.“ *Et tradam ei:* Deus scilicet dicit, se illi traditurum iudicium, auctoritatemque iudicandi, secundum illud nimirum, quod est etiam apud Joannem cap. 5. v. 27. „Potestatem dedit ei iudicium facere, quia „filius hominis est.“ Est Genesis 49. v. 10. „Non „auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore „eius, donec veniat, qui mittendus est, et ipse „erit exspectatio gentium.“ Cum ergo iam tempus huius adventus appropinquaret, auctoritas quoque imperii Judaeorum imminuebatur vehementius: et cum redacta fuisset, et constricta sub Roboamo rege intra terminos tantummodo duarum tribuum Juda, et Benjamin, reliquis omnibus tribubus deficientibus, propriumque sibi regem constituentibus; nunc ita afflicta est, ut insignia etiam regia amiserit, quin tamen penitus defecerit. Perseveravit enim

Judaeorum populus etiam post captivitatem, rursusque ad iura civitatis rediit, licet numquam ea ratione absoluta potestatis, qua antea, qui Persis, Graecis, et tandem Romanis semper fuerit obnoxius, usque dum tandem tota Judaeorum natio per Titum, et Hadrianum Romanorum imperatores dissipata ita est, et disiecta; ut civitatis, quae propriam aliquam rempublicam constitueret, formam omnem prorsus amiserit. Neque enim illa, quae Judae ab Jacobo patre data benedictio est vel restringi tantummodo debet ad insignia regia, quod si ita esset, Sedecia e dignitate deiecto ad implendum illud Jacobi oraculum iam nunc venire Christum oportuisset; vel putandum est, illam constitisse in una Davidis domo, et familia. Judae enim data illa benedictio est. Nec Judas deinde sola familia Davidis, sed tota tribus fuit: atque adeo perstitit in Juda auctoritas politica, etiamsi non recte ex familia, et stirpe Davidis princeps deinde esset, dummodo iura civitatis perseveraverint in eadem tribu ad illud usque tempus, quo Christus venit in mundum. Qua de re iam etiam ad Genesis caput 49. fuit.

28. *Et tu fili hominis propheta, et dic: haec dicit Dominus Deus ad filios Ammon, et ad opprobrium eorum, et dices: mucro, mucro, evagina te ad occidendum; lima te, ut interficias, et fulgeas.* Verbum utrumque, quod hic in imperativo est cum pronomine secundae personae, est in Hebraeo in participio *mucro evaginate et limate*

(פְּתוּחָה מְרוּטָה) eodemque modo Chaldaeus, Syrus et Graeci Septvaginta, ipsaque Romana Correctio habet. Atque sic melius etiam hoc deinde nexum est cum eo, quod sequitur in apodosi istius periodi versu 30. *Revertere, revertere ad vaginam tuam.* Ad opprobrium ergo filiorum Ammon dicitur a Deo: Mucro, mucro evaginate ad occidendum; limate, ut interficias, et fulgeas: 29. *cum tibi viderentur vana, et divinarentur mendacia, ut dareris super colla vulneratorum impiorum, quorum venit dies in tempore iniquitatis praefinita; 30. revertere ad vaginam tuam: in loco, in quo creatus es, in terra nativitatis tuae iudicabo te.* Est apostrophe ad gladium Chaldaeorum, ut postquam caede Ammonitarum ob eorum impietatem satiatus esset; rediret ad suam vaginam: qui ipse quoque deinde domi suae Dei iudicium subiturus esset. Istud: *cum tibi viderentur vana, et divinarentur mendacia,* est interpositum per parenthesin, pertinetque ad Ammonitas, qui de hac sua clade, quam experturi erant, nihil opinarentur, quosque eorum arioli, et divinatores falsa immunitatis spe deluderent. Ad eorum vero opprobrium dicitur haec illis calamitas eventura; quod cum ipsi in Judaeos propter eorum devastationem, quam experti sunt ab Chaldaeis probra, et convitia coniecissent; Sophoniae 2. v. 8. hoc idem ipsis deinde acciderit. 31. *Et effundam super te indignationem meam: in igne furoris mei sufflabo in te, daboque te in manus hominum insipientium, et fabricantium interitum. 32. Igni eris*

cibus, sangvis tuus erit in medio terrae, oblivioni traderis: quia ego Dominus locutus sum. Ad gladium Chaldaeorum, hoc est ad ipsos Chaldaeos continuatur adhuc oratio. Sunt autem dati in manus Medorum, et Persarum: sangvis eorum in medio terrae denotat effusionem sangvinis et caedem ipsorum, omnium expositam oculis. Oblivionique tradita est Babylon, quae regno, et imperio suo eversa sit funditus, non quasi ipsum etiam illius nomen intercidisset. De qua sic fuit etiam in Isaiae cap. 13. et 19. „Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, in„clyta superbia Chaldaeorum, sicut subvertit Do„minus Sodomam, et Gomorrham: non habitabi„tur usque in finem."

CAPVT XXII.

Exponuntur foedissima omnis generis crimina, quibus Judaei Deum offenderint, quin aliquis repertus esset, qui se ad furorem Dei avertendum interposuisset.

1. *ET factum est verbum Domini ad me dicens:*
2. *Et tu fili hominis, nonne iudicas, nonne iudicas civitatem sangvinum?* 3. *Et ostendes ei omnes abominationes suas, et dices: haec dicit Dominus Deus: civitas effundens sangvinem in medio sui, ut veniat tempus eius, et quae fecit idola contra semetipsam, ut pollueretur:* 4. *in sangvine tuo, qui a te effusus est, deliquisti; et in idolis tuis,*

quae fecisti, polluta es: et appropinquare fecisti dies tuos, et adduxisti tempus annorum tuorum. Propterea dedi te opprobrium gentibus, et irrisionem universis terris. 5. *Quae iuxta sunt, et quae procul a te, triumphabunt de te; sordida, nobilis, grandis interitu*, Hebraice: Quae iuxta sunt, et quae procul, *irridebunt te pollutam nomine, magnam tumultu* (יִתְקַלְּסוּ־בָךְ טְמֵאַת הַשֵּׁם רַבַּת הַמְּהוּמָה) Tumultus vero nomine vis, et violentia significatur, quam exercuerit in opprimendis aliis. In quo non discrepat hoc etiam, quod Latinus Interpres vocabulum posuit: *contritio*; qua ipsa videlicet affecerit alios. Quod deinde declarat versus etiam subsequens. 6. *Ecce principes Israel singuli in brachio suo fuerunt in te ad effundendum sangvinem.* 7. *Patrem, et matrem contumeliis affecerunt in te, advenam calumniati sunt in medio tui; pupillum, et viduam contristaverunt apud te.* 8. *Sanctuaria mea sprevisti, et sabbata mea polluisti.* 9. *Viri detractores* Chaldaeus, Viri calumniatores *fuerunt in te ad effundendum sangvinem, et super montes comederunt in te, scelus operati sunt in medio tui.* In montibus comedere, quod ad idololatriam spectet, est iam declaratum supra ad capitis 18. v. 6. Pro scelere in Hebraeo est vocabulum *Zimmah* (זִמָּה) quod vero significat cum studio, et deliberatione patratum facinus. Denotatur igitur illorum non qualiscumque, sed deliberata, et in qua se de industria mens exercuerit eorum, malitia. S. Hieronymus incestum hic significari isto nomine in Com-

mentario docet. Et de flagitiis istius generis omnino modo succedit oratio.

10. *Verecundiora patris discooperuerunt in te, immunditiam menstruatae humiliaverunt in te.* Ad feminam, dum in fluxu suo menstruo esset, vetatur accessus Levit. 20. v. 18. altero priore crimine denotatur violatio thori paterni. „Verecundiora patris nudaverunt in te, ait S. Hieronymus, novercae „contra fas, et licitum copulati." 11. *Et unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem, et socer nurum suam polluit nefarie; frater sororem suam, filiam patris sui oppressit in te.* 12. *Munera acceperunt apud te ad effundendum sangvinem: usuram, et superabundantiam accepisti, et avare proximos tuos calumniabaris, meique oblita es, ait Dominus Deus.* 13. *Ecce complosi manus meas super avaritiam tuam, quam fecisti, et super sangvinem, qui effusus est in medio tui.* Complosione manuum alacritas significatur, qua Deus ad sumendam vindictam processurus sit. Sic namqne etiam fuit superioris capitis versu 17. „Quin et ego plaudam manu ad manum, et im„plebo indignationem meam." 14. *Numquid sustinebit cor tuum, aut praevalebunt manus tuae in diebus, quos ego faciam tibi? Ego Dominus locutus sum, et faciam.* 15. *Et dispergam te in nationes, et ventilabo te in terras, et deficere faciam immunditiam tuam a te.* 16. *Et possidebo te in conspectu gentium: et scies, quia ego Dominus.* Ubi Latinus posuit; *Possidebo te*, in Hebraeo est:

וְנִחַלְתְּ בָךְ *Venichalleth bach.* Quod verbum, cum a duplici radice *Nachal* possedit, et *Chalal* eviluit, profanatus est, possit deduci; Interpretes non eamdem omnes rationem interpretandi tenuerunt. Est autem manifeste verbum in secunda persona. Quare nonnisi violenter ad possessionis significationem, ut aliquid apte aliquo modo prodeat, hoc trahi potest. Verbum autem Hebraicum *Chalal*, cum significat vacuum, inanem fieri, indeque latius de profanatione etiam usurpetur, siquidem ei, quod profanatur, dignitas, et veneratio detrahitur; omnino prodibit sensus iste aptus: *Et in te eris vacuefacta* (in passiva enim voce secundum Hebraeum, est verbum) *in conspectu gentium:* quam scilicet Deus omni honore, et existimatione spoliaturus sit inter alias nationes, ad quas dispergetur, et quam eae omnes veluti sordidatam, et foedam propter turpitudinem calamitatis, quam accepit, habiturae sint. Illius autem immundities ut cesset, dicit Deus se facturum. Ablatis enim, et abactis in captivitatem iis, qui in Jerusalem foedissima illa crimina perpetrarunt, cessavit, et defecit illius immundities, cum iam non superessent, qui illam exercerent.

17. *Et factum est verbum Domini ad me dicens:* 18. *Fili hominis, versa est mihi domus Israel in scoriam. Omnes isti aes, et stannum, et ferrum, et plumbum in medio fornacis: scoria argenti facti sunt.* Et cum scoria argenti comparantur, et cum aere, stanno, plumbo, et ferro. Scoria argenti vocantur, qui cum puri, ut argentum debe-

rent esse, fuerint nonnisi illius scoria, et foex. Rursus vero metallis illis, quae dicta sunt, assimilantur, quos Deus eo modo, ut fundi solent illa metalla, igne liquaturus sit, ut hoc deinde subsequentibus versibus declaratur. 19. *Propterea haec dicit Dominus Deus: eo, quod versi estis omnes in scoriam; propterea ecce ego congregabo vos in medio Jerusalem*, 20. *congregatione argenti, et aeris, et stanni, et ferri, et plumbi in medio fornacis, ut succendam in ea ignem ad conflandum: sic congregabo in furore meo, et in ira mea, et requiescam, et conflabo vos.* 21. *Et congregabo vos, et succendam vos in igne furoris mei, et conflabimini in medio eius.* 22. *Ut conflatur argentum in medio fornacis, sic eritis in medio eius: et scietis, quia ego Dominus, cum effuderim indignationem meam super vos.*

23. *Et factum est verbum Domini ad me dicens:* 24. *Fili hominis dic ei: tu es terra immunda, et non compluta in die furoris.* Terra, si pluviis non rigetur, vertitur in squalorem. Illius igitur significatur futura desolatio in die Divini furoris erga se. 25. *Coniuratio prophetarum in medio eius, sicut leo rugiens, rapiensque praedam, animas devoraverunt; opes, et pretium acceperunt; viduas eius multiplicaverunt in medio illius.* Pseudoprophetae intelliguntur. Est de isto genere supra cap. 13. v. 18. „Vae, quae consuunt pulvillos sub omni „cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite uni„versae aetatis ad capiendas animas, et cum cape-

„ rent animas populi mei; vivificabant animas eorum, „ et violabant me ad populum meum propter pu- „ gillum hordei, et fragmen panis, ut interficerent „ animas.“ Eorumque coniuratio vocatur, qui in facinoribus unum cum iis sentirent, a quibus illa perpetrabantur adulando ipsis: qui sicut leo praedae, ita donis, et pecuniae inhiarent, atque suis vaticiniis lucrum suum, et compendium quaererent. Animas eorum, quibus sua vaticinia vendiderunt, occiderunt: quos impunitatis spe in sua malitia confirmarent, et corroborarent: viduas multiplicaverunt, illorum eorumdem violentia, qui freti eorum vaticiniis liberius in alios, per eorum etiam caedem, et sangvinem grassabantur: unde viduae multiplicabantur. 26. *Sacerdotes eius contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea: inter sanctum, et profanum non habuerunt distantiam, et inter pollutum, et mundum non intellexerunt, et a sabbatis meis averterunt oculos suos, et coinquinabar in medio eorum.* 27. *Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes praedam ad effundendum sangvinem, et ad perdendas animas, et avari ad sectanda lucra.* 28. *Prophetae autem eius liniebant eos absque temperamento, videntes vana, et divinantes eis mendacium, dicentes: haec dicit Dominus Deus, cum Dominus non sit locutus.* Temperamentum intelliguntur paleae, quae muro incocto, si non addantur, aedificationis illius firmitas nulla est. Huic vero tali structurae aedificii illorum vaticinationes comparantur propter infirmitatem

earum rerum, quas praedicerent, quaeque minime consisterent. Haec eadem assimilatio istius generis vaticiniorum cum eiusmodi pariete ex luto sine temparamento iam etiam supra fuit cap. 13. v. 11.
29. *Populi terrae calumniabantur calumniam, et rapiebant violenter: egenum, et pauperem affligebant, et advenam opprimebant calumnia absque iudicio.* 30. *Et quaesivi de iis virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam: et non inveni.* 31. *Et effudi super eos indignationem meam, in igne irae meae consumpsi eos, viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.*

CAPVT XXIII.

Sub imagine duarum meretricum Oollae, et Oolibae sororum, Samariae, et Jerusalem perpetua consvetudo fornicandi cum idolis exhibetur, futurumque ostenditur, ut adulterarum more etiam plectantur.

1. *Et factus est sermo Domini ad me dicens:*
2. *Fili hominis, duae mulieres filiae matris unius fuerunt.* 3. *Et fornicatae sunt in Aegypto, in adolescentia sua fornicatae sunt: ibi subacta sunt ubera earum, et fractae sunt mammae pubertatis earum.* Subacta ubera, et mammas esse fractas significat earum integritatem esse violatam, ita ut honestiore vocabulo ubera, et mammae, quae dum uterus geritur turgescunt, pro ipsa libidinosa actione, quae praeces-

serit, ponantur. 4. *Nomina autem earum, Oolla maior, et Ooliba soror eius minor: et habui eas, et pepererunt filios, et filias. Porro earum nomina, Samaria Oolla, et Jerusalēm Ooliba.* Has Deus se habuisse dicit, nimirum sibi desponsatas; filiorum, et filiarum nomine iidem intelliguntur Israelitae, et Judaei, qui ad illas civitates pertinuerunt. „Oolla, in lingva nostra, ait S. Hiero„nymus, sonat tabernaculum, Ooliba: tabernacu„lum meum in ea.“ Fit nimirum in his nominibus allusio ad tabernaculum, quod Deus sibi habuit inter Israelitas exstructum eousque, donec aedificatum fuisset templum. Tabernaculum autem, et templum populum utique Israeliticum repraesentarunt. „Vos enim estis templum Dei vivi, ait „S. Paulus 2. Cor. 6. v. 16. et cuius rei demonstrandae gratia illa ipsa verba allegavit ex Levitici „cap. 26. v. 11.“ Ponam tabernaculum meum in „medio vestri, ambulabo inter vos, et ero Deus „vester, vosque eritis populus meus“ quae fuerunt olim dicta a Deo ad Israelitas, ut illi quoque, siquidem assumpti essent a Deo ad peculiarem eius populum, Dei tabernaculum, atque templum fuisse intelligantur, sed sub quo templo, atque tabernaculo lateret ipsa Ecclesia ea ratione, qua sub testamento veteri tegebatur testamentum novum. Recte ergo, et convenienter sorores illae duae Dei, tabernaculum sunt vocatae; qui Israeliticum populum assumpserit, ut in eo habitaret, et ab eo coleretur. Duas vero sorores ponit, quod qui prius

unus fuerat populus sub uno rege; is deinde divisus sit in regna duo, quorumque regnorum metropoles erant Samaria, et Jerusalem. Ad coniunctionem autem significandam, quam Deus arctiorem cum Jerosolyma fecit, in qua templum suum exstructum habuit, et cui ex Davidica stirpe, cui Messias erat promissus, praefecerat reges; Jerusalem vocata est Ooliba, hoc est, ut iam explicatum est: *Tabernaculum meum in ea*, cum Samaria tantum vocaretur Oolla, et tabernaculum.

5. *Fornicata est igitur super me Oolla, et insanivit in amatores suos, in Assyrios propinquantes:* Presse iuxta Hebraeum: *in Assyrios propinquos* (אֶל־אַשּׁוּר קְרוֹבִים) Sed apud Hebraeos hoc vocabulum, quod propinquum significat, non ad eam tantum propinquitatem designandam adhibetur, quae est sangvinis, vel loci; verum etiam, quae sita est in usu, et consvetudine: qua ratione Oolla cum Assyriis fuit coniuncta: loci autem, vel aliam propinquitatem non habuit, cum potius Jeremiae 5. v. 15. Assyrii vocentur gens de longinquo: 6. *vestitos hyacintho, principes, et magistratus, iuvenes cupidinis, universos equites, adscensores equorum:* 7. *et dedit fornicationes suas super eos electos, filios Assyriorum universos: et in omnibus, in quos insanivit, in immunditiis eorum polluta est.* Juvenes cupidinis infra versu 12. dicuntur adolescentes forma cunctis egregia. Cum hominibus autem Assyriis omnis aetatis, et ordinis dicitur Oolla esse fornicata, cum quibus

omnibus se in idololatria, quam illi exercuerunt, copulaverit. 8. *Insuper et fornicationes suas, quas habuerat in Aegypto, non reliquit. Nam et illi dormierunt cum ea in adolescentia eius, et illi confregerunt ubera pubertatis eius, et effuderunt fornicationem suam super eam.* 9. *Propterea tradidi eam in manus amatorum suorum, in manus filiorum Assur, super quorum insanivit libidine.* 10. *Ipsi discooperuerunt ignominiam eius: filios, et filias tulerunt, et ipsam occiderunt gladio, et factae sunt famosae mulieres, et iudicia perpetraverunt in ea.* Discooperuerunt ignominiam eius: hostilis direptio, et depraedatio intelligitur, quae ignominiosa fuit Samariae: ipsamque hostes occiderunt gladio, dum regnum illud Samariae funditus everterunt. Antequam autem hoc factum esset, Samaria, eiusque filiae, civitates autem minores regni Israel, quaeque sub Samaria, tamquam sub sua matre civitate continerentur, et subiectae ei essent, factae sunt famosae, et a libidine celebres feminae. In qua Samaria deinde hostes, cum eam vastassent, iudicia perpetraverunt, dum de ea, velut adultera, poenas desumpserunt.

11. *Quod cum vidisset soror eius Ooliba, plus quam illa insanivit libidine, et fornicationem suam super fornicationem sororis suae* 12. *ad filios Assyriorum praebuit impudenter, ducibus, et magistratibus ad se venientibus indutis veste varia, equitibus, qui vectabantur equis, et adolescentibus forma cunctis egregia.* 13. *Et vidi, quod*

polluta

polluta esset via una ambarum. 14. *Et auxit fornicationes suas: cumque vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldaeorum expressas coloribus,* 15. *et accinctos balteis renes, et tiaras tinctas in capitibus eorum; formam ducum omnium, similitudinem filiorum Babylonis, terraeque Chaldaeorum, in qua orti sunt;* 16. *insanivit super eos concupiscentia oculorum suorum, et misit nuncios ad eos in Chaldaeam.* 17. *Cumque venissent ad eam filii Babylonis ad cubile mammarum, polluerunt eam stupris suis, et polluta est ab eis, et saturata est anima eius ab illis.* Ubera, et mammae pro amore ponuntur Prov. 5. v. 19. Cant. 1. v. 1. Ex quo cubile illud, cur sic denominatum sit, intelligi potest. 18. *Denudavit quoque fornicationes suas, et discooperuit ignominiam suam: et recessit anima mea ab ea, sicut recesserat anima mea a sorore eius.* 19. *Multiplicavit enim fornicationes suas recordans dies adolescentiae suae, quibus fornicata est in terra Aegypti.* Quae res in usu posita est, eius memoria interire non potest. Dum ergo Ooliba dicitur recordata esse dierum suae adolescentiae; intelligitur, eam etiam postea in provectiore sua aetate retinuisse consvetudinem illius libidinis, cui se in adolescentia addixerat. „Quae tantae procacitatis fuit, „ait S. Hieronymus, ut cunctos errores adolescen„tiae suae in graviore iam aetate committeret.“ 20. *Et insanivit libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt, ut carnes asinorum, et sicut*

fluxus equorum, fluxus eorum. „Insanivit enim „quondam in concubitu Aegyptiorum, verba sunt „S. Hieronymi, quorum carnes sunt ad similitu-„dinem asinorum, et tam largus seminum fluxus, „sive verenda tam grandia, ut equorum superent „deformitatem." 21. *Et visitasti scelus adolescentiae tuae, quando subacta sunt in Aegypto ubera tua, et confractae sunt mammae pubertatis tuae.* Visitasse scelus adolescentiae suae idem illud est, quod paulo ante fuit, eiusdem suae adolescentiae fuisse recordatam, quae scilicet ad illud scelus perpetrandum, cui se tum tradidit, etiam postea redierit.

22. *Propterea Ooliba, haec dicit Dominus Deus: ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, de quibus satiata est anima tua, et congregabo eos adversum te in circuitu:* 23. *filios Babylonis, et universos Chaldaeos, nobiles, tyrannosque, et principes, omnes filios Assyriorum, iuvenes forma egregia duces, et magistratus universos, principes principum, et nominatos adscensores equorum.* 24. *Et venient super te instructi curru, et rota, multitudo populorum: lorica, et clypeo, et galea armabuntur contra te undique: et dabo coram eis iudicia, et iudicabunt te iudiciis suis.* 25. *Et ponam zelum meum in te, quem exercent tecum in furore: nasum tuum, et aures tuas praecident, et quae remanserint, gladio concident: ipsi filios tuos, et filias tuas capient, et novissimum tuum devorabitur igni.* Da-

bo coram eis iudicium, quod ipsi scilicet in te exercent, et iudicabunt te iudiciis suis, quasi adulteram, addit explicationis gratia S. Hieronymus. Quare mutilatio etiam deinde nasi illius, et aurium praecisio memorantur, tamquam ignominiosae poenae, quibus afficeretur velut adultera. Quoniam autem fornicatio Jerusalem tropice pro eius idololatria est posita, aurium, atque narium abscissio regem, urbisque primores denotat, qui capti, mutilati, vel etiam caesi sunt. „Quomodo „enim, ait S. Hieronymus, in facie omnis pul„chritudo oris in narium decore consistit, et in „auribus; e quibus in feminis uniones, et mar„garitae dependent; ita dignitas regis, et indi„cium, quae in ore, auribusque signatur, eorum „gladio praecidetur." Non autem Chaldaei eo nomine, quod cum eorum diis fornicata sit, Oolibam, ut adulteram supplicio affecerunt. Sed tantum ipsi exsecutores erant istius poenae, quam Deus ipse de illa, ut adultera erga se desumpsit, et quod iudicium coram illis posuit, eiusque exsecutionem illis commisit. Cum capta iam fuisset a Chaldaeis Jerusalem, Judaeique, qui in ea erant, partim capti, partim occisi, extremum moenia, et aedificia succensa, et igne vastata sunt. Hoc igitur illud est, quod dicitur, novissimum illius devoratum iri ab igne. 26. *Et denudabunt te vestimentis tuis, et tollent vasa gloriae tuae.* Quod per vestimenta illius lex, et ille Religionis cultus, quem Deus Israelitis tradidit, et quibus quasi sponsam vestibus eos exor-

naverit, dum ipsos sibi in peculiarem populum assumpsit, et copulavit, intelligatur; est iam demonstratum supra capitis 16. v. 8. Fuit vero per Chaldaeos etiam incensum, et vastatum templum, vasa illius, atque supellex ablata, et cultus ille Religionis, qui Deo exhibebatur in templo, ad silentium, atque solitudinem est redactus. Haec ergo eius denudatio fuit, haec vasorum, in quibus gloriabatur, sublatio. „Et denudabunt te, inquit, vestimentis tuis, „quibus te ornaveram, S. Hieronymus sic facit „Deum loquentem, et vasis gloriae tuae, quae ti„bi ad caerimonias templi aurea, argenteaque con„cesseram.“ 27. *Et requiescere faciam scelus tuum de te, et fornicationem tuam de terra Aegypti: nec levabis oculos tuos ad eos, et Aegypti non recordaberis amplius.* Sicut ad superioris capitis versum 15. demonstratum est, cessasse urbis Jerusalem immunditiem, dum ii desiissent in ea esse, qui foeditates illas, quibus inquinabatur, perpetrarunt; ita scelus nunc etiam illius eadem ratione conquievit, nec suae fornicationis, quam in Aegypto exercuit, amplius recordata est. Loco huius adverbii: *amplius*, est in Hebraeo *Odh* (עוד) et significat Hebraeis etiam: *adhuc* Qua ratione hic oportere sumi, ut sit sensus: *Et non recordaberis adhuc Aegypti*, quamdiu scilicet deserta esset durante captivitate; hoc pro argumento est, quod in omne prorsus tempus Jerusalem ab idololatria immunis etiam deinde non fuerit, quam constat Machabaeorum aetate fuisse rursus foedatam, et

contaminatam. 28. *Quia haec dicit Dominus Deus: ecce ego tradam te in manus eorum, quos odisti; in manus, de quibus satiata est anima tua:* de quorum fornicatione, et communione idololatriae satiata est anima tua. Supra versu 17.

29. *Et agent tecum in odio, et tollent omnes labores tuos, et dimittent te nudam, et ignominia plenam, et revelabitur ignominia fornicationum tuarum, scelus tuum, et fornicationes tuae.* 30. *Fecerunt haec tibi, quia fornicata es post gentes, inter quas polluta es in idolis earum.* 31. *In via sororis tuae ambulasti, et dabo calicem eius in manu tua.* 32. *Haec dicit Dominus Deus: calicem sororis tuae bibes profundum, et latum: eris in derisum, et in subsannationem, quae est capacissima.* 33. *Ebrietate, et dolore repleberis, calice moeroris, et tristitiae, calice sororis tuae Samariae.* 34. *Et bibes illum, et epotabis usque ad faeces, et fragmenta eius devorabis, et ubera tua lacerabis: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.* 35. *Propterea haec dicit Dominus Deus: quia oblita es mei, et proiecisti me post corpus tuum; tu quoque porta scelus tuum, et fornicationes tuas.* 36. *Et ait Dominus ad me, dicens: fili hominis, numquid iudicas Oollam, et Oolibam, et annuncias eis scelera earum?* 37. *Quia adulteratae sunt, et sangvis in manibus earum, et cum idolis suis fornicatae sunt: insuper et filios suos, quos genuerunt mihi, obtulerunt eis ad devorandum.* Manus pro actione sunt positae, san-

gvis pro immunditie solet nonnumquam poni, vel in specie pro homicidio. Hoc autem crimine fuisse pollutas, etiam infra versu 45. ipsis exprobratur. Filios idolis obtulerunt ad devorandum, dum hos illis sacrificaverunt. 38. *Sed et hoc fecerunt mihi: polluerunt sanctuarium meum in die illa, et sabbata mea profanaverunt.* 39. *Cumque immolarent filios suos idolis suis, et ingrederentur sanctuarium meum in die illa, ut pollnerent illud; etiam haec fecerunt in medio domus meae:* 40. *miserunt ad viros venientes de longe, ad quos nuncium miserant. Itaque ecce venerunt: quibus te lavisti, et circumlinisti stibio oculos tuos, et ornata es mundo muliebri.* Stibium pigmenti erat genus, quo venustas nigri coloris conciliabatur oculis.

41. *Sedisti in lecto pucherrimo, et mensa ornata est ante te; thymiama meum, et ungventum meum posuisti super eam.* 42. *Et vox multitudinis exultantis erat in ea, et in viris, qui de multitudine hominum adducebantur, et veniebant de deserto, posuerunt armilas in manibus eorum, et coronas speciosas in capitibus eorum.* Mensa erga idola, posita est pro altari, in quo iis thymiama adolerent, odoresque accenderent. Lectus est positus per continuationem allegoriae non tantum comparate ad mensam, accumbendi gratia, verum atiam ad fornicationem. *Et vox multitudinis exultantis erat in ea:* in illa videlicet mensa, et altari. Vox multitudinis exultantis, presse iux-

ta Hebraeum est: *multitudinis securae* (הֲמוֹן שָׁלֵו) erat in ea, in ea videlicet mensa. Securitas autem haec ad significandam laetitiam pertinet, qua convivia celebrata sint. Neque enim esse gaudium potest, si animus sit affectus aliqua cura, et sollicitudine. Ex sacrificiorum autem carnibus cum apud Judaeos, tum apud ipsos gentiles, et multo magis festivae instituebantur epulae, quibus apud istos alteros plerumque admiscebatur etiam luxuries: quemadmodum et illi Israelitae, qui Numerorum 25. v. 2. ad idoli Beelphegor sacrificia et epulas vocati sunt, postea cum Madianiticis feminis scortati sunt: *Et in viris, qui de multitudine hominum adducebantur* Hebraice: *Et cum hominibus propter multitudinem hominis adductis potatoribus ex deserto:* (וְאֶל־אֲנָשִׁים מֵרֹב אָדָם מוּבָאִים סוֹבָאִים מִמִּדְבָּר) cum istis nimirum erat, et celebrabatur vox, atque gaudium illius multitudinis: dum Ooliba, et Oolla non contentae aris, quas habebant in urbe Jerusalem, et Samaria exstructas; has foris etiam ubique constitutas per agros haberent, et cui idololatriae servirent non tantum ii, qui in urbe habitabant, sed etiam, qui ruri, et in agris. Qui potatores vocantur propter comessationes, et potationes, quae, ut iam dictum est, instituerentur in cultu idolorum. Sensus igitur est, Oolibam, et Oollam, quo earum scortatio idololatrica existeret maior, atque amplior, idololatricas epulas non tantum instituisse cum hominibus urbanis, sed etiam agrestibus, indeque ex agris

sibi etiam convivarum multitudinem advocavisse. *Posuerunt armillas in manibus eorum, et coronas speciosas in capitibus eorum:* Hebraice: *Et posuerunt armillas super manus earum, et coronam speciosam super capita earum* (וַיִּתְּנוּ צְמִידִים אֶל־יְדֵיהֶן וַעֲטֶרֶת תִּפְאֶרֶת עַל־רָאשֵׁיהֶן) Sic ergo Oolla, et Ooliba ornabatur ad laetitiam, et ad luxum, dum illi mensae accumberet, hoc est: dum idolis suis serviret. Ubi ego hic potatores verti, secutus sum Versionem Septvaginta Interpretum iuxta Manuscriptum Alexandrinum. Hebraeum autem vocabulum punctis mutatis, et legendo *Sabaim* (סָבָאִים) pro *Sobeim* (סוֹבְאִים) plures etiam vertunt: *Sabaeos:* qui fuerunt Arabiae populi. At praeterquam, quod potatores huc magis quadrent ad hanc mensam, de qua hic agitur; et quid Sabaei ibi habeant, nonnisi per violentam explicationem dici aliquid possit; omittitur insuper litera etiam una ex vocabulo in hac altera pro Sabaeis lectione, ut consideranti vocabulum illud, ut dupliciter a me est positum, apparebit. Ubi deinde Latinus Vulgatus Interpres praepositionem *in*, et *de* vertendo posuit, ego praepositiones substitui *cum*, et *propter:* siquidem praepositiones Hebraicae, ut lingvae Hebraeae peritis notum est, utroque modo reddi possint; isto autem altero modo magis inter se aptus, ut mihi quidem videtur, prodeat sensus.

43. *Et dixi ei, quae attrita est in adulteriis: nunc fornicabitur in fornicatione sua etiam*

haec. Hebraice: *Et dixi: eius, quae inveterata est, sunt haec adulteria: certe scortabitur scortationes suas donec erit.* (וָאֹמַר לַבָּלָה נִאֻפִים עַתָּ יִזְנֶה תַזְנוּתֶיהָ וָהִיא) Cum vero erga utramque modo antecessisset sermo, Oollam, et Oolibam; istud modo ad hanc alteram solam dirigitur; siquidem altera nec iam superstes fuerit, et Samariae regnum iam tum fuerit eversum, nec proinde exercere ultra potuerit flagitium suum. 44. *Et ingressi sunt ad eam, quasi ad mulierem meretricem: sic ingrediebantur ad Oollam, et Oolibam mulieres nefarias.* 45. *Viri ergo iusti sunt:* Chaldaei intelliguntur, quibus, ut fuit versu 24. commissum est, ut poenas desumerent de adultera. „Justi „enim viri sunt, ait S. Hieronymus, in eo, quod „adulteram, et parricidam me iubente discruciant.“ *Hi iudicabunt eas iudicio adulterarum, et iudicio effundentium sangvinem, quia adulteratae sunt, et sangvis in manibus earum.* 46. *Haec enim dicit Dominus Deus: adduc ad eas multitudinem, et trade eas in tumultum, et in rapinam.* Hoc est, adductionis istius sententiam, ut Propheta annunciet, ei committitur: quemadmodum Judaeos Jerosolyma Jeremias quoque iussus est eiicere: quos ille tamen non per se eiecit, sed quibus expulsionis, et abductionis in captivitatem tantummodo sententiam, latam a Deo, annunciavit. Jerem. 15. v. 1. 47. *Et lapidentur lapidibus populorum, confodiantur gladiis eorum: filios, et filias earum interficient, et domus earum igne suc-*

cendent. 48. *Et auferam scelus de terra, et discent omnes mulieres, ne faciant secundum scelus earum.* 49. *Et dabunt scelus vestrum super vos, et peccata idolorum vestrorum portabitis, et scietis, quia ego Dominus Deus.* Ooliba tantum adhuc restabat supplicio afficienda, Oolla iam erat affecta. Sed cum de supplicio utriusque coniunctim fieret sermo, quod Oolla iam subiit, Ooliba autem adhuc subeundum haberet; ad hanc autem alteram, quae adhuc superesset, dirigeretur Divinus sermo; propterea istius alterius Oolibae sororis habita ratione, quae altera etiam erat dignior soror, ad futurum tempus adcommodatus est sermo.

CAPVT XXIV.

Ollam plenam carnibus iussu Dei Ezechiel ad ignem admovet, coctisque carnibus ipsa etiam ossa in igne comburit, et mortua uxore sua nullum luctum instituit, hisque rebus Judaeis in Babylonia oppugnationem Jerosolymae ea ipsa die per Chaldaeos inchoatam significat.

1. *ET factum est verbum Domini ad me in anno nono, in mense decimo, decima die mensis, dicens:* 2. *Fili hominis, scribe tibi nomen diei huius, in qua confirmatus est rex Babylonis adversum Jerusalem hodie.* Hac eadem die, quae hic posita est, Jerosolymam coepit oppugnare Nabuchodonosor, quemadmodum est 4. Reg. 25. v. 1.

Confirmatus est, Hebraice est: *posuit se* (סָמַךְ) atque huc, ut Judaeis, qui erant in Babylonia, exhiberet, quid tum Jerosolymae fieret, spectabant hae Ezechielis actiones, quas modo iussu Dei instituit. 3. *Et dices per proverbium ad domum irritatricem parabolam, et loqueris ad eos: haec dicit Dominus Deus: pone ollam, pone, inquam, et mitte in eam aquam.* 4. *Congere frusta eius in eam, omnem partem bonam, femur, et armum, electa, et ossibus plena.* 5. *Pingvissimum pecus adsume, compone quoque strues ossium sub ea: efferbuit coctio eius, et discocta sunt ossa illius in medio eius.* Electa, et ossibus plena, est in Hebraeo: *electione ossium imple* (מִבְחַר עֲצָמִים מַלֵּא) Electa autem ossa intelliguntur, hoc est, eiusmodi partes, quae notabiliores essent propter ea ossa, ex quibus constarent, et cuiusmodi partes nominatim prius positae sunt, femur, et armus: quemadmodum pingvissimum pecus etiam sic in Hebraeo *Electio pecoris* (מִבְחַר הַצֹּאן) vocatur. Non est autem ordo in dicendo servatus, qui servandus erat in actione. Nam caro prius coqui debuit eousque, donec ab ea separarentur ossa, ac deinde ossa, quae coquendo non possent consumi, debebant super ipsum ignem poni, ut flamma comburerentur, et verterentur in cineres.

6. *Propterea haec dicit Dominus Deus: Vae civitati sangvinum, cuius rubigo in ea est, et rubigo eius non exivit de ea: per partes, et per partes suas eiice eam, non cecidit super eam*

sors. „Vaè civitati sangvinum, id est, Jerusa-„lem, ait S. Hieronymus, lebeti, cuius rubigo, „id est, malitia nimia est, et licet ignis supposi-„tus sit; tamen rubigo eius non exivit de ea. Per-„severarunt enim etiam capti, atque cruciati in „pristino scelere. Per partes, et singillatim con-„sumite eam, nemo remaneat in salutem. Non „cecidit super eam sors, ut alii perirent, et alii „salvarentur, sed cunctis communis venit interi-„tus.“ 7. *Sangvis enim eius in medio eius est: super limpidissimam petram effudit illum: non effudit illum super terram, ut possit operiri pulvere.* „Naturae est enim, ait S. Hieronymus, ut, „si sangvis fundatur super terram, combibat hu-„mus humorem sangvinis, vel paulatim terra ope-„riatur, et pulvere. Cum autem super limpidis-„simam petram, et nullam habentem foveam, „sangvis fuerit effusus, labitur, et latam obsidet „sedem. Hoc autem indicat, quod non occulta, sed publica fecerit homicidia.“ 8. *Ut superinducerem indignationem meam, et vindicta ulciscerer; dedi sangvinem eius super petram limpidissimam, ne operiretur.* 9. *Propterea haec dicit Dominus Deus: vae civitati sangvinum, cuius ego grandem faciam pyram.* 10. *Congere ossa, quae igne succendam, consumentur carnes, et coquetur universa compositio, et ossa tabescent.* 11. *Pone quoque eam super prunas vacuam, ut incalescat, et liquefiat aes eius, et confletur in medio eius inquinamentum eius, et consumatur*

rubigo eius. 12. *Multo labore sudatum est, et non exivit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem.* „Cumque et carnes, et ossa consumpta „fuerint, et cremata, verba sunt S. Hieronymi, „ipsum lebetem vacuum pone super prunas, ut „aes quoque illius incalescat, et consumatur, et „aere consumpto rubigo quoque illius pereat, id „est, civitate incendio concremata malitia cum „urbe dispereat. Sed quid prodest fecisse, quod „iussum est? Ne per ignem quidem rubigo, at„que malitia lebetis, et urbis potuit auferri, sed „permanet in ea immunditia scelesta, et execra„bilis.“ 13. *Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis: sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te:* Hoc est, non prius mundaberis, quam furorem meum in te effundam, teque perdam, atque consumam: non quasi poena hac, atque supplicio mundanda esset, sed cum desineret ipsa superesse, non etiam relictum est ei, ut ultra agat male. 14. *Ego Dominus locutus sum: veniet, et faciam: non transeam, nec parcam, nec placabor: iuxta vias tuas, et iuxta adinventiones tuas iudicabo te, dicit Dominus.*

15. *Et factum est verbum Domini ad me dicens:* 16. *Fili hominis, ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga: et non planges, neque plorabis, neque fluent lacrimae tuae.* Desiderabile oculorum uxor eius fuit, quamque ei

Deus se erepturum per plagam, lethalem scilicet aliquem casum, dixit. „Nihil enim viro, ait S. „Hieronymus, uxore bona amabilius, quae a Deo „homini providetur, et cui Domini lege coniun-„gitur, et unum cum ea corpus efficitur.“ 17. *Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies: corona tua circumligata sit tibi* Hebraice *tiara tua* (פְּאֵרְךָ) sit circumligata tibi: *et calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.* Post iusta mortuis absoluta funebrale solebat ab Judaeis celebrari epulum, ut etiam Josephus docet lib. 2. de Bello cap. 1. In quo iis, qui celebraverant funus, ceteri propinqui, et amici cibos propinabant consolandi gratia. Nam quamdiu aliquis in gravi luctu, et moerore est, tamdiu respuit cibum. De quo more cibum porrigendi iis, qui in luctu sunt, iam fuit etiam Jeremiae 16. v. 7.

18. *Locutus sum ergo ad populum mane, et mortua est uxor mea vespere: fecique mane, sicut praeceperat mihi.* Alterius scilicet diei mane ita se deinde gessit, ut ei nunc fuit demandatum: et cum prioris diei mane, dum ageret cum populo, nihil adhuc de illo uxoris casu apparuisset. Pertinet igitur istud eo etiam, ut intelligatur uxor eius subita morte fuisse sublata. 19. *Et dixit ad me populus: quare non indicas nobis, quid ista significent, quae tu facis.* 20. *Et dixi ad eos: sermo Domini factus est ad me, dicens:* 21. *Loquere domui Israel: haec dicit Dominus Deus: ecce pol-*

luam sanctuarium meum, superbiam imperii vestri, et desiderabile oculorum vestrorum, et super quo pavet anima vestra: filii vestri, et filiae vostrae, quas reliquistis, gladio cadent. Quas hi, qui iam in Babylonia captivi erant, reliquerunt in Judaea. Sanctuarium intelligitur templum. *Superbiam imperii vestri* Chaldaeus, et Syrus vertit: *gloriam fortitudinis vestrae.* In templo enim spem suam habebant, fore ut propter illud Deus permissurus numquam sit capi urbem ab hoste. Jerem. 7. v. 4. 22. *Et facietis, sicut feci: ora amictu non velabitis, et cibos lugentium non comedetis.* 23. *Coronas habebitis in capitibus vestris, et calceamenta in pedibus:* iterum tiarae, et pilei intelliguntur, ut supra iam est demonstratum: *non plangetis, neque flebitis, sed tabescetis in iniquitatibus vestris, et unusquisque gemet ad fratrem suum.* 24. *Eritque Ezechiel vobis in portentum: iuxta omnia, quae fecit, facietis, cum venerit istud, et scietis, quia ego Dominus Deus.* „Quando consvetudo servatur in luctu, „ait S. Hieronymus, medius dolor est. Quando „autem tanta malorum incumbit necessitas; ut „omni ploratu maior sit; unusquisque de sua neces„sitate sollicitus, ad aliorum, quamvis sint proxi„mi, miserias non ingemiscit. Nihil, inquit, fa„cietis, quod solet in luctu fieri: sed urbe, templo„que succensis stupebitis ad malorum magnitudi„nem. Non attondebitis, nec nudis incedetis pe„dibus, nec plangetis, nec amictu ora velabitis,

„nec cibos capietis a consolantibus; sed tabesce-
„tis, et consumemini in iniquitatibus vestris, et
„vix liberum habebitis gemitum, ne offendatis vi-
„ctorum superbiam; si publice flere videamini, ita
„ut Ezechiel propheta sit vobis in portentum, et
„omnia, quae ille non fecit in morte uxoris suae;
„vos in eversione urbis, et templi non faciatis."
25. *Et tu fili hominis, ecce in die qua tol-
lam ab eis fortitudinem eorum, et gaudium di-
gnitatis, et desiderium oculorum eorum, super
quo requiescunt animae eorum:* templum his omni-
bus significatur, *filios, et filias eorum,* 26. *in die
illa, cum venerit fugiens ad te, ut annunciet tibi,*
27. *in die, inquam, illa aperietur os tuum cum
eo, qui fugit; et loqueris, et non silebis ultra,
erisque eis in portentum, et scietis, quia ego Do-
minus.* „O, inquit, fili hominis, verba sunt S.
„Hieronymi, in tempore, quando abstulero ab eis
„fortitudinem eorum, templi, ut diximus, confi-
„dentiam, et gaudium dignitatis, et in quo spem
„solam habebant, ac desiderium, in quo requie-
„scebant animae eorum, insuper filios eorum, et
„filias, subauditur ex superioribus, abstulero, eo,
„inquit, tempore, cum venerit ad te de Jerusa-
„lem fugiens, vel qui evaserit, dicens, urbem
„esse subversam; tunc, qui prius tacueras, et ge-
„mitum liberum non habebas, et tantae eras patien-
„tiae, ut in uxoris nece, et lumborum dolore la-
„crimam non emitteres; aperies os tuum, et lo-
„queris non ad eum, qui venerit, sed cum eo, ut
„quae-

„quaecumque tu ventura praedixeras, ille nunciet „iam perfecta: et ultra non tacebis, sed argues eos, „et dices, cuncta illis merito evenisse.“ Lumborum dolorem pro intimo dolore S. Hieronymus posuit.

CAPVT XXV.

Ammonitis, Moabitis, Idumaeis, et Philisthaeis idem, quod Jerosolymae, eventurum esse denunciatur, ideo quod in illius casu, et adversitate gaudio exilierint, Judaeosque insuper premere etiam instituerint.

1. *ET factus est sermo Domini ad me dicens:*
2. *Fili hominis, pone faciem tuam contra filios Ammon, et prophetabis de eis,* 3. *et dices filiis Ammon: audite verbum Domini Dei: Haec dicit Dominus Deus: pro eo, quod dixisti: euge, euge super sanctuarium meum, quia pollutum est, et super terram Israel, quoniam desolata est, et super domum Juda, quoniam ducti sunt in captivitatem;* 4. *idcirco ego tradam te filiis Orientalibus in haereditatem, et collocabunt caulas suas in te, et ponent in te tentoria sua: ipsi comedent fruges tuas, et ipsi bibent lac tuum.* Filiorum Orientalium nomine intelligit S. Hieronymus Madianitas, Ismaelitas, et Agarenos, sive qui se deinde Saracenos, appellaverint ab uxore Abrahae Sara, cum alterum nomen esset ab eius tantum

ancilla Agare deductum, quorumque regiones sitae fuerint ad Orientem Arabiae ultra Ammoniticam regionem, sic tamen, ut hanc contingerent. Ammonitas autem vastavit etiam Nabuchodonosor: cuius supra cap. 21. v. 28. mucro fuit evaginatus ad occidendum illos. Censet ergo S. Hieronymus istis Orientalibus ita esse traditam Ammonitarum regionem, ut hi, posteaquam Ammonitae ducti fuissent a Chaldaeis in captivitatem, in eorum fines deinde intraverint, eorumque agros, atque pascua occupaverint. 5. *Daboque Rabbath in habitaculum camelorum, et filios Ammon in cubile pecorum, et scietis, quia ego Dominus.* Rabbath fuit metropolis regni Ammonitarum. Ammon nomen gentis est positum pro regione eiusdem Ammoniticae gentis, in qua illi exteri populi greges suos deinde haberent. 6. *Quia haec dicit Dominus Deus: pro eo, quod plausisti manu, et percussisti pede, et gavisa es ex toto affectu super terram Israel; 7. idcirco ecce ego extendam manum meam super te, et tradam te in direptionem gentium, et interficiam te de populis, et perdam de terris, et conteram, et scies, quia ego Dominus.*

8. *Haec dicit Dominus Deus: pro eo, quod dixerunt Moab, et Seir: ecce sicut omnes gentes, domus Juda; 9. idcirco ecce ego aperiam humerum Moab de civitatibus, de civitatibus, inquam, eius, et de finibus eius, inclytas terrae Bethjesimoth, et Beelmeon, et Cariathaim* 10.

filiis Orientis cum filiis Ammon, et dabo eam in haereditatem, ut non sit ultra memoria filiorum Ammon in gentibus. 11. *Et in Moab faciam iudicia: et scient, quia ego Dominus.* „Commi„natur se humerum, verba sunt S. Hieronymi, ro„bur videlicet, et fortitudinem Moab de civita„tibus eius dissoluturum, sive aperturum, ut ad „ipsos quoque Babylonius victor introeat, et civi„tates in Moab esse desistant, et in finibus eius, „ac terminis urbes inclytae destruantur, quarum „ponit nómina: Bethjesimoth, et Beelmeon, et „Cariathaim.“ 12. *Haec dicit Dominus Deus: pro eo, quod fecit Jdumaea ultionem, ut se vindicaret de filiis Juda, peccavitque delinquens, te vindictam expetivit de eis;* 13. *idcirco haec dicit Dominus Deus: extendam manum meam super Idumaeam, et auferam de ea hominem, et iumentum, et faciam eam desertam ab Austro, et qui sunt in Dedan, gladio cadent:* 14. *et dabo ultionem meam super Idumaeam per manum populi mei Israel, et faciet in Edom iuxta iram meam, et furorem meum, et scient vindictam meam, dicit Dominus Deus.* Dum ab Chaldaeis caperetur Jerusalem, est Abdiae cap. 1. v. 14. Idumaeos occupavisse vias, qua Judaei conabantur Chaldaeos effugere, et comprehensos in fuga iugugulavisse: cumque antea ab Judaeis adversitates essent experti, maxime sub Davide, illa sunt occasione usi, ut vindictam de ipsis expeterent. Idumaeis autem rursus vicem reddiderunt Judaei sub

Juda Machabaeo: de quo est 1. Machab. 5. v. 3. „Debellabat Judas filios Esau in Idumaea, et eos, „qui erant in Acrabathane, quia circumsedebant „Israelitas, et percussit eos plaga magna."

15. *Haec dicit Dominus Deus: pro eo, quod fecerunt Palaestini vindictam, et ulti se sunt toto animo, interficientes, et implentes inimicitias veteres;* 16. *propterea haec dicit Dominus Deus: ecce ego extendam manum meam super Palaestinos, et interficiam interfectores, et perdam reliquias maritimae regionis,* 17. *faciamque in eis ultiones magnas, arguens in furore: et scient, quia ego Dominus, cum dedero vindictam meam super eos.* Palaestini iidem sunt, qui Philisthaei, et quorum regio ad oram maris Mediterranei erat in confinio cum Judaeis. In Hebraeo autem in hoc loco ab Ezechiele *Cerethim* vocantur. Quos eosdem omnino cum Philisthaeis fuisse ex 2. Reg. 15. v. 18. manifestum fit: ubi illa turma militum, quam David secum ex Philisthaeis, dum reverteretur ab exilio, duxit, Cerethim compellantur. In libris autem Regum, et Judicum reperitur, quanta hi bella cum Judaeis gesserint. Amos vero illos docet hoc adversus Judaeos, qui cladem conabantur ab Chaldaeis effugere, fecisse, quod illos captos Idumaeis tradiderint. Amos 1. v. 6.

CAPUT XXVI.

Tyriis quoque propter eamdem exultationis causam de Jerosolyma vastata denunciatur consimilis devastatio.

1. *Et factum est in undecimo anno, prima mensis, factus est sermo Domini ad me dicens:*
2. *Fili hominis, pro eo, quod dixit Tyrus de Jerusalem: euge confractae sunt portae populorum, conversa est ad me: implebor, deserta est.* Euge, confractae sunt portae, per quas intrare solebant populi: exteri vero intelliguntur mercatus causa: et de quibus Jerosolyma vastata nunc ad se etiam venturis Tyrus gaudet: Conversa est ad me; intelligitur illa populorum frequentia, quae prius commeabat Jerosolymam. Ego implebor: hoc est, ditabor, postquam illa ad solitudinem deducta est.
3. *Propterea haec dicit Dominus Deus: ecce ego super te Tyre, et adscendere faciam ad te gentes multas, sicut adscendit mare fluctuans.*
4. *Et dissipabunt muros Tyri, et destruent turres eius, et radam pulverem eius de ea, et dabo eam in limpidissimam petram.*
5. *Siccatio sagenarum erit in medio maris, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus, et erit in direptionem gentibus.*
6. *Filiae quoque eius, quae sunt in agro, gladio interficientur: et scient, quia ego Dominus.* „Fi-

„liae quoque eius, ait S. Hieronymus, quae sunt „in agro, sive in campo, hoc est, in Phoenicis „litore urbes, et oppida, vici, atque castella in„terficientur gladio: metaphorice, quia filias ap„pellavit, interfectionem ponit gladii." 7. *Quia haec dicit Dominus Deus: ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab Aquilone, regem regum cum equis, et curribus, et equitibus, et coetu, populoque magno.* 8. *Filias tuas, quae sunt in agro gladio interficiet, et circumdabit te munitionibus, et comportabit aggerem in gyro, et elevabit contra te clypeum.* 9. *Et vineas, et arietes temperabit in muros tuos, et turres tuas destruet in armatura sua.* Vinea antiquis fuit machina bellica, sub qua milites tecti ex utroque latere, et superne accedebant ad civitatis, quam oppugnabant, muros. Aries erat trabs cum ferreo rostro itidem in machina suspensa sic, ut impelli ad verberandum murum posset.

10. *Inundatione equorum eius operiet te pulvis eorum, a sonitu equitum, et rotarum, et curruum movebuntur muri tui, cum ingressus fuerit portas tuas quasi per introitum urbis dissipatae.* 11. *Ungulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas: populum tuum gladio caedet, et statuae tuae nobiles in terram corruent.* 12. *Vastabunt opes tuas, diripient negotiationes tuas, et destruent muros tuos, et domos tuas praeclaras subvertent, et lapides tuos, et ligna tua, et pulverem tuum in medio aquarum ponent.* 13. *Et*

quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum, et sonitus cithararum non audietur amplius. 14. *Et dabo te in limpidissimam petram, siccatio sagenarum eris, nec aedificaberis ultra, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.* Cum hoc, quod modo per Ezechielem, idem iam antea erga Tyrum ab Isaia esset praedictum; tamen iterum dicitur instauranda, et reaedificanda post annos, ubi eversa esset, septvaginta Isaiae 23. v. 17. et res ex aliis monumentis Historiarum certa est, Tyrum iterum postea floruisse. De qua etiam S. Hieronymus ad hunc ipsum locum in suo Commentario „Quam, inquit, hodie cernimus Phoe„nicis nobilissimam, et pulcherrimam civitatem.“ Fuerunt iam exempla 1. Reg. 7. v. 23. et eiusdem Regum libri 1. cap. 15. v. 35. in quorum altero loco Philisthaei dicuntur non ultra apposuisse, ut venirent in terminos Israel; in altero Samuel dicitur non ultra vidisse faciem Saul, quod tamen utrumque postea adhuc esse factum reperitur, istud: *non ultra* non absolute solere semper usurpari, sed cum restrictione ad certum aliquem modum, esti hic modus non clare exprimatur. Tali igitur ratione Tyrus dicitur non ultra esse aedificanda, ut scilicet, quamvis etiam postea floreret; tamen numquam ad illum ipsum suum statum, in quo antea fuit, reflorescerет; neque ad suum pristinum splendorem, ac dignitatem umquam perveniret. „Potest ergo, ait S. Hieronymus, quod „dicitur: *Non aedificaberis ultra*, sic accipi,

„ quod nequaquam ultra sit regina populorum, nec „ proprium habeat imperium, quomodo habuit sub „ Hiram, et ceteris regibus: sed vel Macedoni- „ bus, vel Ptolomaeis, et ad postremum Romanis „ regibus servitura sit. “

15. *Haec dicit Dominus Deus Tyro: numquid non a sonitu ruinae tuae, et gemitu interfectorum tuorum, cum occisi fuerint in medio tui, commovebuntur insulae?* 16. *Et descendent de sedibus suis omnes principes maris, et auferent exuvias suas* Hebraice: *pallia sua* (אֶת־מְעִילֵיהֶם) *et vestimenta sua varia abiicient, et induentur stupore* Hebraice: *induentur terroribus:* (חֲרָדוֹת) *in terra sedebunt, et attoniti super repentino casu admirabuntur.* 17. *Et assumentes super te lamentum, dicent tibi: quomodo peristi, quae habitas in mari, urbs inclyta, quae fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis, quos formidabant universi?* 18. *Nunc stupebunt naves in die pavoris tui, et turbabuntur insulae in mari, eo quod nullus egrediatur ex te.* 19. *Quia haec dicit Dominus Deus: cum dedero te urbem desolatam, sicut civitates, quae non habitantur, et adduxero super te abyssum, et operuerint te aquae multae:* aquarum inundatio pro tribulationibus, quae in aliquem incurrunt, et eum opprimunt, solet Scripturae phrasi per metaphoram poni, cuiusmodi exempla sunt Psal. 17. v. 17. Psal. 31. v. 6. Psal. 68. v. 2. 20. *et detraxero te cum his, qui descendunt in lacum ad populum sempiternum, et*

collocavero te in terra novissima, sicut solitudines veteres cum his, qui deducuntur in lacum, ut non habiteris. Lacus pro fovea sepulchri est positus. Ii, qui in sepulchris reconditi iacent, vocantur populus sempiternus, populus nimirum mortuorum sempiternus. Est iam ad Geneseos cap. 9. v. 12. demonstratum vocem Hebraicam *Holam*, quae etiam hic in Hebraeo est, ubi Latinus sempiternum posuit, non semper significare fine carentem durationem, sed tantummodo, quae tendatur per longum valde tempus: qua ratione etiam Jeremias Threnorum 3. v. 6. diu iam sepultos, et in sepulchris positos mortuos seculi vocat: *Methe Holam* et per seipsum perspicitur, neminem eorum, qui iam mortui, atque sepulti sunt, quantumcumque illud tempus sit, tamen non posse esse sic aeternum, ut illa sepultura initium numquam acceperit. *Terra novissima* est in Hebraeo tantum *terra inferior* (אֶרֶץ תַּחְתִּיּוֹת) Solitudines veteres Hebraice *solitudines a seculo* (מֵעוֹלָם) intelliguntur rursus regiones, et terrae, quae longissimo tempore iam in squalore iacent: et quarum similis futura etiam praedicatur Tyrus. *Porro, cum dedero gloriam in terra viventium,* 21. *in nihilum redigam te, et non eris, et requisita non invenieris ultra in sempiternum, dicit Dominus Deus.* Cum dedero gloriam meam in terra viventium, Chaldaeus vertit: *Gaudium in terra Israel dabo.* Jerusalem autem, et Judaeorum regnum temporale numquam ad pristinam suam

gloriam revocatum est, sed humile, et subiectum erga exteros principes Persas primum, deinde Graecos, ac postremo Romanos fuit perpetuo, per omne illud tempus, quo substitit. Quamobrem gloria haec Israelitici regni intelligitur illa, ad quam per Christum restaurata, atque elevata est. Et bene terra illa tum, terra viventium appellatur, intelligendo illam vitam, quam, qui in regno sunt Christi, et in Ecclesia, per eumdem Christum adepti sunt. Tyrus autem civitas fuit, quae aliena erat a Deo, et ab eius cultu, atque Religione. Quare, dum Jerusalem dicitur restauranda per Christum: affirmatur de Tyro, ut pereat in sempiternum: siquidem ii, qui in illa vetere tum Tyro habitarunt: sic perierint, ut venturi ad illam vitam per Christum numquam essent. „Non quod esse desistat, ait S. Hieronymus, „qui in poenis est sempiternis; sed quod, qui „Deo non vivit, in Scripturis sanctis dicatur non „subsistere."

CAPVT XXVII.

Describitur Tyri prior gloria, et opulentia, tum, quae illam secutura est vastitas, et desolatio.

1. *ET factum est verbum Domini ad me dicens:*
2. *Tu ergo fili hominis assume super Tyrum lamentum,* 3. *et dices Tyro, quae habitat in introi-*

tu maris, negotiationi populorum ad insulas mul-
tas: „Habitat Tyrus, ait S. Hieronymus, in in-
„troitu maris, vel quod prius insula fuit, vel quod
„portu tutissimo de alto venientes recipit naves, et
„est negotiatio populorum ad insulas multas, sive
„de insulis multis:“ *haec dicit Dominus Deus:*
o Tyre, tu dixisti: perfecti decoris ego sum, 4.
et in corde maris sita. „Hoc est, in medio maris:“
sunt ipsa verba S. Hieronymi. *Finitimi tui, qui te*
aedificaverunt, impleverunt decorem tuum: 5. *abi-*
etibus de Sanir exstruxerunt te cum omnibus ta-
bulatis maris: cedrum de Libano tulerunt, ut
facerent tibi malum: 6. *quercus de Basan dolave-*
runt in remos tuos, et transtra tua fecerunt tibi
ex ebore Indico, et praetoriola de insulis Italiae.
Sanir est montis nomen, qui aliter etiam Hermon
appellabatur, ut S. Hieronymus docet, vicinus monti
Libano, ita ut vallis tantum una intercedat. Fit au-
tem sermo allegorice ad Tyrum, tamquam ad ali-
quam navim, cuius tabulata ex abietibus montis Sa-
nir fuerint exstructa, malus, et arbor, unde vela
dependent, fuerit ex cedro, transtra, sive remi-
gum sedilia ex ebore Indico. „Praetoriola, sive
„cellaria sunt, ait S. Hieronymus, in quibus mer-
„ces pretiosissimae reponuntur.“ In Hebraeo prae-
„toriolum dicitur: *Filia gressuum* (בַּת־אֲשֻׁרִים)
ad quae nimirum iretur, tamquam ad conclavia,
quae in navi principem obtinerent locum. Est in
versione Latina vocabulum transumptum a praeto-
riis, ubi ius a praetoribus apud Romanos dicebatur,

et quae splendidiora plerumque solebant esse aedificia. Insulae Italiae in Hebraeo vocantur insulae Cethim. Isto vero nomine intelligitur Graecia. Quod ex 1. Mach. 1. v. 1. planum fit, ubi Alexander egressus dicitur esse de terra Cethim. Is vero ex Macedonia oriundus fuit, quae pars fuit Graeciae. S. Hieronymus autem Italiam vertit, omnes occidentalium insularum partes comprehendendo, ut ipse docet in Commentario. 7. *Byssus varia de Aegypto texta est tibi in velum, ut poneretur in malo: hyacinthus, et purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum.* Insulae Elisa intelliguntur, ut S. Hieronymus explicat Jonii maris insulae.

8. *Habitatores Sidonis, et Aradii fuerunt remiges tui: sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui.* Sidon, et Arad fuerunt vicinae civitates, et ex quibus Arad insula fuit vicina Tyro, ut ad hunc locum docet S. Hieronymus. 9. *Senes Giblii, et prudentes eius habuerunt nautas ad ministerium variae supellectilis tuae: omnes naves maris, et nautae earum fuerunt in populo negotiationis tuae.* Hebraice: *Senes Gebal, et sapientes eius fuerunt in te, confirmantes fissuram tuam* (זִקְנֵי גְבַל וַחֲכָמֶיהָ הָיוּ בָךְ מַחֲזִיקֵי בִּדְקֵךְ) Quod Chaldaeus clarius ita posuit: *Senes Gebal, et sapientes eius fuerunt in te, providentes necessaria.* Item alteram partem sic etiam apertius vertit idem Chaldaeus: *Omnes descendentes in mare, et nautae eorum fuerunt remiges, et portantes mercimonia in medium tui.* Sensus igitur tam a Gibliis, quam

ab aliis undique, qui navigationes, et commercia per maria instituerent, esse comportata omnia Tyrum, et advecta, ita ut illa nullius rei defectum haberet. Giblos autem, vel mutatione unius literae Biblos civitas fuit Phoeniciae. Hebraice Gebal, vel Gobel vocabatur.

10. *Persae, et Lydii, et Lybies erant in exercitu tuo viri bellatores tui: clypeum, et galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo.* Docet S. Hieronymus istas nationes floruisse tum maxime, et exstitisse celebres bellicae virtutis gloria: ideo hos in exercitu Tyriorum memorari, ut Tyriorum robur intelligeretur. „Quia, inquit, illis temporibus flo-„rentissimi erant, et famosi ad praelia pugnatores, „Tyriae urbis defensores esse memorantur, et ad ter-„rendos hostes scuta, et galeas inter murorum pro-„pugnacula suspendisse." 11. *Filii Aradii cum exercitu tuo erant super muros tuos in circuitu: Sed et pygmaei, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum: ipsi compleverunt pulchritudinem tuam.* Pygmaei hic non cubitales homines significantur: „sed pygmaei sunt, „ait S. Hieronymus, hoc est, bellatores, et ad „bella promptissimi, ἀπὸ τῆς πυγμῆς, quae Graeco „sermone: *in certamen* vertitur." Est enim pygmaeus derivatum ex Graeco πυγμὴ, quod pugnum, vel cubitum significat. A pugnis autem, quibus se manus armant naturaliter, si ad certandum alio careant instrumento, apud ipsos etiam Latinos pugnae, et pugnatorum in bello nomina exorta sunt.

12. *Carthaginenses negotiatores tui, a multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, et stanno, plumboque repleverunt nundinas tuas.* 13. *Graecia, Thubal, et Mosoch, ipsi institores tui: mancipia, et vasa aerea advexerunt populo tuo.* Pro Graecia in Hebraeo est *Javan*, quo Iones Graeciae populi designantur. De quibus, itemque de Mosoch, et Thubal ita scribit S. Hieronymus: „Iones, inquit, qui Hebraice appellantur Javan, „et Thubal, id est, Iberi Orientales, vel de Oc-„cidentis partibus Hispani, qui ab Ibero flumine „hoc vocabulo nuncupantur, et Mosoch, quos Cap-„padocas intelligimus, quorum metropolis, quae „postea ab Augusto Caesare Caesarea appellata est, „usque hodie lingva ipsorum Mazaca dicitur.“ Institor idem est, qui mercator. Distingvit vero S. Hieronymus Iberos, et alios Orientales dicit esse, alios de Occidentis partibus, alio nomine Hispanos, ut reipsa duae regiones fuerunt, quae Iberiae sunt dictae: altera occidentalis Hispania, altera sita ad Orientem, prope mare Caspium supra Armeniam. Utrinque huc Tyrum potuit institui negotiatio, ut dubium sit, quaenam potius debeat intelligi. Infra autem capitis 38. versu 2. regionis huius nomen recurrit, ubi quidem Asiaticam hanc et Orientalem magis debere intelligi, ibi declarabitur. 14. *De domo Thogorma equos, et equites, et mulos adduxerunt ad forum tuum.* Per Thogorma Phrygiam S. Hieronymus intelligit. Domus pro habitatione, et regione est posita. Ita Syrus etiam hoc: *E re-*

gione *Thogormae* vertit. 15. *Filii Dedan negotiatores tui: insulae multae negotiatio manus tuae: dentes eburneos, et hebeninos commutaverunt in pretio tuo.* Septvaginta pro Dedan Rhodon verterunt, quod non probat S. Hieronymus, sed aliam aliquam censet potius civitatem fuisse: quaenam tamen sit, non definit. Fuit Dedan Idumaeae civitas, ut est Jeremiae 25. v. 23. Sed quoniam hic ab Ezechiele inter maritimas civitates collocatur; omnium maxime verisimile est, intelligi civitatem Daden, quam Bochartus lib. 4. Phaleg. cap. 6. memorat ad sinum maris Persici fuisse sitam. *Insulae multae negotiatio manus tuae:* hoc est, insulae multae sunt, cum quibus tu agis, et exerces negotiationem. Ebenum est lignum, quod provenit in India. „Quae ligna ebenina, inquit S. Hieronymus, „nigri coloris pretiosissima sunt.“ In Hebraeo non pronuntur dentes ebenini, sed tantum: ebenum.

16. *Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum, gemmam, et purpuram, et scutulata, et byssum, et sericum, et chodchod proposuerunt in mercatu tuo.* Pro scutulatis est in Hebraeo *Rikmah*, significatque acu factam picturam. *Chodchod* Chaldaeus vertit gemmas. S. Hieronymus in Commentario ad Isaiae cap. 54. v. 12. iaspidem; hic vero ad hunc praesentem Ezechielis locum. „Quid significet, inquit, usque in prae„sentiarum invenire adhuc non potui.“ Docet vero Hebraeorum hanc esse de hoc vocabulo affirmationem, genus omne pretiosae mercis eo designari.

17. *Juda, et terra Israel ipsi institores tui, in*
frumento primo, balsamum et mel, et oleum, et
resinam proposuerunt in nundinis tuis. 18. *Dama-*
scenus negotiator tuus in multitudine operum tuo-
rum, in multitudine diversarum opum, in vino
pingui, in lanis coloris optimi. Vinum pingve in
Hebraeo *vinum Chelbon* vocatur. Est hoc nomen
proprium loci, unde vinum illud erat. Fit enim
huius loci mentio apud Strabonem lib. 15. Ptolo-
maeus quoque Syriae illam partem, quae est ad
Damascum, *Chalybonitiden* vocat. Judicum etiam
capitis 1. versu 31. *Chelba* civitas commemoratur
inter illa loca, quae a septemtrione ultra tribum
Aser proxima erant. Hinc ergo vinum istud fuit de-
nominatum, quod Damasceni negotiatores Tyrum ve-
herent, et quod Damascenum vinum ita etiam lau-
datur ab Athenaeo l. 1. ut reges Persidis non alio,
quam hoc fuisse usos dicat. Lana coloris optimi
est in Hebraeo *lana candida* (צֶמֶר צָחַר)

19. *Dan, et Graecia, et Mosel in nundinis*
tuis proposuerunt ferrum fabrefactum: stacte, et
calamus in negotiatione tua. Mosel, quaenam es-
se possit civitas, vel regio, adhuc nemo detexit.
In Hebraeo post nomen: *Graecia* sine interposi-
tione voculae copulativae est: *Meüzzal* (מְאוּזָּל) Hoc
autem est participium, quod Hebraei *Pual* vo-
cant temporis praeteriti, a verbo *Azal* (אָזַל)
quod significat *abire.* Itaque sensus existere iste
potest: Dan, et Graecia profectae in nundinis tuis
proposuerunt ferrum fabrefactum. Et non esse pro-
prium

prium hoc nomen, inde perspicitur; quod et Dan, et Graecia, in Hebraeo habeant praefixam voculam copulativam, (וְדָן וְיָוָן מְאוּזָּל) tamquam quarum civitatum fiat enumeratio, et ad ceteras, quae iam prius enumeratae sunt, relatio, non vero illud: *Mosel*. Quod proinde indicat non eiusdem generis, nec proprium alicuius loci esse hoc nomen, qualia illa superiora fuerunt. „Pro Mosel, verba sunt S. „Hieronymi, Symmachus quoque transtulit: *defe-*„*rens*.“ Stacte est liquor odoratus, quem odoriferae arbores exstillant. Sed in Hebraeo est *kiddah* (קִדָּה) quod casiam significat, estque species calami odorati, cuiusmodi est cinnamomum. Pro Graecia est *Javan*, significatque Ioniam, ut iam supra demonstratum est ad versum 13. 20. *Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum*. Hic iam modo civitas memoratur, quae Idumaeae fuit. Nam Arabiam deinde etiam proxime commemorat, ubi sita Idumaea fuit. 21. *Arabia, et universi principes Cedar, ipsi negotiatores manus tuae: cum agnis, et arietibus, et haedis venerunt ad te negotiatores tui*. In mercatu fit vel pretii, vel alterius rei traditio, et permutatio pro alia. Idcirco principes Cedar negotiatores manus Tyri vocantur, utpote quibus cum manibus Tyriorum mercatus negotium intercederet. Cedareni fuerunt Arabiae populi ex Ismaele Abrahae filio prognati. Gen. 25. v. 13. 22. *Venditores Saba, et Reema, ipsi negotiatores tui cum universis primis aromatibus, ut lapide pretioso, et auro, quod proposuerunt in mercatu tuo*.

Reema fuit civitas in Arabia felice, quam Ptolomaeus Rhegmam appellat ad sinum maris Persici.

23. *Haran, et Chene, et Eden negotiatores tui: Saba, Assur, et Chelmad venditores tui* Haran esse Mesopotamiae urbem ex Genes. 10. v. 10. et Amos 6. v. 2. certum est: cum qua Chalanne eamdem hic hanc esse, quae Chene vocatur, ex nomine, cum non multum abludat, coniicitur. Quoniam autem cum his duabus tertia Eden coniunctim sit posita, nec illam loco multum disiunctam esse oportuit. Hoc vero nomine etiam Paradisus fuit appellatus Genes. 4. v. 16. Qui cum in eo loco situs fuerit, ubi Tigris, et Euphrates fluvii sint, consequens est, et Eden, ibi positam fuisse. Saba iam etiam superiore versu fuit. Nec mirum. Erant enim plures isto nomine provinciae. Illa, siquidem cum Reema sit commemorata, quae civitas in Arabiae felice fuit, pertinet ad hanc eamdem Felicem Arabiam. Fuit autem praeterea alia Saba in Arabia Petraea, alia in Aethiopia. Harum igitur alterutra hic altero loco intelligitur. *Chelmad* Chaldaeus vertit *Mediam*. Apud Ptolomaeum memoratur civitas hoc nomine: *Gaala mediae*. Ex quo nomine composito retinendo earum anteriores syllabas per contractionem Chalmed, vel Chelmad fieri potuit. 24. *Ipsi negotiatores tui multifariam involucris hyacinthi*, In Hebraeo est cum praepositione: *in involucris hyacinthi* (בִּגְלוֹמֵי תְכֵלֶת) *et polymitorum, gazarumque pretiosarum, quae obvolutae, et adstrictae erant funibus: cedros quo-*

que habebant in negotiationibus suis. Polymitum idem est, quod acupictum, ut iam supra demonstratum est. Pro gazis pretiosis sunt in Hebraeo: *capsae vestium pretiosarum* (וּבִגְנְזֵי בְּרֹמִים) 25. *Naves maris principes tui in negotiatione tua:* Principes tui Hebraice *Scharotaich* (שָׁרוֹתַיִךְ) quae vox deducta a radice *Schur* (שׁוּר) canere significat, vel ferri erga aliquid, aut offerre munera. Sensus igitur est, naves maris fuisse cursu directas Tyrum versus: quae scilicet undique solitae sint ad eam convenire: *et repleta es: et glorificata nimis in corde maris.*

26. *In aquis multis adduxerunt te remiges tui: ventus Auster contrivit te in corde maris.* Hactenus opulentiam, amplitudinem, atque gloriam Tyri descripserat. Nunc transit, et incipit proponere, quomodo inde e suo culmine ruerit. Servat autem etiam deinceps allegoriam, qua sub imagine navis Tyrum proposuerat. Dicit ergo Tyrum a suis remigibus, et gubernatoribus ad nimis altum mare esse deductam, atque provectam: ubi eo periculosius esset exposita adversis casibus, atque tempestatibus. Et ideo deinde subiicit, a vento Austro, qui maximas ciere solet tempestates, esse contritam, et confractam in medio mari. 27. *Divitiae tuae, et thesauri tui, et multiplex, instrumentum tuum,* supellex, apparatus rerum tuus, *nautae tui, et gubernatores tui, qui tenebant supellectilem tuam, et populo tuo praeerant, viri quoque bellatores tui, qui erant in te cum univer-*

sa multitudine tua, quae est in medio tui, cadent in corde maris in die ruinae tuae. 28. *A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes,* 29. *et descendent de navibus suis omnes, qui tenebant remum: nautae, et universi gubernatores maris in terra stabunt,* 30. *et eiulabunt super te voce magna, et clamabunt amare, et superiacient pulverem capitibus suis, et cinere conspergentur:* 31. *et radent super te calvitium, et accingentur ciliciis, et plorabunt te in amaritudine animae ploratu amarissimo.* Calvitium in capite per evulsionem, vel abscissionem capillorum fieri solitum esse in luctu, iam saepius observatum est. Descensio ex navi eorum, qui tenebant remum, et navim gubernabant, denotat principum Tyri, casum e sua dignitate: statio eorumdem in terra est desumpta ex naufragio. In quo, qui enatare potuerunt, dumque terram attigerunt, defatigati ex natando consistunt. 32. *Et adsument super te carmen lugubre, et plangent te: quae est, ut Tyrus, quae obmutuit in medio maris?* 33. *Quae in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos; in multitudine divitiarum tuarum, et populorum tuorum ditasti reges terrae;* 34. *nunc contrita es a mari. In profundis aquarum opes tuae, et omnis multitudo tua, quae erat in medio tui, ciderunt.* 35. *Universi habitatores insularum obstupuerunt super te, et reges earum omnes tempestate perculsi mutaverunt vultus.* 36. *Negotiatores populorum sibilaverunt super te: ad nihilum*

deducta es, et non eris usque in perpetuum. Tyrus est postea rursus resuscitata. Quod quomodo cohaereat cum hoc, quod dicitur, non futuram unquam postea, iam est explicatum ad superioris capitis versum 14.

CAPVT XXVIII.

Regi Tyriorum exprobratur superbia, qua se ita inflaverit, ut se Deum putaverit esse: huicque eius insaniae adscribitur Tyri excidium: idemque exitium in Sidonem pronunciatur: Israelitis autem post captivitatem rerum prosperitas, et pacata habitatio eversis eorum inimicis promittitur.

1. *ET factus est sermo Domini ad me dicens:*
2. *Fili hominis dic principi Tyri: haec dicit Dominus Deus, eo quod elevatum est cor tuum, et*
dixisti: Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi
in corde maris, cum sis homo, et non Deus, et
dedisti cor tuum quasi cor Dei: 3. *ecce sapien-*
tior es tu Daniele, omne secretum non est abs-
conditum a te: 4. *in sapientia, et prudentia tua*
fecisti tibi fortitudinem, et acquisivisti aurum,
et argentum in thesauris tuis; 5. *in multitudine*
sapientiae tuae, et in negotiatione tua multiplica-
sti tibi fortitudinem, et elevatum est cor tuum
in robore tuo; 6. *propterea haec dicit Dominus*
Deus: eo quod elevatum est cor tuum quasi cor

Dei; 7. *idcirco ecce ego adducam super te alienos, robustissimos gentium, et nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiae tuae, et polluent decorem tuum*: 8. *interficient, et detrahent te, et morieris in interitu occisorum in corde maris.*

Textum hucusque posui, quod periodus cum initio capitis coepta hic tantum terminetur. *In cathedra Dei sedi in corde maris*. Cathedra est Graecum vocabulum, significatque sedem. Ponitur ergo cathedra Dei pro solio Dei. Sensus igitur est, regem Tyri eousque in superbia processisse, ut quasi Deum praesidere se mari, et in sua potestate illud habere se se putaverit. Cor maris est pro medio maris positum. Insula autem id temporis adhuc fuit Tyrus, ac proinde in medio mari fuit, cuius aquis undique circumfundebatur. Quam per Alexandrum M. cum eam oppugnaturus esset, cum continente esse coniunctam, terra, et lapidibus implendo spatium, quod Plinius septingentos passus latum esse scribit l. 5. cap. 19. quo per mare dividebatur a continente, iam etiam alias a me dictum est. Is ergo cor suum dedit, quasi cor Dei: hoc est, spiritus, et animos sibi eiusmodi sumpsit, ut omnia se habere putaret in sua potentia, quemadmodum Deus. Arabs vertit: *Aequasti cor tuum cordi Dei*: Chaldaeus: *Cogitasti in corde tuo, quod sis terribilis*. Ecce sapientior es tu Daniele. Cuius duplicem intelligendi rationem proponit S. Hieronymus; primum per interrogationem, quae vim

habet negationis: quemadmodum Septvaginta etiam verterunt: Μὴ σοφώτερος εἶ σὺ τοῦ Δανιήλ; alterum per affirmationem. En ipsius verba: „Numquid sapientior es, inquit, Daniele, qui Dei „gratia vicit omnes magos, et ariolos, et nunc „in Babylone sapientissimus est? Sive ita intelligen„dum: etiamsi sapientior sis Daniele, qui omni„um confessione sapientissimus est, et divitiarum, „ac potentiae magnitudine Dei te cupias potentiae „coaequare; tamen capieris ab adversariis, et urbe „perdita confodieris vulneribus, et ultra non di„ces: Deus ego sum: sed doctus interitu, homi„nem te esse cognosces, non Deum." Hoc altero modo res sumpta magis cohaeret cum subsequente oratione, in qua regi Tyri praestans aliqua sapientia omnino conceditur. Est ego hoc positum per figuram concessionis, et quasi sic esset dictum: Ecce, quamvis sapientior esses Daniele, et nullum secretum a te esset absconditum; hoc est, cuncta tibi ad pervidendum, ac perspiciendum essent pervia, et quamvis tibi hac prudentia tua, atque sapientia comparaveris fortitudinem accumulando opes, viresque multiplicando, et fortissimis militibus instruendo exercitum tuum, propterea nihilominus, quod hac tua prudentia, atque fortitudine tantum superbieris, ut te cogitares Deum esse, adducam super te alienos, robustissimos gentium, et nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiae tuae, et polluent decorem tuum: hoc est, adversum te nudabunt, et te ferient gladio suo,

cuius tam pulchra, et eximia sapientia est, tuumque decorem polluent, hoc est, ex dignitate te regia tua deturbabunt, atque hanc conculcabunt. Sic enim hoc deinde ipsum altero etiam versu clarius positum est: *Interficient, et detrahent te, et morieris in interitu occisorum* Hebraice: *morieris mortibus confossorum* (מְמוֹתֵי חָלָל) hoc est, morieris similiter atque ii, qui gladio confodiuntur.

9. *Numquid dicens loqueris: Deus ego sum coram interficientibus te, cum sis homo, et non Deus, in manu occidentium te?* 10. *Morte incircumcisorum morieris in manu alienorum: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.* Incircumcisorum nomine Israelitae quoscumque profanos, et immundos per contemptum appellabant. „Quis enim „est hic Philisthaeus incircumcisus, qui exprobra„vit acies Dei viventis?" aiebat David de Goliatho, quem funda deiecit 1. Reg. 17. v. 26. Qui se ergo ita erexisset, ut se Deo aequiparare non dubitaret, hunc more alterius cuiuscumque vilis, et abiecti dicit periturum.

11. *Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis leva planctum super regem Tyri,* 12. *et dices ei: haec dicit Dominus Deus: tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore:* 13. *in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, et iaspis, chrysolithus, et onyx, et berillus, saphirus, et carbunculus, et smaragdus: aurum opus decoris tui, et foramina tua in die,*

qua conditus es, praeparata sunt. Tu signaculum similitudinis, id est, tu forma perfectae imaginis: forma vero imaginis intelligitur, in qua sapientiae decor esset pulcherrime expressus, utpote qui plenus sapientia, et decore praedicetur. *In deliciis paradisi Dei fuisti*, hoc est, talibus deliciis affluxisti, quales olim habuit paradisus Dei. Splendorem deinde illius vestium, atque pretium describit, qui totus lapidibus pretiosis fuerit contectus. *Aurum opus decoris tui, et foramina tua in die, qua conditus es, praeparata sunt.* Hic primo, vocabulum *aurum* pertinet ad res antecedentes pretiosas, quibus vestitus fuerat rex Tyri, et post vocem *smaragdus* poni debet tantum comma, post *aurum* vero duo puncta: ac deinde iuxta Hebraeum sequitur hoc ita, ut proponam: *Opus tympanorum tuorum, et foraminum tuorum in te* (מְלֶאכֶת תֻּפֶּיךָ וּנְקָבֶיךָ בָּךְ) *in die, qua conditus es; praeparata sunt.* Gemmae, ut notum est, auro consveverunt inseri. Illa ergo cavitas, quo recipiuntur gemmae, vocantur tympana. „Tympanum vocat, ait S. Hieronymus, in quo infixi sunt lapides.“ Dicit ergo haec foramina, atque tympana illius, sive ut ad hunc splendorem, et magnificentiam perveniret, iam fuisse ei praeparatum a Deo, et destinatum a die, qua conditus est: ut doceat, non casu, citraque Dei consilium, et voluntatem ipsum pervenisse ad hanc dignitatem, et tantas opes suas.

14. *Tu Cherub extentus, et protegens: et posui te in monte sancto Dei; in medio lapidum*

ignitorum ambulasti. Super arcam foederis duo fuerant Cherubim alis supra arcam versus se invicem extensis, atque exporrectis. Mons Dei sanctus, est mons Sion, ubi in templo arca illa una cum Cherubinis istis fuit collocata. Rex Tyri in monte Sion, et in templo, quemadmodum arca, et Cherubini, constitutus numquam fuit. Tam vero antecedens, quam subsequens oratio, quae tota est de rege Tyri, confirmat istud quoque ad eum esse directum: nec propter nexum orationis, quae est de uno eodemque, potest hoc secundum regulas intelligendi ad alium aliquem referri. Qua ratione igitur rex Tyri Cherub appellatur, et positus fuisse a Deo dicitur in monte sancto illius? Factum est hoc nonnisi per comparationem ad splendorem dignitatis, in qua Deus illum constituerit, exprimendum, illustriusque exhibendum. Nam ab ipso Deo etiam, atque a Divinis rebus similitudines petuntur, quanto minus mirum hoc videri debet, si hoc idem factum sit de Cherubinis positis super arcam, et de templo, indeque ad splendorem, et magnificentiam designandam similitudo sit transsumpta ad hominem? Fuit superioribus versibus, regem Tyri totum fuisse in gemmis, et auro. Auro vero fulgebant etiam illi Cherubini super arcam, et erant hi longe pulcherrimi, atque splendidissimi: neque vero etiam Dei templo quidquam cogitari potuit magnificentius, atque augustius. Hinc ergo translata per tropum orationis sunt vocabula ad regis Tyri splendorem, qui fulgebat in eius vestitu, et tota dignitate regia,

eiusque magnificentiam, quae reluceret in eius throno, atque palatio, designandam. Atque isto modo David quoque non dubitavit in Psalmo 143. v. 12. ipsorum suorum adversariorum, qui eum persequebantur, filias in ornatu, et cultu vestium assimilare Dei templo. „Filiae eorum, inquit, composi„tae, circumornatae, et similitudo templi.“ De eodem rege Tyri est, quod in medio lapidum ignitorum ambulaverit, qui scilicet inter meras gemmas, et instar ignis fulgentes, atque rutilantes lapides semper ubique versaretur.

15. *Perfectus in viis tuis, a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te.* Inventio respondet actioni, qua aliquid quaeritur. Non quod subinde aliqua etiam non reperiantur, quin quaerantur; sed quod tanto citius pleraque obtineantur, quanto diligentius quaeruntur; quemadmodum et ab ipso Servatore nostro dictum est: „Qui quaerit, „invenit.“ Luc. 11. v. 10. Deus autem quaerere, investigare et visitare peccata dicitur, quando venit ad puniendum. Qua ratione ab Jobo est dictum: „Si mane me quaesieris non subsistam.“ Job. 7. v. 21. et cuiusmodi illud est Sophoniae 1. v. 12. „Scrutabor Jerusalem in lucernis.“ Item Exodi 32. v. 34. „In die ultionis visitabo et hoc peccatum „eorum:“ et qua ratione ipsum etiam invenire usurpatum est Genesis 44. v. 16. „Deus invenit „iniquitatem servorum tuorum.“ Fratres autem Joseph ad hunc hoc dixerunt, quando in angustia erant, atque sui malefacti conscientia, propter quod Deus

tunc ab illis poenas exigeret, istud dixerunt. Tamdiu igitur rex Tyri perfectus erat, illa autem perfectio illius intelligitur, quae modo in ipso laudabatur, potentiae, atque opum, quamdiu Deus quaestionem de illo non instituit. Itaque a die conditionis ipsius, et a quo tempore regnum illud esse coepit, dicitur, Tyrios semper rerum prosperitate usos fuisse.

16. *In multitudine negotiationis tuae repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti, et eieci te de monte Dei, et perdidi te, o Cherub protegens, de medio lapidum ignitorum.* Est continuatio superioris allegoriae, et assimilationis de Dei monte, et de Cherubino. Per multitudinem negotiationis intelligitur magnitudo divitiarum, atque opum, quam negotiatione consecutus sit, et propter quam insolentiam ex opibus interiora illius repleta iniquitate sint: hoc est, quae iniquitas totum illum pervaserit. 17. *Et elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo:* divitiarum luxus extulit ipsum ad omnem licentiam, ut se hominem esse etiam oblivisceretur, ut fuit in principio huius capitis: in hoc igitur decore suo, et in hac opum affluentia perdidit suam sapientiam: neque enim maior stultitia cogitari potest, quam dum homo se cogitat Deum esse. *In terram proieci te: ante faciem regum dedi te, ut cernerent te.* „Proiectus es autem, verba sunt S. Hieronymi, „in conspectu omnium regum, ut tuo terrerentur „exemplo.“ 18. *In multitudine iniquitatum tuarum,*

et iniquitate negotiationis tuae polluisti sanctificationem tuam. Hebraice: *sanctuaria tua* (מִקְדָּשֶׁיךָ) Itaque etiam hic continuatur allegoria de rege Tyri collocato, quasi in monte sancto Dei, et in quo decore suae pulchritudinis, ut pollueretur, hoc est, ut eam amitteret, atque vilis fieret, qui antea tanta gloria circumfluebat; multitudo iniquitatum illius, et negotiationis perversitas, intelligendo partim fraudes admissas in mercimonio, partim superbiam ex opulentia, quae parta per negotiationem est, causa fuit. *Producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, et dabo te cinerem super terram in conspectu omnium videntium te.* Fuit supra versu 16. „Repleta sunt interio„ra tua iniquitate." Incendii autem illius causa, quo conflagravit Tyri rex, fuit eius iniquitas. De medio igitur illius productus est iste ignis, qui consumpsit, quod ex ipso processerit, cur illo igne conflagraverit. 19. *Omnes, qui viderint te in gentibus; obstupescent super te: nihil factus es, et non eris in perpetuum.*

20. *Et factus est sermo Domini ad me dicens:* 21. *Fili hominis, pone faciem tuam contra Sidonem, et prophetabis de ea,* 22. *et dices: haec dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Sidon, et glorificabor in medio tui: et scient, quia ego Dominus, cum fecero in ea iudicia, et sanctificatus fuero in ea.* Eodem modo se Deus dicit glorificatum iri in Sidoniis, quo dixit: „Glo„rificabor in Pharaone, et in omni exercitu eius"

Exod. 14. v. 4. dum illum demersit ad mare Rubrum. Itemque se sanctificatum iri dicit in illis, cum suum iudicium erga illos exercuerit, quod illos puniendo sanctitatem suam, quae laesa illorum sceleribus est, vindicaturus sit. Quo modo etiam Deus sanctificatus esse dicitur, et glorificatus in morte duorum Aaronis filiorum Nadab, et Abiu, dum supplicium de illis sumpsit, atque igne illos consumpsit. Levit. 10. v. 3. 23. *Et immittam ei pestilentiam, et sangvinem in plateis eius, et corruent interfecti in medio eius gladio per circuitum, et scient, quia ego Dominus.* 24. *Et non erit ultra domui Israel offendiculum amaritudinis, et spina dolorem inferens undique per circuitum eorum, qui adversantur eis: scient, quia ego Dominus Deus.* Docet Deus, se civitates omnes esse depressurum, quae infestae ad hoc tempus fuissent domui Israel, neque futurum amplius, ut ulla per eius circuitum civitas ultra ei audeat molesta existere. Quod quo pertineat, ex praecedentibus plurimis iam eiusmodi locis non tantum in Ezechiele, sed in Anterioribus etiam Prophetis, ubi in summa, et perpetua pace dicuntur constituendi Israelitae, ubi ex captivitate essent revocati, quae subeunda illis esset propter peccata, perspicuum fit istud quoque, cerniturque esse pertinens non ad illos secundum carnem veteres, sed ad novi foederis per Spiritum fidei novos Israelitas. Quo pertinent etiam reliqua quae sunt in hoc capite. 25. *Haec dicit Dominus Deus: quando congre-*

gavero domum Israel de populis, in quibus dispersi sunt; sanctificabor in eis coram gentibus, et habitabunt in terra sua, quam dedi servo meo Jacob. 26. *Et habitabunt in ea securi, et aedificabunt domos, et plantabunt vineas, et habitabunt confidenter, cum fecero iudicia in omnibus, qui adversantur eis per circuitum, et scient, quia ego Dominus Deus eorum.* Nondum autem ista pax tenet, quin persecutionibus, et oppugnationibus perpetuis exposita est Ecclesia, tamquam navis in mediis flactibus. Neque enim adhuc nunc in possessione sumus bonorum, quae sunt promissa per Christum. Adhuc enim nunc peregrinamur a Domino 2. Cor. 5. v. 6. et spe tantummodo adhuc salvi facti sumus Rom. 8. v. 24. Sed prophetiae de Christo, et de novo foedere, ibi terminum habent, ut impleantur, ubi bona exhibentur, quae nobis promissa sunt per Christum. Qua de re iam dictum etiam est ad Isaiae cap. 2. v. 4.

CAPUT XXIX.

De Pharaonis, et Aegyptiorum per Nabuchodonosorem devastatione, quod vana auxilii sui spe eam, quam Israelitae in ipsis habebant, confidentiam sustentaverint.

1. *IN anno decimo, decimo mense, undecima die mensis, factum est verbum Domini ad me di-*

cens: Fit supputatio annorum ab anno, quo Jechonias ductus est in captivitatem, ut iam saepe ratio haec inde numerandi annos in Ezechiéle observata est. Pro undecima die mensis Hebraeus, insuper Chaldaeus, deinde, Arabs, et Syrus *diem duodecimam* habent, Septvaginta vero; μιᾷ τοῦ μηνὸς *una mensis.* Ex Latino autem syllaba illa una non casu excidit, sed S. Hieronymus omnino sic versionem fecit, ut nunc est, ut hoc apparet ex eius Commentario. Fortasse voluit disconvenientiam, quae est inter Graecum, atque Hebraeum, mediam ineundo viam, ista ratione conciliare. *Fili hominis, pone faciem tuam contra Pharaonem regem Aegypti, et prophetabis de eo, et de Aegypto universa.*
3. *Loquere, et dices: haec dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Pharao rex Aegypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis: meus est fluvius, et ego feci memetipsum.* „Loquitur iuxta situm provinciae, „ait, S. Hieronymus, quasi ad regem, quod in Nili „inundatione confidat, et pluvias de caelo non „magnopere desideret, auctoremque sui seipsum „putet, vel fluvios, hoc est, rivos Nili a se fa„ctos iactitet.“ Fuit ergo etiam huius ista arrogantia, ut quod esset, et quae haberet, sibi, non Deo, insolentissime tribueret, acceptaque referret.
4. *Et ponam fraenum in maxillis tuis, et agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis, et extraham te de medio fluminum tuorum, et universi pisces tui squamis tuis adhaerebunt.* Ipsius squa-

squamis adhaerentes pisces intelliguntur eius subditi, quos una cum illo Deus extracturus ex flumine, et proiecturus in desertum sit. Quoniam autem deserta illarum regionum arida solent esse, et sicca, intelligitur, piscibus quoque, qui huc proiicerentur, esse intereundum. 5. *Et proiiciam te in desertum, et omnes pisces fluminis tui: super faciem terrae cades: non colligeris, neque congregaberis: bestiis terrae, et volatilibus caeli dedi te ad devorandum.* 6. *Et scient omnes habitatores Aegypti, quia ego Dominus, pro eo, quod fuisti baculus arundineus domui Israel:* 7. *quando apprehenderunt te manu, et confractus es, et lacerasti omnem humerum eorum, et innitentibus eis super te comminutus es, et dissolvisti omnes renes eorum.* Casus illius super faciem terrae significat mortem illius, quae non sit futura in lectulo. Corpus autem mortuum, dum cecidit, si non colligatur, et componatur, denotat eius derelictionem absque sepultura: ob quam rem etiam bestiis terrae, et avibus expositum maneat ad devorandum. Quare Chaldaeus istud luculentius ita vertit: *Et proiiciam te in desertum, te, et omnes principes fortitudinis tuae: super faciem agri proiicietur cadaver tuum, non colligetur, nec sepelietur.* Superius capitis 17. versu 15. Sedeciae regi exprobratur, quod, cum pactum cum Nabuchodonosore rege violavisset; auxilium apud Pharaonem quaesiverit. Hunc vero paratum fuisse ad hoc ferendum, et iam copias etiam eduxisse suas,

est Jeremiae 37. v. 6. Idumaeis supra cap. 25. v. 12. et Palaestinis vitio datum est, quod Judaeos iam clade affectos per Chaldaeos, persecuti sint, Chaldaeorumque furorem in eos adiuverint. Quod si ergo haec auxilii latio ex hac una tantum parte consideretur, qua res spectabat ad eorum defensionem, non fuisset Deus offensus isto Pharaonis erga Judaeos animo. Sed cum iusiurandum Judaei, quod dederant Nabuchodonosori, sprevissent, et Deus illos propterea puniturus esset, illique, quasi nihilominus praevalere possent adversus Dei manum, eos percutere volentem, in Pharaone fiduciam suam collocaverint; ille praebendo ipsis auxilium declaravit eiusmodi de suis viribus sibi esse persvasionem, quae adversus Deum etiam valere possint. In quo certe non mediocre fuit peccatum.

8. *Propterea haec dicit Dominus Deus: ecce ego adducam super te gladium, et interficiam de te hominem, et iumentum.* 9. *Et erit terra Aegypti in desertum, et in solitudinem, et scient, quia ego Dominus, pro eo, quod dixeris: fluvius meus est, et ego feci eum.* 10. *Idcirco ecce ego ad te, et ad flumina tua, daboque terram Aegypti in solitudines, gladio dissipatam a turre Syenes usque ad terminos Aethiopiae.* Turris Syene erat in finibus Aegypti ex ea parte, qua Aegytus ad mare Rubrum spectat, ut tradit Solinus cap. 45. Aethiopia autem est confinis Aegypto ab Oriente. „Turris Syene, ait S. Hieronymus,

„usque hodie permanet castrum ditioni Romanae „subiectum, ubi sunt Nili cataractae, et usque ad „quem locum de nostro mari Nilus navigabilis est. „Totam igitur Aegyptum dicit depopulandam usque ad terminos Aethiopiae.“ 11. *Non pertransibit eam pes hominis, neque pes iumenti gradietur in ea, et non habitabitur quadraginta annis.* 12. *Daboque terram Aegypti desertam in medio terrarum desertarum, et civitates eius in medio urbium subversarum, et erunt desolatae quadraginta annis, et dispergam Aegyptios in nationes, et ventilabo eos in terras.* In medio terrarum desertarum, dum dicit futuram Aegyptum, quando ipsa quoque erit vastata, proculdubio intelligitur, vicinas Aegypto nationes esse pariter vastandas. „Palaestinos significat, ait S. Hieronymus, Idumaeos, et Moabitas, omnesque alias regiones, adversum quas supra Prophetae vaticinium est.“

13. *Quia haec dicit Dominus Deus: post finem quadraginta annorum congregabo Aegyptum de populis, in quibus dispersi fuerant,* 14. *et reducam captivitatem Aegypti, et collocabo eos in terra Phathures, in terra nativitatis suae, et erunt ibi in regnum humile.* In superiore Aegypto Thebaidem versus erat haec Aegypti provincia Phathures sita. 15. *Inter cetera regna erit humillima, et non elevabitur ultra super nationes, et imminuam eos, ne imperent gentibus.* Est hoc de spatio illo temporis accipiendum, quamdiu adhuc postea, sub propriis Aegyptiorum regibus, Aegyptus

duravit, ubi post quadraginta annos iterum se recollegisset. Non autem, quando Aegyptus sub Graecorum imperio ad alienos reges transiit. Nam tunc sub Ptolomaeis Aegyptus se rursum magnopere erexit, magnamque auctoritatem adepta est. Sed quoniam omne tum ius suum pristinum perdiderat, in novamque formam res Aegyptiorum publica commigravit, in qua illam e Graecia oriundi reges esse voluerunt, nonnisi solo nomine permansit pristinum Aegyptiorum regnum, quibus etiam nova Graeca lingva per Graecos reges est introducta. Accidit hoc post annos ducentos. 16. *Neque erunt ultra domui Israel in confidentia, docentes iniquitatem, ut fugiant*, ad eos videlicet ut fugiant auxilii causa, *et sequantur eos et scient, quia ego Dominus Deus.*

17. *Et factum est in vigesimo anno, in primo, in una mensis, factum est verbum Domini ad me dicens:* 18. *Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum: omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est: et merces non est reddita ei, neque exercitui eius de Tyro, pro servitute, qua servivit mihi adversus eam.* „Quaeritur, ait S. Hieronymus, quomodo post „decimum annum superioris sermonis statim vicesimus, et septimus ponatur annus, et in consequentibus decimus, duodecimusque, et in ex„trema descriptione templi vigesimus quintus. Sed „facilis solutio est. Quia enim de Aegypto et

„superior, et haec, quae nunc dicitur, prophe„tia contexitur, licet diversis sit facta tempori„bus; tamen, quia de una provincia prophetatur, „iunctae sibi sunt. Quod et in Jeremia crebro le„gimus, ut praepostero ordine tempora describan„tur.“ Nabuchodonosori autem de Tyro non est merces reddita. „Qui cum oppugnaret Tyrum, „ait S. Hieronymus, et arietes, machinas, vine„asque eo, quod cincta esset mari, muris non pos„set adiungere, infinitam exercitus multitudinem „iussit saxa, et aggeres comportare, et expleto „medio mari, imo freto angustissimo vicinum li„tus insulae fecit contiguum. Quod cum viderent „Tyrii iam, iamque perfectum, et percussione „arietum murorum fundamenta quaterentur; quid„quid pretiorum in auro, argento, vestibusque, „et varia supellectili nobilitas habuit, impositum „navibus ad insulas asportavit, ita ut capta urbe „nihil dignum labore suo inveniret Nabuchodono„sor. Et quia Dei in hac parte obedierat volunta„ti, post aliquot annos captivitatis Tyriae, datur „ei Aegyptus. Hoc est ergo, quod dicit: Na„buchodonosor rex Babylonis in oppugnatione Ty„ri suum mihi servire fecit exercitum, ut imple„rem voluntatem meam. Omne caput decalvatum, „et omnis humerus depilatus est gestantium co„phinos terrae, et lapides, quibus raduntur hume„ri, et decalvatur caput: et tamen nec ipse, nec „exercitus eius aliquid dignum invenit in Tyro. „Et cum in hoc mihi servierit, et meam contra

„Tyrum impleverit voluntatem; idcirco dabo ei „terram Aegypti.“

19. *Propterea haec dicit Dominus Deus: ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Aegypti, et accipiet multitudinem eius, et depraedabitur manubias eius, et diripiet spolia eius, et erit merces exercitui illius, 20. et operi, quo servivit adversus eam. Dedi ei terram Aegypti, pro eo, quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus. 21. In die illo pullulabit cornu domui Israel, et tibi dabo apertum os in medio eorum, et scient, quia ego Dominus:* Aegypto per Nabuchodonosorem subacta Judaeis in captivitate secundior aura aspirare coepit. Non multo enim post Nabuchodonosore mortuo, cum ei in regno Evilmerodach filius successisset; is Jechoniam e carcere eductum honorifice habuit, regiaque insignia ei concessit 4. Reg. 25. v. 28. Et cum sub Cyro Judaei concessa sibi redeundi facultate, iam se in suo regno pristino collocassent, urbemque instaurare coepissent; Aegyptus in suo squalore iacuit adhuc diutius. „Cumque hoc prius fuerit „expletum (verba sunt S. Hieronymi, hoc autem „prius illud, quod Aegyptiis accidit, intelligit) „tunc, o Propheta, apetietur os tuum, et vaticinium tuum nequaquam dubia promissione pen„debit, sed cernetur opere perpetratum, ut sci„ant omnes, qui audierint me esse Dominum, cu„ius dixisse fecisse est.“ Aperire os positum est pro confidentia loquendi; quemadmodum, sed in

contrarium superius quoque fuit capitis 16. versu 63. „Ut recorderis, et confundaris, et non sit „tibi ultra aperire os prae confusione tua." Pertinet igitur hoc eo, unde Propheta veridicum se fuisse posset probare, illiusque sole clarius coram omnibus appareret, fuisse veracitatem, et in praedicendo Divinam, qua polleret, auctoritatem.

CAPVT XXX.

De urbibus Aegypti omnibus vastandis continuatur erga eamdem Aegyptum prophetia.

1. *ET factum est verbum Domini ad me dicens:*
2. *Fili hominis propheta, et dic: haec dicit Dominus Deus: ululate, vae, vae diei.* 3. *Quia iuxta est dies, et appropinquat dies Domini, dies nubis, tempus gentium erit:* „Dies non claro „sole rutilans, ait S. Hieronymus, sed operta „nubibus, et Babyloniam adferens tempestatem." Gentium nomine iidem Babylonii designantur, quorum multitudo inundatura sit Aegyptum. 4. *Et veniet gladius in Aegyptum, et erit pavor in Aethiopia, cum ceciderint vulnerati in Aegypto, et ablata fuerit multitudo illius, et destructa fundamenta eius.* 5. *Aethiopia, et Lybia, et Lydi, et omne reliquum vulgus, et Chub, et filii terrae foederis cum eis gladio cadent.* Cubii erant po-

puli, quos Ptolomaeus l. 4. Georg. cap. 5. in Mareotide, quae fuit provincia Aegypti, habitasse dicit. Filii terrae foederis, qui tum una cum Aegyptiis interierunt, intelliguntur vel ii Israelitae, qui duce Johanan post vastatam Jerosolymam adversus Dei imperium se contulerunt in Aegyptum habitandi causa, quosque interfectum iri adventu Chaldaeorum in Aegyptum, praedixit Jeremias cap. 44. v. 14. terraque foederis Israelitica regio hac ratione intelligetur, cum cuius incolis factum sit a Deo foedus: vel vero, si hoc respectu Aegypti accipiatur, filii terrae foederis intelligentur populi earum regionum, qui in hoc bello contra Chaldaeos confoederati fuerunt cum Aegyptiis. Priore modo sumpserunt Septvaginta sic versionem faciendo: *Et de filiis testamenti mei* (τῆς διαθήκης μου) *gladio cadent.* Nam cum hoc nomine Dei sit per Prophetam dictum, omnino foedus hoc et intelligitur Dei esse, et illa terra foederis est Israelitica regio, cum qua Deo foedus intercessit. Syrus autem altero illo modo sumpsit: *Terrigenae, cum quibus foedere coniuncti sunt*; de Aegyptiis autem est sermo, *gladio corruent.* Pro hac altera intelligendi ratione addit etiam pondus ipse contextus. Nam hi iidem perituri cum Aegypto dicuntur eam fulsisse versu sequenti. 6. *Haec dicit Dominus Deus, et corruent fulcientes Aegyptum, et destruetur superbia imperii eius: a turre Syenes gladio cadent in ea, ait Dominus Deus exercituum.* De turre Syenes fuit iam superioris capitis versu 10.

7. *Et dissipabuntur in medio terrarum desolatarum, et urbes eius in medio civitatum desertarum erunt.* Chaldaei regiones omnes undique vastaverant, ut iam fuit etiam superioris capitis versu 12. Inde omnino futurum erat, ut urbes vastatae Aegypti essent deinde in medio aliarum vastatarum civitatum. 8. *Et scient, quia ego Dominus, cum dedero ignem in Aegypto, et attriti fuerint omnes auxiliatores eius.* 9. *In die illa egredientur nuncii a facie mea in trieribus ad conterendam Aetiopiae confidentiam, et erit pavor in eis in die Aegypti, quia absque dubio veniet.* Adventu exercitus Chaldaeorum, nuncii in trieribus, eaedem hae sunt, quae triremes, navigiaque, quae tribus remorum ordinibus essent instructa, sic vocantur, nuncii, inquam, dicuntur in Aethiopiam ituri, ut de periculo, quod Aethiopibus instaret, certiores illos facerent. A facie autem Dei dicuntur hi nuncii esse profecturi, quod in Chaldaeis, stragem Aegyptiorum dantibus, Deus esset, cuius vi, et imperio illam patrarent. Quibus vero nunciis advenientibus Athiopes amissuri sint confidentiam: pavorque ipsos occupaturus sit ille idem, qui fuit eo die, et tempore in Aegyptiis, quo Chaldaei venerunt in Aegyptum: confirmatque deinde omnino, citra dubitationem adventurum illis istiusmodi pavorem.

10. *Haec dicit Dominus Deus: cessare faciam multitudinem Aegypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis.* 11. *Ipse, et populus eius*

cum eo, fortissimi gentium, adducentur ad dispergendam terram: et evaginabunt gladios suos super Aegyptum, et implebunt terram interfectis. 12. *Et faciam alveos fluminum aridos, et tradam terram in manus pessimorum, et dissipabo terram, et plenitudinem eius manu alienorum: ego Dominus locutus sum.* Alveis, et canalibus Nilus irrigationis causa derivatur per totam Aegyptum. Exsiccatione igitur horum alveorum ipsa multitudo populi intelligitur, quae sit conficienda, et e medio sufferenda. Nam aquas pro populis solere per metaphoram poni, iam saepe exempla in Scriptura fuere.

13. *Haec dicit Dominus Deus: et disperdam simulacra, et cessare faciam idola de Memphis: et dux de terra Aegypti non erit amplius, et dabo terrorem in terra Aegypti.* Memphis nomen proprium est urbis in Aegypto. Dux de terra Aegypti desiit ultra esse, quando Aegyptus venit sub imperium Graecorum. Qua de re iam est ad superioris capitis versum 15. dictum. Eo ergo, et ad illud tempus pertinet, quoad hanc partem de eius rege impletio istius prophetiae. 14. *Et disperdam terram Phathures, et dabo ignem in Taphnis, et faciam iudicia in Alexandria.* De Phathures iam etiam superioris capitis versu 14. fuit. Taphnis est nomen civitatis. Pro Alexandria in Hebraeo est *No.* Sic enim antiquitus haec civitas vocabatur, alterumque nomen deinde tantum ab Alexandro M. accepit, postquam subiugasset sibi Aegyptum. „Nos

,, autem pro *No* Alexandriam posuimus, inquit S. ,, Hieronymus de Latina sua Versione in Commen- ,, tario, per anticipationem, quae Graece πρόληψις ,, appellatur, ut manifestior locus fieret lectoris in- ,, telligentiae. 15. *Et effundam indignationem meam super Pelusium, robur Aegypti, et interficiam multitudinem Alexandriae.* Hoc quoque recentius nomen Pelusii S. Hieronymus posuit, cuius antiquius nomen fuit *Sain*, ut etiam modo est in Hebraeo. 16. *Et dabo ignem in Aegypto: quasi parturiens dolebit Pelusium, et Alexandria erit dissipata, et in Memphis angustiae quotidianae.* 17. *Juvenes Heliopoleos, et Bubasti gladio cadent, et ipsae captivae ducentur.* Civitatum sunt ambo haec nomina. Heliopolis antiquo nomine iuxta Hebraeum vocabatur *On*. 18. *Et in Taphnis nigrescet dies, cum contrivero ibi sceptra Aegypti, et defecerit in ea superbia potentiae eius: ipsam nubes operiet: filiae autem eius in captivitatem ducentur.* Taphnis fuit civitas, in qua reges habitaverunt: Jerem. 43. v. 9. ideoque reliquarum exstitit princeps: et erga quam subiectionis nomine tamquam erga matrem, reliquae civitates, eius vocantur filiae. 19. *Et iudicia faciam in Aegypto, et scient, quia ego Dominus.*

20. *Et factum est in undecimo anno, in primo mense, in septima mensis, factum est verbum Domini ad me dicens:* 21. *Fili hominis, brachium Pharaonis regis Aegypti confregi. Et ecce, non est obvolutum, ut restitueretur ei sanitas, ut li-*

garetur pannis, et fasciaretur linteolis, ut recepto robore posset tenere gladium. 22. *Propterea haec dicit Dominus Deus: ecce ego ad Pharaonem regem Aegypti, et comminuam brachium eius forte, sed confractum, et deiiciam gladium de manu eius.* Forte brachium, sed confractum: in Hebraeo non est particula *sed*, sed copulativa *et* (וְ) Eo minus autem haec inter se cohaerent, ut quod brachium fractum est, idem tamen forte dicatur. Pro hoc vero: *confractum* est in Hebraeo: *Hannischbareth* (הַנִּשְׁבָּרֶת) cuius verbi radix est *Schabar* (שָׁבַר) quod quidem significat frangere, sed habet praeterea significationem, qua emptio, comparatio, et in specie annonae procuratio denotatur. In hac ergo altera significatione hic sumptum hoc verbum, quod est in participio temporis praeteriti passivo, denotat Pharaonis brachium eiusmodi fuisse, quo multam sibi annonam, magnasque facultates, et opes comparaverit. Qua ratione bene cohaeret hoc tale brachium cum forti. 23. *Et dispergam Aegyptum in gentibus, et ventilabo eos in terris,* 24. *et confortabo brachia regis Babylonis, daboque gladium meum in manu eius, et confringam brachia Pharaonis, et gement gemitibus interfecti coram facie eius.* 25. *Et confortabo brachia regis Babylonis, et brachia Pharaonis concident, et scient, quia ego Dominus, cum dedero gladium meum in manu regis Babylonis, et extenderit eum super terram Aegypti.* 26. *Et dispergam Aegyptum in natio-*

nes, et ventilabo eos in terras, et scient, quia ego Dominus.

CAPVT XXXI.

Pharao rex Aegypti cum altissima cedro comparatur, in qua tam volucria, quam quadrupedia nidos, et habitacula sibi construxerint: et quae suo casu omnia haec animantia decusserit, et contriverit.

1. *ET factum est in anno undecimo, tertio mense, una mensis* unus more Hebraeorum loquendi ponitur pro primo, *factum est verbum Domini ad me dicens:* 2. *Fili hominis, dic Pharaoni regi Aegypti, et populo eius: cui similis factus es in magnitudine tua?* 3. *Ecce Assur, quasi cedrus in Libano: pulcher ramis, et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, et inter condensas frondes elevatum est cacumen eius.* Videtur prima fronte hoc, quasi esset de rege Assyriae. Sed Assuris nomine compellari ipsum Pharaonem per metaphoram, ad hunc ab illo translato nomine propter similitudinem elationis, ac superbiae ex magnitudine potentiae, infra ab ipso Ezechiele declaratur, ubi in extremo versu huius capitis, et in fine huius allegoriae, sic exponitur, qui sit significatus per proceram illam cedrum: ,, Ipse, inquit, est

„Pharao, et omnis multitudo eius, dicit Domi„nus Deus." Multitudo nimirum populi, ipsa haec est, quae repraesentabatur illa volucrium, et animalium sub illa cedro degentium, et habitantium copia, quae est posita in allegoria. Etiam Isaiae capitis 52. versu 4. similiter isto Assuris nomine idem rex Aegypti Pharao designatur. Est haec ergo antonomasia, et illud genus huius figurae, dum aliquis proprio nomine alterius alicuius appellatur ad significandum, hunc, qui sic compellatur similem esse ei, cuius nomen ei tribuitur.

4. *Aquae nutrierunt illum, abyssus exaltavit illum: flumina eius manabant in circuitu radicum eius, et rivos suos emisit ad universa ligna regionis.* Abysso esse irrigatam, hoc est, ait S. Hieronymus, aquis abundantissimis, ita ut sit amplificata per hyperbolen locutio. Quae vero res, velut adiunctum allegoriae est, unde intelligatur ad tantam altitudinem crescere potuisse. 5. *Propterea elevata est altitudo eius super omnia ligna regionis, et multiplicata sunt arbusta eius, et elevati sunt rami eius prae aquis multis. 6. Cumque extendisset umbram suam; in ramis eius fecerunt nidos omnia volatilia caeli, et sub frondibus eius genuerunt omnes bestiae saltuum, et sub umbraculo illius habitabat coetus gentium plurimarum. 7. Eratque pulcherrimus in magnitudine sua, et in dilatatione arbustorum suorum. Erat enim radix illius iuxta aquas multas.* Procul dubio re-

gionis ubertas, et opes intelliguntur, unde auctoritas potentiae ipsius tantopere creverit. 8. *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei; abietes non adaequaverunt summitatem eius, et platani non fuerunt aequae frondibus illius: omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, et pulchritudini eius:* 9. *quam speciosum feci eum, et multis, condensisque frondibus, et aemulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quae erant in paradiso Dei.* Comparatur igitur arbori, quae pulchritudine sua ipsius paradisi omnes arbores superaverit.

10. *Propterea haec dicit Dominus Deus: pro eo, quod sublimatus est altitudine, et dedit summitatem suam virentem, atque condensam, atque elevatum est cor eius in altitudine sua;* 11. *tradidi eum in manu fortissimi gentium: faciens faciet ei: iuxta impietatem eius eieci eum.* 12. *Et succident eum alieni, et crudelissimi nationum, et proiicient eum super montes, et in cunctis convallibus corruent rami eius; et confringentur arbusta eius in universis rupibus terrae, et recedent de umbraculo eius omnes populi terrae, et relinquent eum.* 13. *In ruina eius habitaverunt omnia volatilia caeli, et in ramis eius fuerunt universae bestiae regionis.* Observandum est, dictum esse in ruina illius habitasse omnia volatilia caeli, deinde in ramis ipsius fuisse universas bestias regionis, quod alterum quoque intelligitur esse factum iam post illius casum, et cum

iam iaceret in terra: neque enim bestiae, et quadrupedia aliter, quam super iacentem incedere potuissent. Itaque, cum supra versu 6. aves nidificantes, dum haec arbor staret, et bestiae, sub frondibus eius recubantes, denotassent multitudinem populorum, quae erat subiecta, vel saltem in fide, et clientela regis Aegypti; hic modo catervae hostium intelliguntur eodem illo volucrium, et bestiarum nomine, quae postea super illa cedro iam deiecta, atque iacente bachatae sint. 14. *Quamobrem non elevabuntur in altitudine sua omnia ligna aquarum, nec ponent sublimitatem suam inter nemorosa, atque frondosa, nec stabunt in sublimitate sua omnia, quae irrigantur aquis: quia omnes traditi sunt in mortem ad terram ultimam, in medio filiorum hominum, ad eos, qui descendunt in lacum.* Quamobrem non elevabuntur, ait Propheta, in altitudine sua omnia ligna aquarum: per conclusionem autem hoc dicit e Pharaonis exemplo: ligna aquarum intelliguntur arbores prope aquarum rivos, ubi humor illis deesse non possit, plantatae. Has ergo dicit non esse elevandas, tametsi humor, unde in altum assurgant, eis praesto sit, hoc est, nemini potentium prospere cessuram superbiam suam et elationem, quamvis fretus opibus suis sit; quemque Deus cito ex illo suo culmine deiecturus sit: *nec sublimitatem suam ponent inter nemorosa*, hoc est, nec aliorum supra alios diu stabit excellentia, et altitudo: *quia omnes traditi sunt in mortem*, tradentur in mortem, *ad terram ulti-*

ultimam Hebraice: *ad terram inferiorem* (אֶל־אֶרֶץ תַּחְתִּית) *in medio filiorum hominum*, non dissimili sorte, quam alii quique hominum moriantur, *ad eos, qui descendunt in lacum:* tradentur eo, ubi ii sunt, qui descendunt in sepulchrum.

15. *Haec dicit Dominus Deus: in die, quando descendit ad inferos, induxi luctum, operui eum abysso, et prohibui flumina eius, et coercui aquas multas: contristatus est super eum Libanus, et omnia ligna agri concussa sunt.* De Pharaone loquitur, in praeterito autem tempore de eo, quod tum, cum diceretur, adhuc futurum erat, ut stilus solet esse Prophetarum. In die ergo, qua descendet ad inferos, inducam, dicit Deus, luctum, et operiam eum abysso, hoc est ad eam profunditatem infra terram eum detraham, unde non possit emergere, et illam abyssum, qua tegitur, ad redeundum superare: visque illa, qua in sepulchro servaretur, abyssi illius profunditate designatur: et prohibebo flumina eius, et coercebo aquas multas: hoc est, succidam vires, evertam opes illius, quibus ad hoc tempus gaudebat, et quasi arbor humore, et succo, ita his ille in sua magnitudine, ac potentia sustentabatur: contristabitur super eum Libanus, et omnes arbores totius agri, atque silvae concutientur: populusque ei subiectus, veluti minores arbores sub eo, in eodem monte Libano, atque in eodem agro, et silva, inter quas ipse unus omnium maxime emineret, intelligitur: quem casus sui regis concussu-

rus, et prostraturus sit. 16. *A sonitu ruinae eius commovi gentes, cum deducerem eum ad infernum cum his, qui descendebant in lacum, et consolata sunt in terra infima omnia ligna voluptatis egregia, atque praeclara in Libano, universa, quae irrigabantur aquis.* A sonitu ruinae eius commovebo gentes, cum eum deduxero ad infernum eadem ratione, qua alios, qui descendunt ad foveam, et ad sepulchrum; et consolationem capient sub terra, et in sepulchris omnes ceterae venustae, et eximiae arbores montis Libani, hoc est, primores, atque potentes ex illius regno aquis irrigati, qui opibus florebant, ex illius eadem secum sorte, et conditionis, ad quam redactus sit, consortio. Est similis huic locus etiam in Isaia, ubi Nabuchodonosori quoque regi Chaldaeorum ad infernum venienti reges, et principes ab eo devicti, quasi honoris causa, omnes assurgunt, et obviam prodeunt ei illudendo: „Et tu, dicentes, vulne„ratus es, sicut et nos: nostri similis effectus es." Isa. 14. v. 10. 17. *Nam et ipsi cum eo descendent in infernum ad interfectos gladio, et brachium uniuscuiusque sedebit sub umbraculo eius in medio nationum.* Sensus est, etiam istos, de quibus modo superiore versu fuit, esse descensuros ad infernum, et futuros inter eos, qui interfecti gladio venerunt ad infernum: ubi istorum uniuscuiusque brachium, hoc est, potentia sub Pharaonis umbra, tamquam sub quo, etiam dum viveret, confidisset, sessura sit in medio nationum, in mul-

titudine innumerabilium populorum, cum quibus omnibus in eadem inferorum societate illi etiam Aegyptiorum inclyti, ac potentes futuri sint. 18. *Cui assimilatus es, o inclyte, atque sublimis inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam: in medio incircumcisorum dormies cum eis, qui interfecti sunt gladio. Ipse est Pharao, et omnis multitudo eius, dicit Dominus.* Ligna voluptatis sunt frondibus, et virore amoenae arbores, quae intuentium oculos oblectant, et inter quas cedrus illa una adhuc eminentior esset, quaeque omnes ad terram ultimam (est hoc in Hebraeo ut fuit in versu 14.) et ad sepulchrum redigendae sint more incircumcisorum, et prout alii vilissimi, et abiectissimi hominum, qui gladio obtruncantur, mitti in exitium solent. Sic incircumsi vocabulum pro homine despicatissimo, et contemptissimo poni, iam supra ad capitis 28. versum 10. demonstratum est.

CAPVT XXXII.

Luctum, et lugubrem planctum iubet Deus prophetam imitari in deplorando Pharaone: cui tamen illud pro solatio proponitur, quod plures sui similes in inferno sit habiturus socios.

1. *Et factum est duodecimo anno, in mense duodecimo, in una mensis,* in prima die mensis,

factum est verbum Domini ad me dicens : 2. Fili hominis, assume lamentum super Pharaonem regem Aegypti, et dices ad eum: leoni gentium assimilatus es, et draconi, qui est in mari, et ventilabas cornu in fluminibus tuis, et conturbabas aquas pedibus tuis, et conculcabas flumina earum. Leo gentium vocatur, qui, quod faceret erga alia animantia, idem fecisset erga gentes, in quas feritatem exercuit. 3. *Propterea haec dicit Deus: expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum, et extraham te in sagena mea: 4. et proiiciam te in terram, super faciem agri abiiciam te, et habitare faciam super te omnia volatilia caeli, et saturabo de te bestias universae terrae. 5. Et dabo carnes supes montes, et implebo colles tuos sanie tua: 6. et irrigabo terram foetore sangvinis tui super montes, et valles implebuntur ex te. 7. Et operiam, cum extinctus fueris, caelum, et nigrescere faciam stellas eius: solem nube tegam, et luna non dabit lumen suum.* Quemadmodum nomine luminis, laeta, atque splendida solent denominari; ita e contrario tenebrae, et caligo pro rebus adversis significandis per metaphoram usurpantur. Dum ergo sol, luna, ceteraque sidera dicuntur Aegypto denegatura esse suum lumen; significatur, Aegyptum rebus adversis, ac tristibus undique circumseptum, atque oppressum iri. „Sol, luna, et cetera luminaria, „ait S. Hieronymus, non dabunt lumen suum, sed su„perte cuncta nigrescent, nihilque tibi laetum erit.“

8. *Omnia luminaria caeli moerere faciam super te, et dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus, cum ceciderint vulnerati tui in medio terrae, ait Dominus Deus.*

9. *Et irritabo cor populorum multorum, cum induxero contritionem tuam in gentibus super terras, quas nescis.* „Ad tuum interitum, ait S. Hieronymus, omnes populi, et cuncti reges eorum horrore nimio formidabunt conspicientes gladium meum huc, illucque volitare, et nulli parcere, et in tua ruina ruinam similem pertimescent." Corda ergo populorum multorum percellentur, cum contritio Aegypti fuerit inducta in terras, quas ipsa Aegyptus nesciret: estque abstractum nomen *contritio* positum pro contritis Aegyptiis, qui, dum perducti fuerint ad alias dissitas terras, et regiones, quae propter longinquitatem ad hoc tempus erant incognitae ipsis, per captivitatem autem procul dubio intelligitur haec illorum deductio, tum futurum, ut aliae plurimae nationes ad hunc casum Aegypti, cuius tanta opum, atque potentiae fuisset existimatio, perturbentur, metuque concutiantur. Chaldaeus ad hunc modum ita clarius versiculum hunc posuit: *Et commovebo cor populorum multorum, cum adduxero contritos belli tui inter populos, et ad provincias, quas nescisti.* 10. *Et stupescere faciam super te populos multos, et reges eorum horrore nimio formidabunt super te, cum volare coeperit gladius meus super facies eorum:* ubi Latinus Interpres coniunctivam particulam: *cum*

posuit, est in Hebraeo litera *Beth*, quae cum aliarum variarum praepositionum, tum huius: *contra, adversum* usum, et significationem praestat apud Hebraeos in oratione. Juxta ergo hunc modum pars haec istius versus vertenda est: *Et reges eorum horrore nimio formidabunt super te adversus vibrare me gladium meum* (בְּעוֹפְפִי חַרְבִּי) *super facies eorum:* est enim tantum sermo de simili casu, quem illi etiam extimescere coeperint, non quae res iam nunc etiam ipsis acciderit, dum Aegyptum viderent fractam, et abiectam: sic enim deinde sequitur: *et obstupescent repente singuli pro anima sua in die ruinae tuae.*

11. *Quia haec dicit Dominus Deus: gladius regis Babylonis veniet tibi:* 12. *in gladiis fortium deiiciam multitudinem tuam; inexpugnabiles omnes gentes hae* Hebraice *formidabiles gentium omnes ipsi* (עָרִיצֵי גוֹיִם כֻּלָּם) *et vastabunt superbiam Aegypti, et dissipabitur multitudo eius.* 13. *Et perdam omnia iumenta eius, quae erant super aquas plurimas, et non conturbabit eas pes hominis ultra, neque ungula iumentorum turbabit eas.* „Tanta, erit solitudo in Aegypto, ait S. Hieronymus, „ut nec pede hominis, nec ungula iumenti aquae „illius conturbentur; sed quieta sint omnia, et aquae „fluminum eius, quasi oleum fluant, purissimae, „ac nitentes nullo per eas transeunte, nec earum „fluenta turbante.“ Non ultra iuxta consvetudinem loquendi apud Hebraeos adhibetur ad significandam cessationem alicuius rei, quin semper respectus fiat

in omne prorsus tempus, quod futurum est. Quod vel hinc perspicuum esse potest. Neque enim Aegyptus perpetuo inculta, et inhabitata mansit. De qua est supra capitis 29. versu 13. post quadraginta annos, quos in captivitate, et dispersione exegisset, futurum, ut rursum instauretur, et reflorescat. 14. *Tunc purissimas reddam aquas eorum, et flumina eorum, quasi oleum, adducam, ait Dominus Deus:* Quasi oleum *adducam* Hebraice *ire*, fluere *faciam* (אוֹלִיךְ) 15. *cum dedero terram Aegypti desolatam. Deseretur autem terra a plenitudine sua, quando percussero omnes habitatores eius; et scient, quia ego Dominus.* 16. *Planctus est, et plangent eum: filiae gentium plangent eum: super Aegyptum, et super multitudinem eius plangent eum, ait Dominus Deus.* Hebraice: *Planctus ipsa, et deplorate eam: filiae gentium deplorabunt eam: super Aegyptum, et super omnem turbam eius, deflebunt eam: ait Dominus Deus.* (קִינָה הִיא וְקוֹנְנוּהָ בְּנוֹת הַגּוֹיִם תְּקוֹנֵנָּה אוֹתָהּ עַל־מִצְרַיִם וְעַל־כָּל־הֲמוֹנָהּ תְּקוֹנֵנָּה אוֹתָהּ נְאֻם אֲדֹנָי יְהוִֹה) Filiae gentium eaedem intelliguntur, quae civitates gentium, ut iam saepe ostensum est, filiarum nomine compellari urbes.

17. *Et factum est in duodecimo anno, in quinta decima mensis, factus est sermo Domini ad me dicens:* 18. *Fili hominis cane lugubre super multitudinem Aegypti, et detrahe eam ipsam, et filias gentium robustarum ad terram ultimam cum his, qui descendunt in lacum.* 19. *Quo pul-*

chrior es, descende, et dormi cum incircumcisis. Quo pulchrior es Aegypte: ad hanc enim directus est sermo. Filiae gentium robustarum, ut paulo ante dictum est, sunt civitates, et urbes. Terra ultima intelligitur sepulchrum, ut ad superioris capitis versum 18. demonstratum est. „Ad terram ultimam „id est, ait S. Hieronymus, in profundum inferni." Inferorum autem nomine sepulchrum solet etiam in Scriptura appellari. Genes. 37. v 35. Isa. 28. v. 10. Sed sicut erga iustos, vita, et felicitas temporalis, quae illis in Scriptura saepe promittebatur in veteri Testamento; umbram gerebat vitae aeternae, et illam typice designabat: ita omnino e contrario mors, et sepulchrum erga impios denotabat illorum exitium sempiternum. Item qua in significatione hic incircumcisi ponantur, clarum iam debet esse ex eo, quod dictum est ad superioris capitis versum 18. 20. *In medio interfectorum gladio cadent: gladius datus est, attraxerunt eam, et omnes populos eius.* In medio interfectorum gladio cadent: multitudo videlicet Aegypti, ad quam fit sermo, et quod nomen antecessit versu 18. Gladius datus est: Hebraice: *Gladio data est* (חֶרֶב נִתָּנָה) Gladio autem data est Aegyptus. *Attraxerunt eam, et omnes populos eius:* videlicet ad gladium. 21. *Loquentur ei potentissimi robustorum de medio inferni, qui cum auxiliatoribus eius descenderunt, et dormierunt incircumcisi interfecti gladio.* Loquentur ei, Pharaoni videlicet, in infernum descendenti, potentissimi robustorum, hoc est, quique po-

tentissimi, et qui dum viverent, viribus, atque opibus valerent plurimum, quosque, ut sequetur, postea enumerat, quique iam ante Pharaonem collocati erant in inferno, quo cum auxiliatoribus suis, id est cum multitudine sui populi, et copiis, quas habebant in suis exercitibus, descenderunt, et e cuius hi nunc medio Pharaonem, etiam adventantem cum suis, alloquerentur, et ad se invitarent. Incircumcisi hi autem dormierunt, hoc est, qui ad sepulchrum redacti sunt non minus, quam alii contemptissimi homines, atque gladio ceciderint, quo ipsius mortis etiam exprimeretur maior acerbitas.

22. *Ibi Assur, et omnis multitudo eius: in circuitu illius sepulchra eius; omnes interfecti, et qui ceciderunt gladio.* Ibi Assur dormit, et omnis multitudo eius: in circuitu et per gyrum illius sepulchri sunt sepulchra omnis ipsius multitudinis: omnesque hi sunt interfecti, et caesi gladio. Assur vero hic nominatim potest intelligi Sennacherib, cuius exercitus totus occisus est ab Angelo, ipsum vero peremerunt proprii filii: Isaiae 37. v. 36, 38.
23. *Quorum data sunt sepulchra in novissimis laci: et facta est multitudo eius per gyrum sepulchri eius: universi interfecti, cadentesque gladio, qui dederunt quondam formidinem in terra viventium.* 24. *Ibi Aelam, et omnis multitudo eius per gyrum sepulchri sui: omnes hi interfecti, ruentesque gladio, qui descenderunt incircumcisi ad terram ultimam: qui posuerunt terrorem suum in terra viventium, et portaverunt ignominiam suam*

cum his, qui descendunt in lacum. Aelam, id est Persae, ait S. Hieronymus, et quod a me iam ad Genesis cap. 14. v. 1. demonstratum est. Hique portasse ignominiam suam dicuntur, dum victi ignominiose, et caesi gladio, atque trucidati descenderunt ad sepulchrum. 25. *In medio interfectorum posuerunt cubile eius, in universis populis eius: in circuitu eius sepulchrum illius.* In medio aliorum interfectorum positum est cubile ipsius etiam Aelam, in medio universi sui populi: illiusque populus fuit sepultus circa sepulchrum Aelam. *Omnes hi incircumcisi, interfectique gladio: dederunt enim terrorem suum in terra viventium, et portaverunt ignominiam suam cum his, qui descendunt in lacum: in medio interfectorum positi sunt.*

26. *Ibi Mosoch, et Thubal, et omnis multitudo eius: in circuitu eius sepulchra illius:* in circuitu Mosoch, et Thubal sunt sepulchra multitudinis, atque populi istius utriusque. Qui per Mosoch, et Thubal intelligantur, est ad capitis 27. versum 13. dictum. *Omnes hi incircumcisi, interfectique, et cadentes gladio, quia dederunt formidinem suam in terra viventium.* 27. *Et non dormient cum fortibus, cadentibusque, et incircumcisis, qui descenderunt ad infernum cum armis suis, et posuerunt gladios suos sub capitibus suis, et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum, quia terror fortium facti sunt in terra viventium.* Hebraice: *Et non dormient cum fortibus, qui ceciderunt de incircumcisis* (נֹפְלִים מֵעֲרֵלִים) hi autem,

de quibus modo proxime sermo antecessit, non more heroum sepelientur, qui de nationibus incircumcisis mortui, honorifice tamen conditi sunt ad sepulchra: quique cum armis suis descenderunt ad sepulchrum, quorumque gladios supposuerunt eorum capitibus in signum bellicositatis, et triumphorum, quos retulerunt de suis hostibus. *Et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum:* li autem intelliguntur, quibus honor exhibitus non est in sepultura, et quorum ossa quoque iacentia in sepulchro iniquitatem luerunt, quam in vita perpetrarunt sepulturae honore carendo: *quia terror fortium facti sunt in terra viventium:* quamvis terror fortium facti sint in terra viventium. Est enim in Hebraeo, ubi Latinus posuit: *quia*, ista vocula *ki* (כִּי) quae non tantum illam causalem, sed hanc etiam concessivam significationem, ut ego posui, apud Hebraeos habet. 28. *Et tu ergo in medio incircumcisorum contereris, et dormies cum interfectis gladio.* Est apostrophe ad Pharaonem.

29. *Ibi Idumaea, et reges eius, et omnes duces eius, qui dati sunt cum exercitu suo cum interfectis gladio, et qui cum incircumcisis dormierunt, et cum his, qui descendunt in lacum:* 30. *Ibi principes Aquilonis omnes, et universi venatores, qui deducti sunt cum interfectis parentes, et in sua fortitudine confusi: qui dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio, et portaverunt confusionem suam cum his, qui descendunt in lacum.* Ibi principes Aquilonis omnes, et universi

venatores, hoc alterum est in Hebraeo: *et omnis Sidonius* (וְכָה־צִדֹנִי) pro quo venatores posuit in versione S. Hieronymus, notando violentos, et tyrannicos fuisse. 31. *Vidit eos Pharao, et consolatus est super universa multitudine sua, quae interfecta est gladio: Pharao, et omnis exercitus eius, ait Dominus Deus.* Pharao solatium cepit, ut levius ferret suam, suique populi cladem, itemque eius exercitus se se isto solatio recreaverit, videndo sortem, quae ipsis accidisset, evenisse aliis etiam fortissimis regibus, atque nationibus. 32. *Quia dedi terrorem meum in terra viventium, et dormivit in medio incircumcisorum cum interfectis gladio, Pharao, et omnis multitudo eius, ait Dominus Deus.* Quia dedi terrorem meum in terra viventium, pro causa est positum, cur Pharao, illiusque multitudo populi non dissimiliter, atque alii reges, atque populi excisi, atque e medio sublati sint ad suum videlicet terrorem confirmandum in mundo, ut alii deterrerentur ab impietate, ob quam nationes illae supplicio affectae sunt.

CAPVT XXXIII.

In desperationem versis Judaeis de sua salute propter conscientiam criminum iubet Deus Prophetam illis annunciare paratum se ad dandam veniam, dummodo ipsi agerent poenitentiam. Judaeis extra captivitatem relictis in Judaea, opinantibusque futuram per eos populi, qui ductus est in captivitatem, instaurationem, clades, et devastatio propter flagitia denunciatur.



1. ET *factum est verbum Domini ad me dicens:*
2. *Fili hominis loquere ad filios populi tui, et dices ad eos: terra, cum induxero super eam gladium, et tulerit populus terrae virum unum de novissimis suis, et constituerit eum super se speculatorem:* Hoc: *de novissimis suis* Hebraice est: *Miketzehem:* quod ex praepositione, et nomine *katzeh* compositum vocabulum est. Hoc vero nomen *katzeh* (קָצֶה) Hebraeis non tantummodo finem, et extremum alicuius rei denotat, sed id quoque, quod finibus illis continetur, et intra illos terminos est. Quare etiam Chaldaeus hoc: *Virum unum de novissimis suis* sic modo vertit: *Virum unum de medio sui*, Syrus: *Virum aliquem ex eis*, quin is recte, qui speculator constituendus diceretur, deberet esse ex postremis, et ultimis:
3. *et ille viderit gladium venientem super terram, et cecinerit buccina, et annunciaverit populo;*
4. *audiens autem, quisquis ille est, sonitum buccinae, et non*

se observaverit, veneritque gladius, et tulerit eum; sangvis ipsius super caput eius erit. Chaldaeus: *Reatus occisionis eius in caput ipsius erit.* Hoc est, causa, cur in gladium inciderit, ipse sibi erit, et quod sangvis illius effusus sit, non in speculatorem, qui monuit; sed in ipsum, qui monitus non sibi cavit, culpa refundetur. 5. *Sonitum buccinae audivit, et non se observavit, sangvis eius in ipso erit: si autem se custodierit, animam suam salvabit.* 6. *Quod si speculator viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina, et populus se non custodierit, veneritque gladius, et tulerit de eis animam; ille quidem in iniquitate sua captus est; sangvinem autem eius de manu speculatoris requiram.* Quod ex periculo liberatus non sit, culpa est speculatoris; quod ab hoste occisus sit, Deo immittente hostilem gladium in poenam populi, ut peccata illius puniat; suis ipse peccatis tribuere debet, quod affectus gladio sit. 7. *Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Audiens ergo ex ore meo sermonem, annunciabis eis ex me.* 8. *Si me dicente ad impium: impie morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua; ipse impius in iniquitate sua:* (praepositio *in* est hic posita loco: *propter*) *morietur: sangvinem autem eius de manu tua requiram.* 9. *Si autem annunciante te ad impium, ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua; ipse in iniquitate sua morietur: porro tu animam tuam liberasti.*

10. *Tu ergo fili hominis, dic ad domum Israel: sic locuti estis, dicentes: iniquitates nostrae, et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo vivere poterimus?* „Ad „eos loquitur, ait S. Hieronymus, qui magnitu„dine peccatorum, imo impietatum suarum despe„rant salutem.“ 11. *Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis: et quare moriemini domus Israel?* 12. *Tu itaque, fili hominis, dic ad filios populi tui: Justitia iusti non liberabit eum, in quacumque die peccaverit: et impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua: et iustus non poterit vivere in iustitia sua, in quacumque die peccaverit.* 13. *Etiamsi dixero iusto, quod vita vivat, et confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem; omnes iustitiae eius oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur.* 14. *Si autem dixero impio: morte morieris, et egerit poenitentiam a peccato suo, feceritque iudicium, et iustitiam,* 15. *et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitae ambulaverit, nec fecerit quidquam iniustum; vita vivet, et non morietur.* 16. *Omnia peccata eius, quae peccavit, non imputabuntur ei: iudicium, et iustitiam fecit, vita vivet.* 17. *Et dixerunt filii populi tui: non est aequi ponderis via Domini; et ipsorum via iniusta est.* Particula: *et*

hic in ultima parte versiculi contrapositionis vim habet, et quasi ita esset: quin potius ipsorum via iniusta est: quemadmodum Arabs etiam vertit: *Imo huiusmodi eorum via non est recta.* Istaque ratione iam etiam supra fuit cap. 18. v. 25. „Numquid via mea non est aequa, et non magis viae „vestrae pravae sunt?" 18. *Cum enim recesserit iustus a iustitia sua, feceritque iniquitates; morietur in eis.* 19. *Et cum recesserit impius ab impietate sua, feceritque iudicium, et iustitiam, vivet in eis.* 20. *Et dicitis: non est recta via Domini. Unumquemque iuxta vias suas iudicabo de vobis, domus Israel.*

21. *Et factum est in duodecimo anno, in decimo mense, in quinta mensis transmigrationis nostrae venit ad me, qui fugerat de Jerusalem dicens: vastata est civitas.* 22. *Manus autem Domini facta fuerat ad me vespere, antequam veniret, qui fugerat, aperuitque os meum, donec veniret ad me mane, et aperto ore meo non silui amplius.* „Nec siluit amplius, videns prophetiam suam, „verba sunt S. Hieronymi, opere completam, et „nequaquam dubitare populum, qui erat in Babylone, vel eos, qui capti erant, de vaticinio prophetali. Tunc enim aperitur os Prophetae, quando, quod prius nunciaverat, opere monstrarit „effectum, et tota libertate proclamat, qui nequaquam futura, sed vel praesentia, vel transacta „demonstrat."

23. Et

23. *Et factum est verbum Domini ad me dicens: 24. Fili hominis, qui habitant in ruinosis his super humum Israel, loquentes aiunt: unus erat Abraham, et haereditate possedit terram: nos autem multi sumus, nobis data est terra in possessionem.* „Capta Jerusalem, temploque subverso, „ait S. Hieronymus, pauperes terrae, de quibus scri„bit Jeremias (cap. 39. v. 10.) soli relicti fuerant „in Jerusalem, qui vineas, et agros colerent, et „in ruinis incensae urbis habitarent. Cumque debe„rent agere poenitentiam super his, propter quae „captivitas venerat; seipsos cassa spe decipientes „loquebantur: Unus fuit pater noster Abraham, et „tamen hanc terram haereditate possedit: non quod „ipse possederit, sed quod semen eius terram re„promissionis acceperit. Si igitur ille unus in tan„tos multiplicatus est populos; nos multo plures, „qui relicti sumus in terra Judaea, et habitamus „in urbibus desertis, ac ruinosis, utique multo „amplius multiplicabimur, ut possideamus plures, „quod unus ille possedit.“ Nempe hoc illorum dictum eo spectabat, quod quamvis ipsi pauci essent; tamen iterum possent instaurare populi sui multitudinem ex se. Illi vero eam non instaurarunt. Nam praefracte abeuntes in Aegyptum adversus mandatum Dei, ibi fame, et bello consumpti sunt. Jerem. 44. v. 12. 25. *Idcirco dices ad eos: haec dicit Dominus Deus: qui in sangvine comeditis, et oculos vestros levatis ad immunditias vestras, et sangvinem funditis, numquid terram haeredita-*

te possidebitis? In sangvine, positum est loco huius: cum sangvine qui comeditis. Fuit vero Judaeis interdictum sangvinem animalis adhibere ad cibum. Levit. 17. v. 10. Oculos levare ad immunditias. „Hoc est ad idola vestra" ait S. Hieronymus: quemadmodum supra etiam cap. 14. v. 3. sic vocabulum hoc sumptum est. 26. *Stetistis in gladiis vestris:* „Parati, ait S. Hieronymus, ad occidendum, et imitantes Esau, qui stetit, et vixit in „gladio suo:" *fecistis abominationes, et unusquisque uxorem proximi sui polluit: et terram haereditate possidebitis?*

27. *Haec dices ad eos: sic dicit Dominus Deus: vivo ego, quia qui in ruinosis habitant, gladio cadent; et qui in agro est, bestiis tradetur ad devorandum; qui autem in praesidiis, et speluncis sunt, peste morientur.* 28. *Et dabo terram in solitudinem, et in desertum, et deficiet superba fortitudo eius, et desolabuntur montes Israel, eo quod nullus sit, qui per eos transeat;* ut nullus sit, qui per eos transeat. Deficiet superba fortitudo eius: „Quae quondam fuerat fortitu„do" ait S. Hieronymus. Jam enim tunc Jerusalem, et Judaea tota in ruinis iacebat. 29. *Et scient, quia ego Dominus, cum dedero terram eorum desolatam, et desertam propter universas abominationes suas, quas operati sunt.* 30. *Et tu fili hominis, filii populi tui, qui loquuntur de te iuxta muros, et in ostiis domorum, et dicunt unus ad alterum, vir ad proximum suum loquentes: ve-*

nite, et audiamus, quis sit sermo egrediens a Domino: 31. *et veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus, et sedent coram te populus meus:* Quasi si ingrediatur populus: hoc est, qui confertim, et turmatim ad eum confluant, atque illa frequentia, quae esse solet, ubi coetus, et conventus populi de industria instituitur, quique, dum ad Prophetam veniunt, ante se ferant Dei voluntatem ex Propheta cognoscendi, cuius populus sint, et cui parati sint morigeros se se exhibere, sed tantummodo ad speciem: „Sic veniunt, ait S. „Hieronymus, quasi populus, qui ingrediatur Ec„clesiam Dei, et sedent coram te populus meus, „qui meum esse se dicit, et nolunt facere, quod „audierunt:“ *et audiunt sermones tuos, et non faciunt eos: quia in canticum oris sui vertunt illos, et avaritiam suam sequitur cor eorum.* 32. *Et es eis quasi carmen musicum, quod svavi, dulcique sono canitur, et audiunt verba tua, et non faciunt ea.* 33. *Et cum venerit, quod praedictum est, ecce enim venit, tunc scient, quod prophetes fuerit inter eos.*

CAPVT XXXIV.

Populi Israelitici pristinis pastoribus reprobatis promittit Deus se se gregi suo servum suum David Pastorem unum, atque Principem esse daturum, qui grex Deum deinde colat.

1. *ET factum est verbum Domini ad me dicens:*
2. *Fili hominis, propheta de pastoribus Israel,*
qui pascebant semetipsos: haec dicit Dominus De-
us: Vae pastoribus Israel, qui pascebant semet-
ipsos: nonne greges a pastoribus pascuntur? Hoc
est, nonne greges a pastoribus deberent pasci?
et cui rei tamen contrarium illi facerent pastores,
quos modo coarguit. 3. *Lac comedebatis, et la-*
nis operiebamini, et quod crassum erat, occide-
batis: gregem autem meum non pascebatis. 4.
Quod infirmum fuit, non consolidastis; et quod
aegrotum, non sanastis; quod confractum est,
non alligastis: et quod abiectum est, non redu-
xistis; et quod perierat, non quaesistis: sed cum
austeritate imperabatis eis, et cum potentia. 5.
Et dispersae sunt oves meae, eo quod non esset
pastor, et factae sunt in devorationem omnium
bestiarum agri, et dispersae sunt. 6. *Errave-*
runt greges mei in cunctis montibus, et in uni-
verso colle excelso, et super omnem faciem ter-
rae dispersi sunt greges mei, et non erat, qui
requireret, non erat, inquam, qui requireret. 7.
Propterea pastores, audite verbum Domini. 8.

Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, et oves meae in devorationem omnium bestiarum agri, eo, quod non esset pastor, neque enim quaesierunt pastores mei gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos et greges meos non pascebant; 9. *propterea pastores audite verbum Domini.* 10. *Haec dicit Dominus Deus: ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos: et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit ultra eis in escam.* Ecce ego ipse super pastores: ellipsis est verbi: clarius hoc potest verti sic: *Ecce ego ipse adversus pastores ero.* (הִנְנִי אֶל־הָרֹעִים) 11. *Quia haec dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas.* 12. *Sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum; sic visitabo oves meas, et liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersae fuerant in die nubis, et caliginis.* 13. *Et educam eas de populis, et congregabo eas de terris, et inducam eas in terram suam, et pascam eas in montibus Israel, in rivis, et in cunctis sedibus terrae.* Hebraice: *in cunctis habitationibus terrae* (בְּכֹל מוֹשְׁבֵי הָאָרֶץ) Syrus vertit: *In omnibus locis habitabilibus terrae.* Intelliguntur ergo terrae, quae gregi, et ovibus aptae essent, et ubi bene pasci possent. 14. *In pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israel*

erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pingvibus pascentur super montes Israel. 15. *Ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus.* 16. *Quod perierat requiram; et quod abiectum erat, reducam; et quod confractum fuerat, alligabo; et quod infirmum fuerat, consolidabo; et quod pingve, et forte, custodiam, et pascam illas in iudicio.* Hoc est, iuste, et non ea cum iniquitate erga oves, qua anteriores pastores. 17. *Vos autem greges mei, haec dicit Dominus Deus: Ecce ego iudico inter pecus, et pecus, arietum, et hircorum.* Hebraice: *Ecce ego iudico inter pecus, et pecus, inter arietes, et inter hircos:* (בֵּין־שֶׂה לָשֶׂה לָאֵילִים לָעַתּוּדִים) ita, ut quod prius generice esset positum: *inter pecus, et pecus,* idem hoc deinde magis declaretur per illud: *inter arietes, et inter hircos.* Arietes autem sunt mares ovium. Quae vero in bonam partem, sicut hirci e contrario in malam partem sumi etiam alibi in Scriptura solent. Nam etiam in iudicio boni, ad dextram partem collocandi, ovium; mali, qui in sinistra parte constituentur, haedorum nomine compellantur. Matth. 25. v. 33. Cum prius sermo fuisset directus contra pastores malos, nunc is vertitur erga ipsum gregem, et in hoc etiam culpantur, et accusantur de nequitia quaedam pecudes. 18. *Nonne satis vobis erat pascua bona depasci? insuper et reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris: et cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus*

vestris turbabatis. 19. *Et oves meae his, quae conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur, et quae pedes vestri turbaverant, haec bibebant.*

20. *Propterea haec dicit Dominus Deus ad vos: Ecce ego ipse iudico inter pecus pingve, et macilentum.* 21. *Pro eo, quod lateribus, et humeris impingebatis, et cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras:* hoc vero cum erga infirmiores, et debiliores intelligantur eae pecudes fecisse, quae erant robustae, perspicuum fit, pingvem pecudem superiore versu pro violenta erga alias esse positam: 22. *Salvabo gregem meum, et non erit ultra in rapinam, et iudicabo inter pecus, et pecus.* 23. *Et suscitabo super eas Pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David. Ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem.* 24. *Ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum: ego Dominus locutus sum.* Quod haec tota prophetia spectet ad novum Testamentum, et ad illum Pastorem, qui de se dixit: „Ego sum Pastor bonus, et cognosco oves „meas, et cognoscunt me meae: Sicut novit me Pa„ter, et ego agnosco Patrem: et animam meam pono „pro ovibus meis: et alias oves habeo, quae non „sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, „et vocem meam audient, et fiet unum ovile, „et unus Pastor.“ Joan. 10. v. 14. cum obscurum non sit per seipsum; tum planissimum etiam fit ex Jeremiae cap. 23. v. 2. „Haec dicit Domi-

„nus Deus Israel ad postores, qui pascunt populum meum: vos dispersistis gregem meum, et eiecistis eos, et non visitastis eos: Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus: et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos illuc, et convertam eos ad rura sua, et crescent, et multiplicabuntur: et suscitabo super eos pastores, et pascent eos: non formidabunt ultra, et non pavebunt, et nullus quaeretur ex numero, dicit Dominus. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum, et regnabit Rex, et sapiens erit, et faciet iudicium, et iustitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter, et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.“ Illa tantum differentia inter hunc Ezechielis, et illum Jeremiae locum est, quod hic Pastor unus, ibi pastores numero plurali dicantur suscitandi. Nimirum, cum Pastor unus sit Christus, ibi tamen Pastores dicuntur, quatenus Christus, qui solus interne pascit praebendo gratiam, externo nihilominus ministerio etiam aliorum utitur ad pascendum. Certe enim Pastor ille fuit, cui ipse Christus dixit: „Pasce oves meas“ Joan. 21. v. 17. et ad quos Petrus scripsit: „Pascite, qui in vobis est, gregem Dei“ 1. Petr. 5. v. 2. Qui vero iidem sic de se profitentur: „Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.“ 1. Cor. 4. v. 1. „Pro

„Christo legatione fungimur, tamquam Deo ex„hortante per nos“ 2. Cor. 5. v. 20. Comparansque Paulus hoc, quod ipse praestaret in isto suo munere, cum eo, quod efficeretur a Deo. „Ego, „inquit, plantavi, Apollo rigavit; sed Deus in„crementum dedit. Itaque, neque, qui plantat, „est aliquid, neque, qui rigat, sed qui incre„mentum dat, Deus.“ 1. Cor. 3. v. 6. Et idcirco unus hic in Ezechiele Christus dicitur Pastor. Ille enim est, qui laborantes, et oneratos, reficit; Matth. 11. v. 28. ille dat aquam, quam qui biberit, non sitiet in aeternum, sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Joan. 4. v. 13. atque ideo quamvis Apostolorum munus esset docere, ad quos dictum est a Christo: „Euntes do„cete omnes gentes“ Matth. 28. v. 20. et Marci 16. v. 15. „Euntes in mundum universum prae„dicate Evangelium omni creaturae“ tamen Magister vester unus est Christus. Matth. 23. v. 10, et etiamsi Paulus praedicet, ille tamen est, qui cor aperiat ad intendendum his, quae a Paulo dicerentur. Act. 16. v. 14. Quoniam ergo in comparatione, hoc, quod ab Apostolis praestaretur forinsecus, cum eo, quod in docendo efficeretur ab ipso Christo, nihil esset; siquidem, neque qui plantet, neque qui riget, sit aliquid, sed qui incrementum dat, Deus; nec Apostoli hac ratione fuerunt pastores, sed Pastor unus est Christus. Atque hoc etiam illud est, quod per Jeremiam de novo Foedere praedictum est: „Et non docebit ultra vir proximum

„suum, et vir fratrem suum“ Jerem. 31. v. 34. et ab Isaia cap. 54. v. 13. „Ponam universos filios „tuos doctos a Domino.“ Quamvis ergo Apostolos miserit in universum mundum ad docendum; ipse tamen Christus fuit, qui dispersas oves, et dissipatas collegit, et ad unum ovile coegit. Ipse enim se hoc facturum dixit: „Et alias oves habeo, in„quiens, quae non sunt ex hoc ovili, et illas opor„tes me adducere“ Joan. 10. v. 16. ille perditas, et errantes, quaesivit, ille infirmas curavit, et ipse est, qui pingves custodit, sanasque in grege conservat. „Per me enim, dicit ipse, si quis introie„rit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et „pascua inveniet.“ Joan. 10. v. 9.

Ex hoc vero iam illud etiam perspici potest, quomodo iam nunc illud teneat, quod versu 10. est, Deum gregem suum requisiturum de manu pastorum, qui non gregem, sed seipsos pascunt, facturumque, ut hi cessent ultra pascere gregem, ne grex illis diutius sit in rapinam, atque escam. Nam, nisi eiusmodi pastores etiam, posteaquam Christus ovile suum instituit, remansissent circa idem hoc ovile, et multo plures illis, qui spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque, ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo (verba sunt Petri 1. Epist. 5. v. 2.) pastorum munus exercerent; non Paulus sollicitudinem ostendisset, ut inter dispensator fidelis es quis inveniatur: 1. Cor. 4. v. 2. non iam de suis etiam temporibus questus fuisset de pa-

storum, et doctorum avaritia, omnesque quaerere quae sua sunt, non quae Jesu Christi. Phil. 1. v. 21. Hoc enim, non futuros iam eiusmodi pastores, quales illi anteriores fuerunt, comparate ad hunc unum Pastorem, qui Christus est, dictum est, qui nos docet per gratiam suam interne, non erga hos, quorum esset pure externum in docendo ministerium. Nam qualescumque hi demum sint, Christi grex manet salvus, et integer. „Oves „enim meae, ait Pastor ille unus Christus, vocem „meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequun„tur me: et ego vitam aeternam do eis, et non „peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam „de manu mea.“ Joan. 10. v. 27. Est ergo hoc de his ovibus intelligendum, quae per Christi gratiam praeordinatae sunt ad vitam aeternam: non de illis, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Luc. 8. v. 13. In hos enim illud quadrat Apostoli: „Ex nobis prodierunt, sed „non erant ex nobis: nam, si fuissent ex nobis, per„mansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint, „quoniam non sunt omnes ex nobis.“ 1. Joan. 2. v. 19.

Quaestio hic adhuc illa esse potest, cur Deus hunc Pastorem unum Christum servum suum David appellaverit, nam illud non censeo esse obscurum per pastores illos priores, antequam Christus Pastor advenisset, curamque ovium suscepisset, intelligi sacerdotes, ex quorum ore requireretur lex, Malach. 2. v. 7. et scribas, atque Pharisaeos, siquidem hi sederent super cathedram Moysis,

Matth. 23. v. 2. itemque ex pecudibus gregis, istos, qui etiam hirci vocati sunt, quique escam, atque potum ceteris contaminarent, atque corrumperent, esse, qui ex ipso populo alios vel pravis suis sermonibus inficerent, vel exemplis depravarent; illud autem, quod in quaestione est, S. Augustinus lib. 18. de Civ. Dei cap. 34. solvit, atque explicat: dicitque hic ab Ezechiele per Davidem more prophetico Christum significari. „Quia carnem de „David semine assumpsit: propter quam formam „servi, qua factus est homo, etiam servus Dei „dicitur idem Dei Filius.“ David dum rex constitueretur, factus est pastor sui populi. Sic enim est Psal. 77. v. 71. „Elegit David servum suum, „et sustulit eum de gregibus ovium, de post foe„tantes accepit eum, pascere Jacob servum suum, „et Israel haereditatem suam.“ David autem fuit typus Christi. Ideo illius nomen tributum est Christo: quemadmodum ipsam petram quoque, quae figuravit Christum, Paulus dicit Christum fuisse 1. Cor. 10. v. 4. Eademque ratione Christus, ob typum, quem David gessit erga Christum, in regia etiam sua dignitate princeps, et rex David, tam hic, quam rursus infra capitis 37. v. 24. appellatur.

25. *Et faciam cum eis pactum pacis, et cessare faciam bestias pessimas de terra: et qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus.* 26. *Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem, et deducam imbrem in tempore suo: pluviae benedictionis erunt.* 27. *Et dabit lignum agri*

fructum suum, et terra dabit germen suum, et erunt in terra sua absque timore, et scient, quia ego Dominus, cum contrivero catenas iugi eorum, et eruero eos de manu imperantium sibi. 28. *Et non erunt ultra in rapinam gentibus, neque bestiae terrae devorabunt eos, sed habitabunt confidenter absque ullo terrore.* Hoc de ubertate regionis, de pluviis ad foecundandam terram, de securitate habitationis adversus malas bestias, vel hostes, deque summa rerum omnium abundantia, et felicitate, in qua constituendi hi sint, qui sub Christo principe, et pastore essent, iam inter promissa Dei erga novum Testamentum Isaiae 11. v. 9. et cap. 30. v. 23. fuit, itemque de summa, perpetuaque pace, eiusdem Isaiae cap. 2. v. 4. Ibique ad hunc, quem modo extremo loco memoravi, Isaiae locum demonstratum a me est, istas promissiones in spe tantum adhuc modo a nobis teneri, implendasque esse secundum omnem suam absolutionem, ac perfectionem in vita altera. „Per fidem „enim ambulamus, et non per speciem.“ 2. Cor. 5. v. 4. „Est autem fides sperandarum substantia „rerum, argumentum non apparentium.“ Justificati quidem sumus ex fide, atque ex hac iustificatione pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua fide stamus, sed tantummodo gloriamur adhuc in spe gloriae filiorum Dei. Rom. 5. v. 1. Hoc est ergo pactum pacis, in qua pace per Christum reconci-

liati sumus cum Deo: atque vi istius propulsantur a nobis malae bestiae, ne possint nocere. Quaenam vero hae intelliguntur malae bestiae? Intelligi istud potest ex S. Petro: „Quia adversarius „vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit, „quaerens, quem devoret.“ 1. Petr. 5. v. 8. Sed quem satanam Deus pacis velociter conteret sub pedibus nostris. Rom. 16. v. 20. In versu 26. *Ponam eos in circuitu collis mei benedictionem* nomen abstractum *benedictio* est pro concreto, et pro *benedictis* positum, et quasi ita esset: Ponam, et faciam eos in colle, et in sancto monte meo constitutos, undique benedictos, et benedictione circumfluentes. Imber, ac pluviae denotant ubertatem gratiae ad bonorum operum fructus producendos. Jugum, quod dicitur confringendum, et servitus, quae sit depellenda, significat iugum, et servitutem peccati.

29. *Et suscitabo eis germen nominatum, et non erunt ultra imminuti fame in terra, neque portabunt ultra opprobrium gentium.* Suscitabo eis germen nominatum Hebraice: *in nomen* (לְשֵׁם) significatur ergo germen celebre, gloriosum. Ipsi vero in tale germen dicuntur excitandi, et elevandi a Deo. Sic enim est etiam Isaiae 4. v. 2. „In „die illa erit germen Domini in magnificentia, et „gloria, et fructus terrae sublimis, et exultatio „his, qui salvati fuerint de Israel.“ Quod non sint amplius imminuendi fame, ad eamdem abundantiam bonorum pertinet, quae sunt per Christum

collata in illos. Opprobrium non esse subituros gentium, quod non amplius sint dandi in captivitatem: fitque respectus ad illud opprobrium captivitatis, quod Judaei subierunt ducti in Babyloniam, et cuius captivitatis depulsio hanc ipsam typice significabat, quae per Christum praestita est libertas.
30. *Et scient, quia ego Dominus Deus eorum cum eis, et ipsi populus meus domus Israel, ait Dominus Deus.* 31. *Vos autem greges mei, greges pascuae meae, homines estis: et ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus.*

CAPVT XXXV.

In Idumaeos devastationis, et desolationis regionis ipsorum poena pronunciatur, quod Judaeos presserint, clademque adiuverint, qua affecti sunt ab Chaldaeis.

1. *ET factus est sermo Domini ad me dicens:*
2. *Fili hominis pone faciem tuam adversum montem Seir, et prophetabis de eo, et dices illi:* 3.
Haec dicit Dominus Deus: ecce ego ad te, mons Seir, et extendam manum meam super te, et dabo te desolatum, atque desertum. 4. *Urbes tuas demoliar, et tu desertus eris, et scies, quia ego Dominus.* Mons Seir positus est pro Idumaea, in quo haec sita fuit. Deut. 2. v. 4. 5. *Eo, quod fueris inimicus sempiternus, et concluseris filios Israel in manus gladii in tempore afflictionis eo-*

rum, in tempore iniquitatis extremae. Iniquitas metonymice pro poena iniquitatis, et ea calamitate gravissima, quam filii Israel ab Chaldaeis perpessi sunt, dum caperetur, vastareturque Jerusalem, est posita. Quare Chaldaeus istud sic vertit: *In tempore retributionis peccatorum eorum.* Quid tum Idumaei Judaeis fecerint, et qualem acerbitatem in eos exercuerint, eos, qui fuga etiam evadere cladem potuissent, comprehendendo, et iugulando, est declaratum iam supra ad capitis 25. v. 12.

6. *Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam sangvini tradam te, et sangvis te persequetur, et cum sangvinem oderis, sangvis persequetur te.* Erant Idumaei, genus trahentes ab Esau, fratre Jacob, a quo Israelitae descenderunt, Judaeorum cognati, et consangvinei. Hi ergo sangvinem suum sunt persecuti, dum Judaeos fuissent insectati. Ideo dicitur, siquidem sangvinem suum odissent, futurum, ut vicissim sangvis, sive gladius, quo sangvis eorum fundatur, eos persequatur. 5. *Et dabo montem Seir desolatum, atque desertum, et auferam de eo euntem, et redeuntem.* 8. *Et implebo montes eius occisorum suorum: in collibus tuis, et in vallibus tuis, atque in torrentibus interfecti gladio cadent.* 9. *In solitudines sempiternas tradam te, et civitates tuae non habitabuntur, et scietis, quia ego Dominus Deus:* 10. *Eo, quod dixeritis: duae gentes, et duae terrae meae sunt, et haereditate possidebo eas,* cum

eum Dominus esset ibi. Hoc dicitur, quod, quamvis Judaeorum populus ductus esset in captivitatem; tamen terra non esset relicta absque domino, utpote in qua Deus suam haereditatem constituerit, nec Israelitae illius domini, sed tantum coloni fuerint. Sic enim dicit Deus Levit. 25. v. 23. „Terra non vendetur in perpetuum, quia mea est: „et vos advenae, et coloni mei estis." Reprehenduntur itaque Idumaei, quod terram, dum Judaei abducti essent in captivitatem, tamquam vacuam domino, et possessore consideraverint, illamque pro se occupare voluerint, cum tamen Deus possessionem illius terrae non dimisisset, et proinde contra quem Deum occupationem illi facere voluerint. Duas autem gentes, et duas terras, suas Idumaei tum esse dicebant intelligendo vel duo regna Judae, et Israel, quod alterum iam prius esset ad solitudinem revocatum, et cuius occupandi sibi etiam factam esse facultatem putarent, vel vero gentes has duas, et duas terras, suam, quae propria esset Idumaeae regio, et Judaeam reputaverunt. „Duae gentes, et duae regiones meae sunt, „vel Idumaeorum, et Judaeorum, ait S. Hieronymus, vel certe Judae, et Israel, duarum videlicet, et decem tribuum."

11. *Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus, quia faciam iuxta iram tuam, et secundum zelum tuum, quem fecisti odio habens eos, et notus efficiar per eos, cum te iudicavero.* Faciam iuxta iram tuam, ut, quemadmodum tu infestum

te illis, et inimicum exhibuisti; ita adversum te
ego pariter iram meam exerceam: *et notus effi-*
ciar per eos Hebraice: *et notus efficiar in illis:*
(בָּם) et me illi recognoscant suum ultorem, atque
vindicem fuisse, *cum te iudicavero*, et de te poe-
nas sumpsero. 12. *Et scies, quia ego Dominus*
audivi universa opprobria tua, quae locutus es
de montibus Israel, dicens: deserti nobis ad de-
vorandum dati sunt. 13. *Et insurrexistis super*
me ore vestro, et de rogastis adversum me ver-
ba vestra: Hebraice: *et multiplicastis* (וְהַעְתַּרְתֶּם)
adversum me verba vestra: *ego audivi.* 14. *Haec*
dicit Dominus Deus: laetante universa terra in
solitudinem te redigam. 15. *Sicut gavisus es su-*
per haereditatem domus Israel, eo quod fuerit
dissipata, sic faciam tibi. Dissipatus eris mons
Seir, et Idumaea omnis: et scient, quia ego
Dominus.

CAPVT XXXVI.

De montibus Israel omni rerum prosperitate iterum cumulandis, deque multitudine hominum, et iumentorum in iis collocanda: ad quos Deus Israelitas undique ex locis, ubi per captivitatem fuerant dispersi, revocaturus sit, effusurusque super eos aquam, qua mundentur ab omnibus sordibus suis.

1. *TU autem fili hominis propheta super montes*
Israel, et dices: montes Israel, audite verbum

Domini. 2. *Haec dicit Dominus Deus: eo, quod dixerit inimicus de vobis: Euge, altitudines sempiternae in haereditatem datae sunt nobis. Altitudines sempiternae* Hebraice: *altitudines seculi:* (בָּמוֹת עוֹלָם) quemadmodum etiam Habacuc 3. v. 6. est: „Contriti sunt montes seculi, incurvati „sunt colles mundi." Montes autem seculi, vel etiam aeterni; utroque enim modo vocabulum Hebraicum *Holam* verti potest, vocantur propter longissimam eorum durationem: qua ratione Hebraeis solere aeternum dici, iam saepe, et nominatim ad Genesis 9. v. 12. declaratum est. Idumaeorum autem tripudium ex vastatione montium Judaeae proponitur, quorum occupandorum spem sibi fecerint. 3. *Propterea vaticinare, et dic: haec dicit Dominus Deus: Pro eo, quod desolati estis, et conculcati per circuitum, et facti in haereditatem reliquis gentibus, et adscendistis super labium linguae, et opprobrium populi;* 4. *propterea montes Israel audite verbum Domini Dei. Haec dicit Dominus Deus montibus, et collibus, torrentibus, vallibusque, et desertis, parietinis, urbibus derelictis, quae depopulatae sunt, et subsannatae a reliquis gentibus per circuitum.* 5. *Propterea haec dicit Dominus Deus: quoniam in igne zeli mei locutus sum de reliquis gentibus, et de Idumaea universa, quae dederunt terram meam sibi in haereditatem cum gaudio, et toto corde, et ex animo, et eiecerunt eam, ut vastarent:* Istud extremum huius versiculi: *Et eiecerunt eam,*

ut vastarent, est sic in Hebraeo: *propter expulsionem eius in praedam.* (לְמַעַן מִגְרָשָׁהּ לָבַז) Sensus igitur est, quae gentes, et Idumaea cum gaudio Dei terram vertere in suam haereditatem, et occupare pro se voluerint, ideo, quod expulsam, hoc est expositam in praedam sibi habere vellent: 6. *idcirco vaticinare super humum Israel, et dices montibus, et collibus, iugis, et vallibus: haec dicit Dominus Deus: Ecce ego in zelo meo, et in furore meo locutus sum, eo quod confusionem gentium sustinueritis:* 7. *idcirco haec dicit Dominus Deus: Ego levavi manum meam, ut gentes, quae in circuitu vestro sunt, ipsae confusionem suam portent.* Levatio manus vel pertinet ad exprimendum gestum iuramenti, vel ad manus motionem significandam, qua ictus vibretur, ac poena infligatur. 8. *Vos autem montes Israel ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel. Prope enim est, ut veniat.*

9. *Quia ecce ego ad vos, et convertar ad vos, et arabimini, et accipietis sementem.* 10. *Et multiplicabo in vobis homines, omnemque domum Israel, et habitabuntur civitates, et ruinosa instaurabuntur.* 11. *Et replebo vos hominibus, et iumentis: et multiplicabuntur, et crescent: et habitare vos faciam sicut a principio, bonisque donabo maioribus, quam habuistis ab initio, et scietis, quia ego Dominus.* Qua ratione hanc prophetiam Judaei sumant, et interpretentur, proponit ad hunc locum S. Hieronymus.

„Quae illi, inquit, exspectant in mille annorum „regno, quando civitatem Jerusalem asserunt ex- „struendam, et templum, quod in fine huius vo- „luminis describitur, et rerum omnium felicitatem: „quorum nonnulli arbitrantur sub Zorobabel haec „fuisse completa. Sed quomodo stare poterit hoc, „quod dicitur: *Et habitare vos faciam, sicut a „principio, bonisque donabo maioribus, quam ha- „buistis ab initio?* Sub Zorobabel enim, Ezra, „et Nehemia, pauci de populo sunt reducti, et „ipsi obedientes Medis, ac Persis, ac deinceps „Macedonibus, et Aegyptiis, atque Romanis us- „que ad Titum, et Vespasianum diversarum gen- „tium regibus serviverunt, et usque hodie servi- „unt; ut stare omnino non possit hoc, quod in „extrema dicitur prophetia: *Et opprobrium popu- „lorum nequaquam portabis, et gentem tuam non „amittes amplius.*“ Ad novum vero Testamentum pertinere hoc, quod est in hac prophetia, et cu- ius rei, illa populi revocatio ex captivitate tantum- modo typus, et umbra fuerit, quae facta est, dum Babylone concessa sibi libertate Judaei redirent, ex versu 25. ubi de aqua munda, quae sit effun- denda super illos Israelitas, redeuntes ex captivi- tate, qua mundentur ab omnibus suis inquinamen- tis, et de corde, atque spiritu novo, cordeque carneo in locum prioris lapidei illis dando est, ma- nifestum fit: haec enim imposibilia erant legi. Rom. 8. v. 3. Quae ergo illa bona erant maiora, quibus se Deus Israeliticum illum populum, ex captivitate

reductum, donaturum dixit? spiritualia in locum illorum temporalium commodorum, quae erant Israelitis in veteri Testamento concessa, atque ut tum a principio, Israelitae illi veteres collocati sunt in terra Chanaan, quae illis ad incolendum data a Deo est; ita rursus fundata Ecclesia novum constituatur Israeliticum regnum, quod vi nulla deinceps everti, vel labefactari possit, contra quod portae inferi praevalere non possint. Matth. 16. v. 18. 12. *Et adducam super vos homines populum meum Israel, et haereditate possidebunt te: et eris eis in haereditatem, et non addes ultra, ut absque eis sis.* Continuatur apostrophe ad terram, et ad montes Israel. Dumque haec terra, atque regio dicitur non amplius futura absque iis, a quibus incolatur, et tamquam haereditas possideatur; profecto illud intelligitur, non ea ratione, qua prius vastata Jerosolyma eversi suis sedibus, atque habitatione Judaei, et Israelitae sunt, futurum unquam, ut Christi desoletur Ecclesia. Adversus hanc Dei promissionem, et propheticum oraculum nihilominus, dum novam iuxta suum placitum sibi vellent construere Lutheri, et Calvini asseclae Ecclesiam, ante se ferebant, et dicebant, illam, quae ab Jesu Christo fundata est Ecclesia, totam defecisse. Ille firmum aedificium nescivit construere: maiores, et peritiores Lutherus, et Calvinus fuerunt eo architecti. Isti domum, quam ille exstruxit, sed quae erat collapsa, iterum sciverunt e suis pulveribus excitare, et tam fortiter constituere, quam est mutuis ipsorum etiam dissensioni-

bus lacetata, et distracta, nullibique uniformis apud eos fides.

13. *Haec dicit Dominus Deus: pro eo, quod dicunt de vobis: devoratrix hominum es, et suffocans gentem tuam;* 14. *propterea homines non comedes amplius, et gentem tuam non necabis ultra, ait Dominus Deus.* De montibus, et regione Israel hoc dicebant. Quinam autem? gentiles nimirum, qui dum vidissent vastatam per hostes Judaeorum regionem; terrae ipsi superstitiose attribuerunt, cuius haec talis sit natura, illum devastationis effectum. 15. *Nec auditam faciam in te amplius confusionem gentium, et opprobrium populorum nequaquam portabis, et gentem tuam non amittes amplius, ait Dominus Deus.* 16. *Et factum est verbum Domini ad me dicens:* 17. *Fili hominis, domus Israel habitaverunt in humo sua, et polluerunt eam in viis suis, et in studiis suis: iuxta immunditiam menstruatae facta est via eorum coram me.* 18. *Et effudi indignationem meam super eos pro sangvine, quem fuderunt super terram, et in idolis suis polluerunt eam.* 19. *Et dispersi eos in gentes, et ventilati sunt in terras: iuxta vias eorum, et adinventiones eorum iudicavi eos.* 20. *Et ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt, et polluerunt nomen sanctum meum, cum diceretur de eis: populus Domini iste est, et de terra eius egressi sunt.* Per ipsos, dum in captivitatem ducerentur, Dei nomen pollutum, atque dehonestatum est, qui causam praebuerint gen-

tilibus de Israelitarum Deo indignas cogitationes
suscipiendi, quasi per illius impotentiam, atque
infirmitatem accidisset; quod Israelitae, ipsius po-
pulus, victi a suis hostibus sint, contra quos De-
us suus ipsos non potuerit defendere. 21. *Et pe-
perci nomini sancto meo, quod polluerat domus
Israel in gentibus, ad quas ingressi sunt.*

22. *Idcirco dices domui Israel: haec dicit
Dominus Deus: non propter vos ego faciam, do-
mus Israel, sed propter nomen sanctum meum,
quod polluistis in gentibus, ad quas intrastis.*
23. *Et sanctificabo nomen meum magnum, quod
pollutum est inter gentes, quod polluistis in me-
dio earum, ut sciant gentes, quia ego Dominus,
ait Dominus exercituum, cum sanctificatus fuero
in vobis coram eis.* 24. *Tollam quippe vos de
gentibus, et congregabo vos de universis terris,
et adducam vos in terram vestram.* 25. *Et ef-
fundam super vos aquam mundam, et mundabimi-
ni ab omnibus inquinamentis vestris, et ab uni-
versis idolis vestris mundabo vos.* 26. *Et dabo
vobis cor novum, et spiritum novum ponam in
medio vestri, et auferam cor lapideum de carne
vestra, et dabo vobis cor carneum.* 27. *Et Spi-
ritum meum ponam in medio vestri, et faciam,
ut in praeceptis meis ambuletis, et iudicia mea
custodiatis, et operemini.* 28. *Et habitabitis in
terra, quam dedi patribus vestris, et eritis mihi
in populum, et ego vobis in Deum.* 29. *Et sal-
vabo vos ex universis inquinamentis vestris: et*

vocabo frumentum, et multiplicabo illud, et non imponam vobis famem. 30. *Et multiplicabo fructum ligni, et genimina agri, ut non portetis ultra opprobrium famis in gentibus.* Dum scilicet inter eas fuissent dispersi, cum penuriaque rerum conflictati fuissent. 31. *Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum, studiorumque non bonorum, et displicebunt vobis iniquitates vestrae, et scelera vestra.* 32. *Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis, confundimini, et erubescite super viis vestris, domus Israel.* Qui enim in seipsis causam habent, cur confundantur, tanto minus intelliguntur, meritum in seipsis aliquod erga Deum habere, cur insuper ab eo beneficiis exornentur. „Cum inimici essemus „ait S. Paulus, reconciliati sumus Deo per mor„tem Filii eius," Rom. 5. v. 10. 33. *Haec dicit Dominus Deus: In die, qua mundavero vos ex omnibus iniquitatibus vestris, et inhabitari fecero urbes, et instauravero ruinosa,* 34. *et terra deserta fuerit exculta, quae quondam erat desolata in oculis omnis viatoris,* 35. *dicent: Terra illa inculta, facta est ut hortus voluptatis, et civitates desertae, atque suffossae munitae sederunt:* munitae constitutae sunt. 36. *Et scient gentes, quaecumque derelictae fuerint in circuitu vestro, quia ego Dominus aedificavi dissipata, plantavique inculta, ego Dominus locutus sim, et fecerim.* Reaedificatio, et instauratio urbium Judaeae, et revocatio Israelitici populi ex capti-

vitate, eiusque in his urbibus, et sedibus suis pristinis collocatio typus fuit Ecclesiae fundatae, et constitutae per Jesum Christum, et ad quam gentes omnes totius mundi per unam Fidem consociatae sunt. Huc enim, et pro hac nova Jesu Christi Ecclesia, quae aedificaretur, et construeretur ex gentibus ad fidem conversis, similem locum prophetae Amos (cap. 9. v. 11.) adhibuit ad hoc ipsum probandum S. Jacobus Apostolus Actor. 15. v. 13. „Viri fratres, dicebat, audite me: „Simon narravit, quemadmodum primum Deus „visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo. „Et huic concordant verba prophetarum, sicut „scriptum est: Post haec revertar, et reaedificabo „tabernaculum David, quod decidit, et diruta eius „reaedificabo, et erigam illud, ut requirant ceteri „hominum Dominum, et omnes gentes, super „quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus „faciens haec." 37. *Haec dicit Dominus: adhuc in hoc invenient me domus Israel, ut faciam eis: multiplicabo eos sicut gregem hominum,* 38. *ut gregem Sanctum, ut gregem Jerusalem in solennitatibus eius. Sic erunt civitates desertae, plenae gregibus hominum, et scient, quia ego Dominus.* „Multiplicabit eos, ait S. Hieronymus, „sicut oves, non brutorum animantium, sed oves „hominum, quae rationis, confessionisque sunt „plenae; sicut oves sanctas, et greges Jerusalem, „in qua proprie Dei cultus, et visio pacis est, „in solennitatibus eius, quando comedimus azyma

„ sinceritatis, et veritatis, et Agni carnibus vesci-
„ mur, et cruore potamur., Totam hanc prophetiam, ut iam superius insinuatum est, ad novi Foederis aquam mundam, et Spiritus S. effusionem super fideles in Ecclesia pertinere comparatio cum Actorum cap. 2. v. 17. Isaiae 44. v 3. Jeremiae 31. v. 33. horumque locorum cum hoc praesenti Ezechielis collatio planum facit.

CAPVT XXXVII.

Ossa arida in campo super humo iacentia ad Prophetae vocem vestiuntur carnibus, atque spiritum recipiunt. Duo deinde ligna cum illum Deus iussisset accipere, et super alterum Judae nomen, super alterum Ephraim adscribere, haec deinde utraque repente coaluerunt in lignum unum.

1. *FACTA est super me manus Domini, et eduxit me in spiritu Domini, et dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus.*
2. Et circumduxit me per ea in gyro, erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer,
3. et dixit ad me: Fili hominis, putasne vivent ossa ista? Et dixi: Domine Deus, tu nosti.
4. Et dixit ad me: vaticinare de ossibus istis, et dices eis: ossa arida audite verbum Domini.
5. Haec dicit Dominus Deus ossibus his: ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis.
6. Et

dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem, et dabo vobis spiritum, et vivetis, et scietis, quia ego Dominus. 7. *Et prophetavi, sicut praeceperat mihi. Factus est autem sonitus prophetante me, et ecce commotio: et accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad iuncturam suam.* 8. *Et vidi, et ecce super ea nervi, et carnes adscenderunt, et extenta est in eis cutis desuper, et spiritum non habebant.* 9. *Et dixit ad me: vaticinare ad spiritum, vaticinare, fili hominis, et dices ad spiritum: haec dicit Dominus Deus: A quatuor ventis veni spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant.* 10. *Et prophetavi, sicut praeceperat mihi, et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt, steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde.* 11. *Et dixit ad me: fili hominis ossa haec universa, domus Israel est. Ipsi dicunt: aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra, et abscissi sumus.* Est hoc verbum ad eos transsumptum ab arboribus. Cuius rami virent, quamdiu cum trunco, et radice nexi manent. Si vero resecentur, exarescunt; nec iam deinde amplius viroris recuperandi, aut crescendi spem ullam naturaliter habere possunt. Talibus autem ramis, atque aridis ossibus sese compararunt ii Judaei, qui erant ducti in captivitatem, spemque deposuerant, ut per eos rursus reflorescat aliquando Jerusalem, et Israeliticus populus.

12. *Propterea vaticinare, et dices ad eos: haec dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulchris vestris, populus meus, et inducam vos in terram Israel.* 13. *Et scietis, quia ego Dominus, cum aperuero sepulchra vestra, et eduxero vos de tumulis vestris, popule meus,* 14. *et dedero spiritum meum in vobis, et vixeritis, et requiescere vos faciam super humum vestram, et scietis, quia ego Dominus locutus sum, et feci, ait Dominus Deus.*

„Famosa est, ait S. Hieronymus, visio, et omnium Ecclesiarum Christi lectione celebrata. — — „Eduxit autem eum, in spiritu, non in corpore, „sed extra corpus, et posuit illum, sive dimisit „in medio campi, qui plenus erat humanis ossibus.“ Proponitque deinde, et docet istius non omnium eamdem etiam sua aetate fuisse intelligendi rationem, aliquosque accepisse, quasi de futura generali resurrectione hoc esset prophetice praenunciatum, quam vero opinionem ipse non probet: non quasi resurrectionem illam, in fine mundi futuram, negaret; sed quod non ded illa hic agatur. Et cum plura Scripturae documenta in medium proposuisset, cuiusmodi illud est Danielis: „Et multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt, alii in vitam aeternam, alii in opprobrium“ Dan. 12. v. 2. illud Jobi 19. v. 25. „In „novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea „videbo Deum meum“ et illud Pauli: „Qui vi-

„vificabit mortalia vestra corpora propter inhabi-
„tantem Spiritum eius in vobis“ Rom. 8. v. 11. ne quis putaret adversus hanc resurrectionem aliquid in contrarium ipsum sentire; sic deinde mentem suam explicat, atque exponit: „Ex quo, inquit, perspicuum est; non nos resurrectionem negare, sed haec non scripta de resurrectione contendere, et per resurrectionis parabolam de restitutione Israel prophetari, qui eo tempore captivus erat in Babylone. Nec statim haereticis occasionem dabimus, si haec de resurrectione communi intelligi denegemus. Numquam enim poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem Israelitici populi significandam; nisi staret ipsa resurrectio, et futura crederetur; quia nemo de rebus non exstantibus incerta confirmat. Itaque nostra illo tendit assertio, quod quomodo videtur incredulum, quod ossibus aridis, et multa vetustate confectis futura resurrectio promittatur, et tamen futurum est, quod promittitur: sic et restitutio populi Israel, qui ductus est in captivitatem, et in toto orbe dispersus, videtur quidem incredibilis his, qui Dei non norunt potentiam; sed tamen futura est, quia ego, inquit, Dominus locutus sum.“ Atque hoc, ut S. Hieronymus exposuit, omnino ad restitutionem Israelitici populi ex captivitate pertinere, perspicuum fit ex illis Dei ad Prophetam verbis de hac ipsa visione: *Fili hominis, ossa haec universa domus Israel est. Ipsi dicunt: aruerunt ossa no-*

stra, et periit spes nostra, et abscissi sumus. Et ad quorum hanc loquelam Deus pollicetur sese aperturum eorum tumulos, e sepulchrisque eductu- rum illos, atque in terram reducturum Israel. Nempe Deus allegoriam, quam illi coeperant; et in qua seipsos aridis ossibus comparaverant, et per quam nihil sibi superesse spei, ut aliquando redeant in suam patriam, declaraverant, quasi telam ab ipsis inchoatam perrexit ulterius texere, et docuit, quod etiamsi similes ossibus aridis essent; ipse tamen hoc, quod superiore capite promiserat, de ipsis revocandis ad terram Israel, daturus effectum esset. Quo vero res haec vividius proponeretur, sic per visionem Prophetae ad intuendum oblata est, quasi reipsa acta fuisset. Sed eo ipso, quod diserte dicatur acta per Prophetam tantum in spiritu, et per oblatam menti speciem; quemadmodum ista ratione in spiritu etiam supra fuit capite 8. versu 3. illum fuisse ex Babylonia Jerosolymam perductum, et per totum templum videndi causa, quid ibi ageretur, circumductum; intelligitur istud quoque per solam repraesentationem in mente esse peractum. Et quia assimilatio haec cum suscitatione ossium aridorum a Deo instituta certam sibi habet, quae aliquando futura sit, mortuorum resurrretionem, ut S. Hieronymus supra ostendit, quod nonnisi ineptissime a re, quae nec existit, quae futura est aliquando, ad veritatem aliquam confirmandam duci possit, et desumi comparatio; intelligitur, quomodo locus iste Prophe-

tae ad ipsam illam etiam generalem mortuorum resurrectionem, quae in fine mundi futura est, vim habeat probandi, et cur Patres omnino plures, ut S. Irenaeus l. 5. c. 15. S. Cyrillus Jeros. Catech. 18. S. Augustinus de Genesi ad lit. l. 10. S. Basilius in Psal. 33. S. Ambrosius l. 2. de Resurrect. S. Cyprianus l. 5. ad Quirin. cap. 49. isto scripturae documento usi, et recte usi ad demonstrandam resurrectionem sint.

15. *Et factus est sermo Domini ad me dicens:* 16. *Et tu fili hominis sume tibi lignum unum, et scribe super illud: Judae, et filiorum Israel sociorum eius: et tolle lignum alterum, et scribe super illud: Joseph ligno Ephraim, et cunctae domui Israel, sociorumque eius.* Filii Israel Judae socii intelliguntur, ii, qui erant ex tribu Benjamin, et Levitae, qui cum Juda coniuncti manserunt, quando post mortem Salomonis reliquae decem tribus scissione facta alium sibi regem constituerunt, et quod Israelitici populi ante unum fuit regnum, distractum tum est in regna duo. *Joseph ligno Ephraim* sicut nomen Judae est in tertio inflexionis casu, ita etiam Joseph (לְיוֹסֵף) verbum autem intelligitur Judae, Josephoque fieri illam inscriptionem, qui idem Joseph descriptus in ligno, lignum etiam Ephraim vocatur, hoc est lignum, quod designet Ephraimum, hoc Ephraimi nomine intelligendo regnum Israel, in qua haec tribus eminebat: domus autem cunctae Israel, et sociorum illius nomine ceterae adiunctae Ephraimo tribus, ex

ex quibus omnibus constaret regnum Israel, intelliguntur. 17. *Et adiunge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum: et erunt in unionem in manu tua.* Illa ergo duo ligna Propheta cum manu sua composuisset, ut se mutuo contingerent, vi Divina deinde coaluerunt in lignum unum. 18. *Cum autem dixerint ad te filii populi tui, loquentes: nonne indicas nobis, quid in his tibi velis?* 19. *Loqueris ad eos, haec dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam lignum Joseph, quod est in manu Ephraim, et tribus Israel, quae sunt ei adiunctae, et dabo eas pariter cum ligno Juda, et faciam eas in lignum unum, et erunt unum in manu eius.* 20. *Erunt autem ligna, super quae scripseris in manu tua, in oculis eorum.* 21. *Et dices ad eos: haec dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum, ad quas abierunt, et congregabo eos undique, et adducam eos ad humum suam.* 22. *Et faciam eos in gentem unam in terra, in montibus Israel, et rex unus erit omnibus imperans, et non erunt ultra duae gentes, nec dividentur amplius in duo regna.* 23. *Neque polluentur ultra in idolis suis, et abominationibus suis, et cunctis iniquitatibus suis, et salvos eos faciam de universis sedibus, in quibus peccaverunt, et mundabo eos, et erunt mihi populus, et ego ero eis Deus.* De universis sedibus Hebraice: *de universis habitationibus suis* (מִכֹּל מוֹשְׁבֹתֵיהֶם) Habitatioque intelligitur, in qua per captivitatem essent dispersi. 24. *Et servus meus*

David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum: in iudiciis meis ambulabunt, et mandata mea custodient, et facient ea. 25. *Et habitabunt super terram, quam dedi servo meo Jacob, in qua habitaverunt patres vestri: et habitabunt super eam ipsi, et filii eorum, et filii filiorum eorum usque in sempiternum, et David servus meus princeps eorum in perpetuum.* 26. *Et percutiam illis foedus pacis, pactum sempiternum erit eis, et fundabo eos, et multiplicabo, et dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum.* Sanctificatio mea Hebraice *sanctuarium meum.* (מִקְדָּשִׁי) Quod deinde idem in subsequente versu apertius tabernaculum Dei vocatur. 27. *Et erit tabernaculum meum in eis, et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus.* 28. *Et scient gentes, quia ego Dominus sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum.* „Et dabo, inquit, sanctificationem meam, sive san-„ctuarium, verba sunt S. Hieronymi, in me-„dio eorum in perpetuum: quod Judaei de tem-„plo interpretantur, quod sub Zorobabel exstructum „est. Sed quomodo stare poterit hoc, quod dici-„tur: *in perpetuum*, cum templum illud, quod a „Zorobabel exstructum est, et postea a multis re-„stauratum, Romano igne succensum sit? Quae „omnia referenda sunt ad Ecclesiam, et ad tem-„pora Salvatoris, quando tabernaculum eius po-„situm est in Ecclesia, ubi factus est Deus noster, „et nos populus eius. Profectusque omnium est,

„ut sciant, quod ipse sit Dominus, et ipse sancti„ficet Israel non iuxta carnem, sed iuxta spiritum, „quando sanctificatio eius in medio credentium fa„cta est in perpetuum." Omnino istud omne, quod per compositionem duorum lignorum repraesentatum est de Davide rege uno, ac principe uno, deque populo hoc rege Davide, qui Dei populus futurus, et cum quo pactum pacis Deus initurus sit, etiam ex capitis 34. vigesimo tertio, et subsequentibus versibus ad Christum, eiusque Ecclesiam pertinere planissimum fit. Est autem sub illo Davide principe, et Pastore eodem uno ovile illius unum ex Judaeis, et ex gentilibus, qui utrique in unum Dei populum coaluerunt, confectum, atque compositum. Nam, cum Christus sibi oves iam delegisset, et assumpsisset ex Judaeis, dicebat deinde: „Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, „et illas oportet me adducere, et vocem meam „audient, et fiet unum ovile, et unus Pastor." Joan. 10. v. 16. quae oves aliunde adhuc adducendae profecto intelliguntur ii, qui ex gentilibus ad fidem, et Ecclesiam Jesu Christi adducti sunt. Ex quo, quid per illa duo ligna, quorum alterum nomen Juda, alterum nomen Joseph haberet adscriptum, significaretur, atque ipsa haec nomina Judae, et Joseph, quo spectarent, siquidem illae decem tribus, ex quibus regnum Israel constabat, ne redierint quidem aliquando in suam patriam, quemadmodum istud iam ad Isaiae cap. 7. versum 9. demonstratum est, prioreque Judae nomine es-

se significatos eos, qui ex Judaeis in Christum crederent; altero Joseph, et Ephraim nomine denotatos esse gentiles, fidem Christi, qui suscepturi essent, et quibus utrisque unum Christi ovile, unumque regnum, atque una eius Ecclesia existeret, profecto planum esse debet, et qua de re etiam sic in Osea est cap. 1. v. 11. „Et congregabuntur „filii Juda, et filii Israel pariter, et ponent sibimet „caput unum, et adscendent de terra."

CAPVT XXXVIII.

De Gog, et Magog, qui populum Israeliticum suis sedibus restitutum infestaturi, oppugnaturique, sed de quibus hostibus Deus tandem supplicium sumpturus sit.

1. *ET factus est sermo Domini ad me dicens:*
2. *Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog, terram Magog, principem capitis Mosoch, et Thubal, et vaticinare de eo.* Quinam per Gog, et Magog debeant intelligi, et ad quod tempus, dum eventum suum sortiretur, vaticinium istud spectet, quaestiones admodum obscurae, et explicatu difficiles habitae semper sunt, in multasque, ac varias opiniones Interpretum mentem, et cogitationem discerpserunt. „Judaei, et nostri Judaizantes, ait „S. Hieronymus, putant gentes esse Scythicas im„manes, et innumerabiles, quae trans Caucasum „montem, et Maeotidem paludem, et prope Ca-

„spinum mare ad Indiam usque tendantur, et has „post mille annorum regnum esse a diabolo com- „movendas, quae veniant ad terram Israel, et „pugnent contra sanctos multis secum gentibus con- „gregatis.“ Judaizantium nomine S. Hieronymus intelligit Christianos, quos Chiliastas dixerunt, qui illud mille annorum regnum de Christo credebant, in quo post resurrectionem universalem sancti in corporis omnibus voluptatibus mille illos annos acturi sint. Theodoretus istis Gog, et Magog nominibus Alexandrum M. et Macedones, praeterea Syriae, et Aegypti reges esse denotatos putavit. S. Ambrosius lib. 2. de Fide cap. ult. Gothos designari existimavit, qui illo tempore, quo ipse vixit, infesti Ecclesiae, et Romano imperio erant. Quam vero opinionem S. Hieronymus in Praefatione libri sui undecimi in Ezechielem, suo calculo non probavit. Alii Antiochum Epiphanem censuerunt esse, alii Turcas, et Saracenos, alii Antichristum, alii alios, ut silentio praeteream illud etiam illorum convitium, qui in Romanum Pontificem, et Catholicos non dubitarent ista nomina conferre. Calmet integra Dissertatione conatur probare venire isto nomine Cambysem Persarum regem Cyri filium. S. Hieronymus cum diversitatem summam opinionum hac in re esse ostendisset, omissa literali intelligentia totum hoc deinde haereticis adcommodavit ex etymologia harum vocum Gog, et Magog argumentans: quod cum prior vox in Hebraeo *tectum* significet, altera: *ex tecto*, haeretici per su-

perbiam elati, atque sua opinione inflati ex eodem suae elationis tecto, atque fastigio, quo conscenderunt, dogmata deinde Catholica inde oppugnent. „Omnis igitur superbia, inquit, et falsi nominis „scientia, quae erigit se contra notitiam veritatis, „his nominibus demonstratur."

Fuit superiore capite de Israelitis ex captivitate in suam terram reducendis, et ubi iam deinceps stabiliter collocentur, quamque regionem suam incolant in perpetuum, novumque foedus pacis Deum esse initurum cum illis, et quos ab omnibus inquinamentis suis mundaturus, in quorumque medio habitaturus ipse, et suum habiturus sit tabernaculum, ipsos vero, ut suum peculiarem populum. „Erunt, mihi, inquit Deus, populus, et ego ero „eis Deus, et servus meus David rex super eos, „et pastor erit unus omnium eorum." Quae, quin ad novum Testamentum spectent, ut iam ibi demonstratum est, dubium esse non potest. „Jesus „enim erat moriturus pro gente, et non tantum „pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, „congregaret in unum." Joan. 11. v. 51. Sed tamen in his omnibus prophetiis lineae quaedam adhuc supererant typicae. Duae enim res in iis continebantur. Reditus Judaeorum ex captivitate Babylonica, deinde filiorum Dei, ut est apud Joannem, illorumque, qui secundum spiritum essent Israeliticus populus, ad unam Ecclesiam Christi per fidem convocatio, atque congregatio, quamque alteram hanc illa prior Israelitarum ex captivitate red-

itio praefiguraverit, et adumbraverit. Et cum haec ipsa etiam adumbratio dirigeretur ad Christum, et ad gentium conversionem, quae futura erat per eum; prophetiae scopus profecto non fuit illa libertas, quae Judaeis concessa est ex Babylonica captivitate, sed illa, quae per Christum generi humano praestita liberatio est ex servitute peccati, novaeque Ecclesiae, et novi Israelitici populi per eum fundatio. Ad hoc idem vero pertinet haec quoque de Gog, et Magog vaticinatio: sed ita, quemadmodum prius, ut hic quoque aliquid adhuc in typo fuerit, atque sub hoc typo res, quae dicitur, pertineret ad novi foederis Israeliticum populum, et ad Christi Ecclesiam. In Judaeos, postquam rediissent ex sua captivitate, et restauratis urbibus suis, atque templo sine metu, et quasi secure coepissent habitare; Gog iste cum magno exercitu irruit, illosque opprimere adgressus est, ut est huius capitis versu octavo, et nono. Hoc autem adversus Judaeos fecit Antiochus Epiphanes. Ille igitur fuit Gog, Magog vero intelligitur Syria, quae princeps regio in eius imperio fuit, quod erat extensum per maximam Asiae partem. In eo autem, quod Antiochus contra Judaeos, illos adhuc veteres fecit, quosque omni crudelitate vexavit, quorumque Religionem vehementissime insectatus est, volens illos vi omni, et conatu a veri Dei cultu ad colenda falsorum deorum simulacra traducere; typicam imaginem eius rei in se exhibuit, quae deinde ab ethnicis imperatoribus, aliisque persecutori-

bus acta est adversus Ecclesiam, et quae omnes tempestates in idololatriae gratiam plurimum sunt excitatae adversus eam: et quo ex numero persecutorum ille etiam omitti non debet, qui propter nequitiae magnitudinem, per antonomasiam Antichristus vocatur, cum ceteroquin antichristi omnes sint, quicumque Christum eiusque Ecclesiam oppugnant. 1. Joan. 2. v. 18. Sicque hoc esse intelligendum, interpretatio, quae modo succedet ordine omnium, quae sunt in hac prophetia, confirmabit.

Ezechielem Deus sic affatus est: *Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog, terram Magog, principem capitis Mosoch, et Thubal, et vaticinare de eo.* Dirigitur sermo ad Gog, tamquam ad regem, in cuius ditione fuerit terra Magog, quique supra Mosoch, et Thubal civitates, et gentes imperium tenuerit. De Magog meminit Ptolomaeus in quarta Asiae tabula: „Hierapolis, inquit, a „multitudine templorum sic appellata a Graecis, „cum proprium ipsius nomen sit Magog:“ in numeroque septem civitatum, quas Asiae primarias in illa tabula recenset, Hierapolim, et Magog posuit ordine secundam. Item Plinius lib. 5. cap. 23. in hunc modum loquitur: „Coelesyria, inquit, ur„bes habet Bambycem, quae alio nomine Hierapo„lis vocatur, Syris vero Magog.“ Dum ergo nomen repertum est, erit, certe consentaneum rectae interpretationi, illud per Magog intelligere, cuius hoc nomen fuit. Quae ergo fuit terra Magog? profecto intelligi debet Syria, in qua urbs ista fuit:

qua ratione terra Mempheos, vel Taneos non alia intelligitur, quam Aegyptus, in qua civitates illae exstiterunt. Est enim hoc vulgare, ut a principe aliquo loco tota denominetur regio. Gog autem, ut iam supra demonstratum est ex S. Hieronymo, significat tectum, sive id, quod in aedificii loco positum est altissimo, et quo proteguntur omnes eius ceterae infra illud constitutae partes. Hoc ergo nomine designatur princeps civitatis, tamquam, qui in eius culmine sit positus, cuiusque sit protegere totam civitatem. Fuit autem princeps terrae Magog Antiochus. Ergo illi apta, et conveniens est etiam haec appellatio. Et omnino valde congruenter ex omni illius imperio civitas Magog assumpta prae reliquis est ad designandam Syriam, et provincias, quibus imperabat, in qua multitudo templorum, quae falsis diis erant dicata, exstitit maxima, quaeque eam ob rem etiam Hierapolis, hoc est sancta civitas, ob tantam religionem deorum a Graecis vocata est: ex qua Syria prorupit illa in Judaeos excitata per Antiochum Epiphanem tempestas, atque procella. Tanto enim clarius, atque illustrius res illa gesta per Antiochum rem expressit, cuius erat typus. Nam causa persecutionum, quas gentiles imperatores excitarunt adversus Ecclesiam, fuit falsorum deorum religio, cuius studio Christianam Religionem, cum eam suae superstitioni viderent contrariam, persequebantur. Gogum deinde hunc vocat *principem capitis Mosoch, et Thubal* iuxta Hebraeum: principem, caput Mosoch, et Thubal,

ita ut sint tantummodo velut synonyma, non in statu constructo inter se, quae nomina Hebraeus a se invicem etiam virgulam interpunctoriam, quae ab Hebraeis *Sakeph katon* vocatur, disiunxit. Per Mosoch autem intelligitur Cappadocia, quae est regio Asiae, per Thubal Iberia, sed illa Orientalis ad Armeniam, et mare Caspium sita, per quas provincias se se diffuderit imperium, et regia potestas Antiochi Epiphanis, et quarum regionum nomina iam etiam ad capitis 27. versum 13. explicata sunt, et ubi demonstratum est, Iberiam exstitisse duplicem, alteram Occidentalem, quae nunc vocatur Hispania, alteram ad mare Caspium ab Oriente. Nam, cum in Syria, et per Asiae illam partem, quae super Syriam erat, olimque ad Babylonicum pertinebat imperium, suum habuerit dominatum Antiochus, consequens est; ut haec altera in Asia, non illa in Europa intelligatur.

3. *Et dices ad eum: haec dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Gog principem capitis Mosoch, et Thubal:* etiam hic eadem ratio tenet quoad haec verba: *principem capitis*, quae fuit superiore versu: 4. *et circumagam te, et ponam fraenum in maxillis tuis, et educam te, et omnem exercitum tuum, equos, et equites vestitos loricis universos, multitudinem magnam, hastam, et clypeum arripientium, et gladium.* 5. *Persae, Aethiopes, et Lybies cum eis, omnes scutati, et galeati:* 6. *Gomer, et universa agmina eius, domus Thogorma, latera Aquilonis, et totum robur eius, po-*

pulique multi tecum. Solet de Deo in Scriptura dici, illud etiam ipsum facere, quod sola eius permissione fit. Qua ratione apud Amos prophetam cap. 3. v. 6. est: „Si erit malum in civitate, quod „Dominus non fecerit?" illudque ipse Deus plasmasse, et adduxisse dicitur Isaiae 37. v. 26. quod nefarie, et scelerate actum fuit per Sennacheribum Assyriorum regem adversus Jerosolymam sub Ezechia rege. Quare isto modo per solam permissionem etiam hic intelligi debet, dum se Deus ipse dicit eductu-rum vim istam, atque hunc exercitum hostium, per quem Israeliticus populus oppugnetur, et Ecclesia. Et bene Gogo fraenum dicitur a Deo imponendum, quo circumagatur, qui nihil ultra, quam quod Deus sineret, posset agere. Per Gomer, et Thogorma S. Hieronymus Josephi Flavii secutus auctoritatem intelligendos esse docet Galatas, et Phryges. Gentes autem hae, itemque ceterae memorantur, ex quibus sive propriis, sive conductitiis militibus instructum habuit Antiochus exercitum.

7. *Praepara, et instrue te, et omnem multitudinem tuam, quae coacervata est ad te, et esto eis in praeceptum:* Hebraice: *esto eis in custodiam* (לְמִשְׁמָר) Significat autem, ut tamquam dux, et imperator curam gerat, et excubet pro suo exercitu. 8. *Post dies multos visitaberis: in novissimo annorum venies ad terram, quae reversa est a gladio, et congregata est de populis multis ad montes Israel, qui fuerunt deserti iugiter: haec de populis educta est, et habitabunt in ea confi-*

denter universi. Visitaberis, in Hebraeo est verbum, quod in activa voce, ubi *Pakad* dicitur, etiam significat praeficere, et committere cuipiam aliquod negotium. Quare idem deinde in passiva voce significat etiam suscipere negotium. Quodnam autem Gog post dies multos suscepit negotium? illud nimirum veniendi ad terram, quae a gladio, et ex populis alienis, inter quos erat dispersa, rediit ad incolendos montes Israel, qui antea erant deserti iugiter, et ubi confidenter, et sine metu habitarunt. Sic verbum etiam in Hebraeo: *habitarunt* (וְיָשְׁבוּ) est propter *Vav conversivum*, ut illud Hebraei vocant, in praeterito, quemadmodum Chaldaeus quoque vertit, et perspicuum est etiam inde, quod cum antecedens verbum sit temporis praeteriti, istud quoque quod per copulativam orationis particulam illi iunctum est, debeat intelligi eiusdem cum illo esse temporis. Hoc autem, quod modo dicitur: factum est in illo populo Israelitico, qui rediit ex captivitate Babylonica, et in quos, cum se ex captivitate recollegissent, impetum deinde fecit Antiochus. Itaque prophetia haec tum quidem iam impleta est, sed nondum plene, atque perfecte, sed ita, ut quod esset ab eo gestum; huius ipsius, quod isto vaticinio significabatur, umbra tantum, atque typus esset. Et ideo quaepiam, quae hic dicuntur, nonnisi tenuiter constiterunt in illo adhuc typo, ut omnia typica istius generis rudia adhuc, et imperfecta, et quaedam tantum lineae earum rerum, quae futurae designantur, esse solent:

quale istud est, quod habitasse dicantur confidenter. Exigua enim admodum quies, et fiducia pacate habitandi illis fuit concessa, qui non tantum armis accincti ipsam aedificationem moenium Jerosolymae facere debebant, 2. Esd. 4. v. 16. propter incursiones hostiles, sed etiam erant numquam non subiecti erga exteros reges primum Persas, deinde Graecos, postremo Romanos. Nec montes, ad quos incolendos ex captivitate redierunt, erant deserti antea iugiter, sed tantummodo diu. Dicuntur nihilominus deserti antea iugiter fuisse consideratione ipsius antitypi, et quo utique praecipue in hac prophetia respiciebatur. Erant enim illi montes, in quibus Christi exstructa est Ecclesia, antea semper deserti, et steriles, atque inculti intelligendo gentiles, ex quibus illa aedificata est: quemadmodum etiam apud Isaiam cap. 35. v. 1. est: „Laetabitur deserta, et exultabit solitudo, „et florebit quasi lilium: gloria Libani data est „ei, decor Carmeli, et Saron." Itemque in illa confidentia ad pacate habitandum, et in pace, quae reducibus ex captivitate conderetur, fit inprimis respectus ad eamdem novi foederis Ecclesiam, ad quam Christus dixit: „Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, „ego do vobis." Joan. 14. v. 27. quaeque pax illa interior animi est, quaeque exsuperat omnem sensum, Philip. 4. v. 7. a Christo fidelibus per eius Spiritum, concessa: et de qua pacata habitatione, fiduciaque perpetuae pacis sic etiam est

apud Jeremiam cap. 23. v. 3. „Ecce ego, ait „Deus, congregabo reliquias gregis mei de omni„bus terris, ad quas eiecero eos illuc, et conver„tam eos ad rura sua, et crescent, et multiplica„buntur, et suscitabo super eos pastores, et pa„scent eos, et non formidabunt ultra, et non pa„vebunt.“ In novissimo autem dierum dicitur Gog venturus ad terram, quod ex Hebraeo sic etiam verti potest: *in annis post futuris* (בְּאַחֲרִית הַשָּׁנִים) ita ut non stricte ipsum extremum tempus debeat intelligi, sed aliquod subsequens tantummodo. Recte vero hoc in novissimo dierum etiam futurum dicitur, si rursus respectus fiat ad antitypum: siquidem novissimum mundi tempus id omne dicatur in Scriptura, quod fluit ab aetate Christi. 1. Cor. 10. v. 11. 1. Joan. 2. v. 18.

9. *Adscendens autem, quasi tempestas, venies, et quasi nubes, ut operias terram tu, et omnia agmina tua, populi multi tecum.* 10. *Haec dicit Dominus Deus: in die illa adscendent sermones super cor tuum, et cogitabis cogitationem pessimam,* 11. *et dices: adscendam ad terram absque muro, veniam ad quiescentes, habitantesque secure: hi omnes habitant sine muro, vectes, et portae non sunt eis:* Judaei post reditum ex captivitate munitas iterum habuerunt civitates. Quatenus ergo hoc ad rem adhuc illam pertinebat, ut in typo gerebatur erga Judaeos per Antiochum, sumi hoc ab eo dictum non ita debet, quasi haec terra, quam adgredi parabat, fuisset absque muris,

vectibus, atque portis, sed qui eam se oppressurum tantum tam facile persvaderet, quam si reipsa nudata esset omni praesidio. In Antitypo autem idem deinde iste Gog novi foederis Israelitas omnino habitantes absque muris, et nudos omni praesidio adgressus est, quandoquidem Christiani ex disciplina Jesu Christi nulla alia arma, quam mansvetudinem, atque patientiam suis persecutoribus opponerent: 12. *ut diripias spolia, et invadas praedam, ut inferas manum tuam super eos, qui deserti fuerant, et postea restituti, et super populum, qui est congregatus ex gentibus, qui possidere coepit, et esse habitator umbilici terrae.* Est hoc nexum adhuc cum antecedente versu. Umbilici autem terrae nomine Israelitica regio, utpote, in edito posita, atque montosa intelligitur, quemadmodum hoc vocabulum etiam Judicum 9. v. 37. sumptum est, ducendo metaphoram ab homine, qui supinus iacet, et in quo tum venter, et umbilicus montis instar supra reliquum corpus eminet. Itaque etiam supra versu 8. montes Israel haec eadem Israelitica regio vocatur.

13. *Saba, et Dedan, et negotiatores Tharsis, et omnes leones eius dicent tibi: numquid ad sumenda spolia tu venis? Ecce ad diripiendam praedam congregasti multitudinem tuam, ut tollas argentum, et aurum, et auferas supellectilem, atque substantiam, et diripias manubias infinitas.* In Hebraeo etiam reliquum usque ad finem huius versus est cum interrogatione. Jnducuntur autem

hae civitates per figuram orationis, quasi admirantes praedationis successum, magnitudinemque praedae. Saba est regio Arabiae. Dedan fuit civitas in Jdumaea supra capitis 25. v. 13. Tharsis a Tharso Ciliciae urbe, quo negotiationis causa undique ex mari venirent, Hebraeis mare isto nomine Tharsis solet dici, ut iam saepe declaratum est. Leonum nomine reges intelliguntur harum civitatum, et regionum: qui sic emineant inter suos, quemadmodum leo excellit inter animalia viribus, et fortitudine.

14. *Propterea vaticinare fili hominis, et dices ad Gog: haec dicit Dominus Deus: numquid non in die illo, cum habitaverit populus meus Israel confidenter, scies?* Quid scies? Quod clare hic positum non est, Chaldaeus sic explicavit: *Scies*, inquit, *ultionem potentiae meae.* 15. *Et venies de loco tuo a lateribus Aquilonis tu, et populi multi tecum, adscensores equorum universi, coetus magnus, et exercitus vehemens.* 16. *Et adscendes super populum meum Israel, quasi nubes, ut operias terram.* In novissimis diebus eris: Hebraice: *in posteritate dierum fiet:* (בְּאַחֲרִית הַיָּמִים תִּהְיֶה) istud videlicet fiet, quod modo de Gogo dictum est, ut adversus populum Israel adscendat, atque bellum ei inferat: *et adducam te super terram meam, ut sciant gentes me, cum sanctificatus fuero in te, in oculis eorum, o Gog.* Sanctificatio hic illa intelligitur, quando Deus suum honorem vindicat puniendo illum, a quo lae-

sus est. Hocque modo de filiis quoque Aaronis, dum supplicium sumpsisset, quod adversus sacerdotale officium peccassent, Deus dicitur sanctificatus esse Levitici 10. v. 3. et in Pharaone glorificatus, dum illum cum universo exercitu perdidit in mari Rubro. Exod. 14 v. 4. Exsplendescit enim Dei honor, atque dignitas, dum ii, qui illam violarunt poenis suis, atque suppliciis declarant, quis ille sit, adversus quem insurgere ausi sunt.
17. *Haec dicit Dominus Deus: Tu ergo ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis, in manu servorum meorum prophetarum Israel, qui prophetaverunt in diebus illorum temporum, ut adducerem te super eos.* Cum haec prophetia sub typica imagine eius rei, quae gesta est per Antiochum adversus Judaeos, postquam revocati ex captivitate, collocati fuissent in pristinis suis sedibus, cultusque Divini instauratio facta esset apud eos, atque adeo ipse Antiochus etiam, ut iam demonstratum est, alium adhuc figuraret, qui Christi deinde Ecclesiam oppugnaturus esset vi omni, et acerbitate persecutor, et adversarius; inter illos autem, quorum plurimi, et infiniti fuerunt, qui Ecclesiam persecuti sunt, unus ille, qui antonomastice Antichristus vocatur, excellat maxime, in singularique numero hic modo instituatur adversus hunc Gog oratio; non est dubitandum, quin, tametsi alii persecutores non excludantur; ad hunc tamen potissimum respectus instituatur. Quocirca illud ipsum bellum, quod ab illo Antichristo omni-

um atrocissimum adversus Ecclesiam excitabitur a Gog, et Magog excitandum dicitur Apocal. 20. v. 7. Hunc vero Antichristum Spiritu Oris sui interficiet Dominus Jesus 2. Thessal. 2. v. 8. Quod cum praedictum sit etiam per Isaiam cap. 11. v. 4. ubi dicit de Christo: „Percutiet terram virga oris „sui, et Spiritu labiorum suorum interficiet im- „pium," itemque cum per eum capitis 41. v. 11. capitis 49. v. 26. tum per alios Prophetas in Ecclesiae hostes poenae, et supplicia denuncientur, illorumque cladem, atque interitum praefiguraverit Pharao in mari submersus cum exercitu. Amalecitae per Moysem devicti Exodi 17. v. 9. et Israelitarum omnes hostes a Davide devicti, qui typum Christi gessit, obscurum non est, quomodo istud adversus Gogum iam pridem, quod is postea tantum adhuc facturus esset, et experturus, praedictum, atque praemonstratum iam per Prophetas etiam anteriores sit. *Ut adducerem te super eos:* intelligitur populus Israel, adversus quem Deus Gogum adducturus esset eo modo, ut iam supra ad versum quartum huius capitis dictum est, et super quem populum Israel Gogum esse adscensurum, fuit versu antecedente.

18. *Et erit in die illa; in die adventus Gog super terram Israel, ait Dominus Deus, adscendet indignatio mea in furore meo.* 19. *Et in zelo meo, in igne irae meae locutus sum, quia,* Hebraice: *si non* (אִם־לֹא) *in die illa erit commotio magna super terram Israel.* Fit iterum re-

spectus ad illa ultima tempora mundi. „Erit enim „tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio „mundi usque modo, neque fiet.“ Matth. 24. v. 21. 20. *Et commovebuntur a facie mea pisces maris, et volucres caeli, et bestiae agri, et omne reptile, quod movetur super humum, cunctique homines, qui sunt super faciem terrae, et subvertentur montes, et cadent sepes, et omnis murus corruet in terram.* Ubi Latinus *sepes* posuit, in Hebraeo est vocabulnm: *Hammadregoth*, significanturque loca, quo adscenditur. Quamobrem Chaldaeus, et Syrus *turres* vertit. In editis autem locis, antiquitus praesertim, construi consveverant munimenta urbium. Haec igitur omnia, quantumcumque haberentur valida, atque fortia, dicuntur tunc destruenda. Quod in fine mundi futurum est. Etiam animantes omnes tunc commovebuntur, utpote periturae cum mundo. 21. *Et convocabo adversus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus: gladius uniuscuiusque in fratrem suum dirigetur.* Hoc est, mutuis caedibus se se hostes in exercitu Gogi conficient. 22. *Et iudicabo eum peste, et sangvine, et imbre vehementi, et lapidibus immensis: ignem, et sulphur pluam super eum, et super exercitum eius, et super populos multos, qui sunt cum eo.* Apocalypseos capitis 20. versu 9. est etiam de hac exercitus Gogi strage vi ignis, qui deiiciendus e caelo super eum est. 23. *Et magnificabor, et sanctifi-*

cabor, et notus ero in oculis multarum gentium, et scient, quia ego Dominus.

CAPVT XXXIX.

Gogo in montibus Israel, eiusque exercitu interfecto bestiae, atque aves undique convocantur ad devorandas interfectorum carnes. Docet Deus, propter iniquitates se se domum Israel tradidisse in captivitatem; ex clementia vero sua eam revocavisse, et a qua deinceps iam numquam faciem suam aversurus sit.

1. *TU autem fili hominis vaticinare adversus Gog,*
et dices: haec dicit Dominus Deus: Ecce ego
super te Gog principem capitis Mosoch, et Thubal,
2. et circumagam te, et educam te, et adscendere te faciam de lateribus Aquilonis, et adducam te super montes Israel:
3. et percutiam arcum tuum in manu sinistra tua, et sagittas tuas de manu dextera tua deiiciam.
4. Super montes Israel cades tu, et omnia agmina tua, et populi tui, qui sunt tecum: feris, avibus, omnique volatili, et bestiis terrae dedi te ad devorandum.
5. Super faciem agri cades: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.
6. Et immittam ignem in Magog, et in his, qui in insulis habitant confidenter: et scient, quia ego Dominus.
7. Et nomen sanctum meum notum faciam in medio po-

puli mei Israel, et non polluam nomen sanctum meum amplius: hoc est, non permittam pollui nomen amplius: ad superioris capitis versum 6. demonstratum est dici de Deo, illum ea etiam facere, quae fieri tantummodo sineret, siquidem sine illo permittente, et vires etiam naturales ad agendum tribuente, fieri nihil prorsus posset: *et scient gentes, quia ego Dominus, Sanctus Israel.* 8. *Ecce venit, et factum est, ait Dominus Deus: haec est, de qua locutus sum.* Hoc tum nondum erat factum, dum a Propheta diceretur. Sed tamen, quasi iam esset factum, proponitur, ad certitudinem eventus declarandam, tam certo illud futurum, quasi iam factum esset.

9. *Et egredientur habitatores de civitatibus Israel, et succendent, et comburent arma, clypeum, et hastas, arcum, et sagittas, et baculos manuum, et contos, et succendent ea igni septem annis.* Pro baculis manuum Syrus fustes in versione posuit. Harpagones autem intelliguntur, quibus ad attrahendas hostium naves in navalibus praeliis utuntur. Ad stragis vero magnitudinem, et eorum, qui in clade occubuerint, multitudinem indicandam ista hostilium armorum tam longa, quaeque septem annis continuetur, combustio pertinet. Septenarium numerum pro magno aliquo, et perfecto numero solere in Scriptura adhiberi, iam saepe declaratum est. Est igitur numerus iste positus pro longissimo aliquo tempore, quo opus sit ad hostilia arma omnia perdenda, et abolenda.

Qui vero tantus armorum numerus rursus spectat ad multitudinem hostium, qui in illo Gogi fuerint exercitu significandam, ut iam dictum est. Numquam autem Judaei in vetere illo suo foedere vel de Antiocho, vel de ullo aliquo suo hoste hoc egerunt, et eiusmodi aliquod bellum confecerunt; ut post victoriam annis septem ad comburenda arma indiguissent: sed nec Ecclesia, ad quam res sub illius Israelitici populi nomine typice pertinet, ut iam demonstratum est, hostes aliquando suos ita debellavit, aut debellatura est, ut arma hostium deinde combureret, cum ne quidem illius sit ferreis armis dimicare, sed tantummodo spiritualibus. Sine pera enim, et sine virga misit Christus Apostolos suos in mundum, et velut oves in medium luporum. Luc. 9. v. 3. Matth. 10. v. 16. Attamen hostes illius omnes interibunt Deo pro Ecclesia sua dimicante, quemadmodum Pharaonis olim delevit exercitum. Est igitur nihil nisi a vulgaribus praeliis per metaphoram transsumpta, et quoad durationem combustionis amplificata oratio: armaque ipsa comburenda dicuntur, quod alias vulgo fieri non solet in bellis: sed victores potius illa in suum usum convertunt, atque hoc ideo, ut significetur, Ecclesiam, postquam triumphaverit de suis hostibus, quod futurum tantummodo est in die iudicii extremi, quousque exposita relinquitur semper oppugnationibus suorum hostium, donec inimici Christi scabellum pedum illius ponantur. Hebr. 10. v. 13. fruituram sempiterna pace, cui

proinde armis, quibus adversus hoses utatur, nullis opus sit, quos iam nullos unquam expertura sit, et quae idcirco arma etiam omnia e manibus hostium excussa, comburat.

10. *Et non portabunt ligna de regionibus, neque succident de saltibus, quoniam arma succendent igni, et depraedabuntur eos, quibus praedae fuerant, et diripient vastatores suos, ait Dominus Deus.* Continuatio est eiusdem allegoriae a vulgaribus praeliis, atque bellis, in quibus victi praeda fiunt victoribus, transferendo orationis colorem ad illam victoriam, quam Ecclesia referet de suis hostibus: quando impii condemnabuntur in iudicio ab illis ipsis, quos ipsi in hoc mundo vexarunt, et afflixerunt, considentibus in tribunali cum Christo, et damnationis sententiam ferentibus. 11. *Et erit in die illa: dabo Gog locum nominatum sepulchrum in Israel, vallem viatorum ad Orientem maris, quae obstupescere faciet praetereuntes, et sepelient ibi Gog, et omnem multitudinem eius, et vocabitur vallis multitudinis Gog.* Quae obstupescere faciet, Hebraice: *Quae obturare faciet* (חֹסֶמֶת) praetereuntes: obturabunt vero nares ob foetorem cadaverum, quae ibi erunt sepulta. 12. *Et sepelient eos domus Israel, ut mundent terram septem mensibus.* Rursus septenarius mensium numerus, pro longissimo aliquo temporis spatio est positus ad indicandam hostium caesorum multitudinem, ad quos humandos tanto tempore opus fuerit, quamvis totus Israeliticus populus in

illis humandis laboraverit. Etiam illud pertinet ad significandam magnitudinem cladis, quod non victi, et capti in praelio adhibiti sint ad tumulanda cadavera suorum, sed Israelitae per seipsos hunc praestare laborem coacti sint. Hoc enim demonstrat, neminem ex hostibus mansisse superstitem, sed esse internecione deletum omnem illorum exercitum.

13. *Sepeliet autem eum omnis populus terrae, et erit eis nominata dies, in qua glorificatus sum, ait Dominus Deus.* 14. *Et viros iugiter constituent lustrantes terram, qui sepeliant, et requirant eos, qui remanserant super faciem terrae, ut emundent eam: post menses autem septem quaerere incipient.* Haec quoque sollicitudo inquirendi cadavera, ne aliquod fortasse in latebris remaneat, terramque foetore inficiat, aut mortuorum ossa aliquos inquinent, si in superficie terrae relinquerentur, denotat belli illius talem perpetrationem, ut nihil prorsus ex eo remaneat, quod molestiam aliquam, et incommoditatem ultra facere possit. Cumque supra dictum sit septem menses duraturam hostilium cadaverum humationem, huic coeptae narrationi conformiter dicitur deinde post hos septem menses instituendam adhuc esse delitescentium cadaverum investigationem. 15. *Et circuibunt peragrantes terram: cumque viderint os hominis, statuent iuxta illud titulum, donec sepeliant illud pollinctores in valle multitudinis Gog.* Quaesitores cadaverum penes os a se reper-

tum statuent tantum aliquod signum: alii vero, dicantur futuri, qui ossa colligant, et in eodem loco cum ceteris cadaveribus hostium sepeliant. Pollinctor Latine is dicitur, qui cadaver defuncti ungit, et curat, antequam sepeliatur. Hic positum est pro illo, qui ipsam sepulturam etiam praestat. 16. *Nomen autem civitatis Amona, et mundabunt terram.* Vox haec Hebraica *Amona* significat multitudinem: denotaturque ea ipse ille locus, ubi multitudo hostium sepelietur, et tamquam, quae illis mortuis civitas ad habitandum futura sit.

17. *Tu ergo fili hominis, haec dicit Dominus Deus: dic omni volucri, et universis avibus, cunctisque bestiis agri: convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israel, ut comedatis carnem, et bibatis sangvinem.* Victima non semper illud vocatur pecus, quod in sacrificio mactatur, sed quod alia etiam ratione iugulatur: quemadmodum Geneseos 43. v. 16. isto nomine appellantur eae etiam pecudes, quae mactatae sunt per Josephum ad instruendum suis fratribus convivium. 18. *Carnes fortium comedetis, et sangvinem principum terrae bibetis, arietum et agnorum, et hircorum, taurorumque, et altilium, et pingvium omnium.* Carnes ex occisorum hostium corporibus epulum vocatur ex arietum, agnorum, hircorum, taurorum, atque altilium carnibus instructum erga aves, atque bestias, similitudine desumpta ab hominum conviviis. 19. *Et*

comedetis adipem in saturitatem, et bibetis sangvinem in ebrietatem de victima, quam ego immolabo vobis. 20. *Et saturabimini super mensam meam de equo, et equite forti, et de universis viris bellatoribus, ait Dominus Deus.* 21. *Et ponam gloriam meam in gentibus, et videbunt omnes gentes iudicium meum, quod fecerim et manum meam, quam posuerim super eos.* 22. *Et scient domus Israel, quia ego Dominus Deus eorum a die illa, et deinceps.* Est a Christo ad Judaeos dictum: „Neque me scitis, neque Patrem „meum: si me sciretis, forsitan et Patrem meum „sciretis." Joan. 8. v. 19. Ex quo perspicuum est, non ad illos, qui redierunt ex captivitate Babylonica, ac postea in Judaea rursus habitarunt, Israelitas, nisi tenuiter quoad aliquos, pertinuisse hoc, quod modo dictum est; domum Israel scituram Deum a die illa, qua superior facta esset suis hostibus, et semper deinceps, sed omnino spectare hoc ad novi foederis Israelitas, et ad Ecclesiam, quae cum modo deficere a cultu Dei, et a Religione non potest; tum post debellatos omnes suos hostes posita in triumphali statu immobilis in cognoscendo, amando, fruendoque Deo in perpetuum erit. 23. *Et scient gentes, quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israel, eo quod dereliquerint me, et absconderim faciem meam ab eis, et tradiderim eos in manus hostium, et ceciderint in gladio universi.* 24. *Juxta immunditiam eorum, et scelus feci eis, et abscondi faciem meam illis.* De Israelitis est

hoc, et Abrahae posteris secundum carnem, quos Deus a se universos abiecerit, et reprobaverit propter scelus suum, quo Deum reliquerunt, illiusque madata omnia perfregerunt.

25. *Propterea haec dicit Dominus Deus: nunc reducam captivitatem Jacob, et miserebor omnis domus Israel, et assumam zelum pro nomine sancto meo.* Hoc vero de illis Israelitis, et filiis Dei est, quos dispersos Christus congregavit in unum. Joan. 11. v. 52. quique Abrahae secundum Isaac promissionis essent filii, non secundum carnem, sed secundum spiritum, ut S. Paulus inquit ad Galatas 4. v. 27. Dumque Deus illos assumit in suum populum, sui nominis studio hoc sese dicit facere: quemadmodum idem istud iam etiam fuit supra capitis 36. versu 22. et 32. quae scilicet vocationis eorum gloria tota refundatur in Deum, cuius pure gratuito dono, non suo aliquo merito consecuti sint hanc vocationem. Deinde assumpsit Deus zelum pro nomine sancto suo etiam hac ratione, quod cum illius Israelis, quem in veteri foedere habuit pro suo populo, captivitate, hostilique direptione laesa, atque violata eius existimatio fuisset apud alias gentes, qui illius impotentia, atque infirmitate putabant esse factum, quod victus esset atque in praedam cessisset hostibus ipsius populus; ideo populum ipse sibi illo priore longe maiorem, et numerosiorem summa celeritate reparaverit.

26. *Et portabunt confusionem suam, et omnem praevaricationem, qua praevaricati sunt in me, cum habitaverint in terra sua confidenter neminem formidantes, 27. et reduxero eos de populis, et congregavero de terris inimicorum suorum et sanctificatus fuero in eis, in oculis gentium plurimarum.* Portare iniquitatem solet alias sumi in Scriptura pro poena, et supplicio, quod quis luit, atque subit propter suum peccatum. At hic verecundiam denotat, quam illi ante se ferrent, quosque praevaricationis suae puderet, qui vocati a Deo ad eius populum, et conversi essent ad Christum. Sic enim ad Jerusalem dictum fuit a Deo etiam Supra capitis 16. versu 63. „Ut recorderis, „et confundaris, et non sit tibi ultra aperire os prae „confusione tua, cum placatus tibi fuero in omnibus, „quae fecisti.“ Et S. Paulus ad Romanos cap. 6. v. 21. „Quem ergo, inquit, fructum habuistis „tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?“ 28. *Et scient, quia ego Dominus Deus eorum, eo quod transtulerim eos in nationes, et congregaverim eos super terram suam, et non dereliquerim quemquam ex eis ibi.* Translatio pertinet ad Israelem veterem, congregatio ad Israelem foederis novi. Ex hoc vero, qui potuerit populum suum revocare, istudque facto declaraverit, docet manifestum etiam futurum, captivitatem quoque prioris sui populi accidisse ipsius nutu, atque potestate, non quasi ei hostes praevaluissent. Nam qui captum ex potestate hostium scivit recuparare, et dissipa-

tum populum congregare; is etiam potuisset illum, si voluisset, conservare eadem vi, atque potentia, qua revocavit. Et nullus, qui ad eius populum pertineret, dicitur derelinquendus in captivitate. Nam „quos praedestinavit, hos et vocavit; et quos „vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustifi- „cavit, illos et glorificavit." Rom. 8. v. 30. „Ex „his nemo perit, ait S. Augustinus contra Julian. „lib. 5. cap. 6. quacumque aetate moriatur. Absit „, enim, ut praedestinatus ad vitam sine sacramen- „to Mediatoris finire permittatur hanc vitam. Pro- „pter hos Dominus ait: Haec est autem voluntas „eius, qui misit me Patris, ut omne, quod de- „dit mihi, non perdam ex eo." Joan. 6. v. 39.

29. *Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim Spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus.* Istud de perpetuo Dei favore erga Israelem, Spiritusque sui effusione super illum, cum dubium esse non possit, quin spectet ad novum Testamentum, quae est Lex gratiae, praebet certissimum argumentum ad confirmandum, illud quoque, quod modo antecessit isto, et superiore capite de debellatione hostium Gog, et Magog huc pertinere, ea ratione, qua superiore capite demonstratum est. Sed etiam idem confirmatur, quod, ut iam ad superioris capitis versum 17. dictum est, hostes qui extremo mundi tempore gravissimam adhuc tempestatem excitaturi sunt adversus Ecclesiam, his ipsis, Gog, et Magog nominibus designentur. Sic enim est Apo-

calipsis 20. v. 7. „Et cum consummati fuerint „mille anni, solvetur satanas de carcere suo, et „exibit, et seducet gentes, quae sunt super quatuor „angulos terrae Gog, et Magog, et congregabit „eos in praelium, quorum numerus est, sicut are- „na maris, et adscenderunt super latitudinem ter- „rae, et circuierunt castra Sanctorum, et civitatem „dilectam, et descendit ignis a Deo de caelo, et „devoravit eos.“ Illa sola differentia inter Joannem, et Ezechielem est, quod ille de ultimo tantum tempore hic loquatur; Ezechiel autem anteriora etiam tempora, atque illud iam attingat, quo recenter constituta est Ecclesia. Fuit autem Ecclesia, et in principio statim exagitata persecutionibus, et in fine mundi perpetietur adhuc gravissimas adversitates, et numquam non, instar navis in medio mari, exposita est ventis, atque fluctibus. Salebras autem, ac difficultates multis ea res fecit, quod in hoc Ezechielis vaticinio hoc, quod typicum adhuc esset, ab antitypico non distinxerint, cumque totum ad unam aliquam personam, vel gentem vellent referre, illud qua ratione aptarent, ut omnia inter se bene haererent, non invenerint. Est autem familiare hoc Scripturae, dum in typico habitu aliquid proponit, ut quemadmodum lumen si tegatur, et claudatur, per rimas se foras effundat; ita sub velamine typico clarius etiam ipse antitypus saepe transluceat, et Propheta imagini typicae eiusmodi colores admisceat, quibus directe ipsum antitypum tangat. Ista ra-

tione 2. Reg. 7. v. 14. Nathan cum de Salomone, veluti typo Christi, coepisset loqui, claram prophetiam edidit de Christo, itaque ratione Psalmum secundum, pluresque alios David cecinit, isto pacto Prophetae alii saepe vaticinia sua proposuerunt, ut suis locis a me demonstratum est. Reliquum, quod modo sequetur, ita nectitur cum eo, quod nunc antecessit, ut posteaquam Israeliticus populus reversus esset ex captivitate, in terraque sua habitare coepisset; templum nunc, et urbs Jerusalem describatur, quali magnificentia, atque amplitudine exstructa utraque sint. In quo, cum non difficilis coniectura sit; ulterior adhuc interpretatio declarabit, omnino pertinere istud omne ad illud templum, de quo Paulus dicit: „Vos estis templum Dei vivi" 1. Cor. 16. et ad illam civitatem Jerusalem, quam etiam S. Joannes vidit in Apocalypsi cap. 21. v. 2. ornatam, tamquam sponsam viro suo, et cuius Sponsus ipse esset Christus. Sicut statim in principio in Cherubinicis animalibus, ita in aliis etiam pluribus rebus inter Ezechielem, et Joannem intercedunt rerum convenientiae.

CAPUT XL.

Fit descriptio novi templi, quod post reditum Israelitarum ex captivitate aedificandum sit.

1. *IN vigesimo quinto anno transmigrationis no-
strae, in exordio anni, decima mensis, quarto-
decimo anno, postquam percussa est civitas, in
ipsa hac die facta est super me manus Domini,
et adduxit me illuc.* 2. *In visionibus Dei ad-
duxit me in terram Israel, et dimisit me super
montem excelsum nimis, super quem erat quasi
aedificium civitatis vergentis ad Austrum.* Hoc
aedificium civitatis infra versu 5. domus vocatur:
templumque intelligitur, quod propter suam am-
plitudinem, multitudinemque variorum aedificio-
rum, quae adiuncta erant templo, et in quibus
alia erant gazophylacia, alia sacerdotum, atque
Levitarum habitacula, insuper porticus, et atria,
speciem quamdam exhiberet integrae urbis. 3. *Et
introduxit me illuc. Et ecce vir, cuius erat spe-
cies, quasi species aeris, et funiculus lineus in
manu eius, et calamus mensurae in manu eius:
stabat autem in porta.* 4. *Et locutus est ad me
idem vir: fili hominis, vide oculis tuis, et auri-
bus tuis audi, et pone cor tuum in omnia, quae
ego ostendam tibi: quia ut ostendantur tibi, ad-
ductus es huc: annuncia omnia, quae tu vides,
domui*

domui Israel. 5. *Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique, et in manu viri calamus mensurae sex cubitorum, et palmo:* Hebraice: *Sex cubitorum in cubito, et palmo* (שֵׁשׁ־אַמּוֹת בָּאַמָּה וָטֹפַח) ut scilicet intelligerentur cubiti eiusmodi, quorum unus cubito, et insuper palmo constaret, ac proinde qui cubiti non ordinarii essent, sed vulgaribus palmo maiores. *Et mensus est latitudinem aedificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno.* 6. *Et venit ad portam, quae respiciebat viam Orientalem, et adscendit per gradus eius, et mensus est limen portae calamo uno latitudinem, id est, limen unum calamo uno in latitudine.* Sensus est, portam, eiusque limen latitudine, et crassitie ea fuisse, quam longus ipse fuit calamus; quo mensuratio instituebatur. 7. *Et thalamum uno calamo in longum, et uno calamo in latum, et inter thalamos quinque cubitos:* „Thalami, id est cubi„cula, ait S. Hieronymus, quae post portam „Orientalem erant aedificata in vestibulis:“ 8. *et limen portae iuxta vestibulum portae intrinsecus, calamo uno.* Verbum: mensus est ex versu sexto intelligitur tam in hoc, quam superiore versu. Res autem sic concipi debet, ut ante thalamos, quos describit, vestibulum fuerit, quod tam ab exteriore, quam interiore sua parte habuerit portam. Atque de hac interiore est modo sermo.

9. *Et mensus est vestibulum portae octo cubitorum, et frontem eius duobus cubitis: vestibulum autem portae erat intrinsecus.* Per vestibulum portae intelligitur hic vacuum spatium inter postes, et ultra quod vestibulum frons, id est, margo prominens esset latus cubitos duos. Quamobrem infra versu 11. latitudo liminis portae dicitur fuisse cubitorum decem. Vestibulum hoc portae erat intrinsecus, nimirum, ut modo dictum est, continebatur illo spatio, quod erat inter duos eius postes. Nec hoc contrarium est illi, quod superiore versu limen huius portae dicatur mensuram habuisse calami unius, qui sex cubitis constabat. Nam hoc de crassitie ipsius liminis est intelligendum. 10. *Porro thalami portae ad viam Orientalem tres hinc, et tres inde: mensura una trium, et mensura una frontium ex utraque parte.* In vestibulo non portae, sed quod post portam sequebatur, qua iretur ad atrium ex latere templi Orientali, erant ex utroque vestibuli latere tres portae, per quas ad tot idem thalamos esset ingressus, quaeque portae tam quoad se ipsas, quam quoad frontes, et margines, eiusdem fuerunt mensurae. 11. *Et mensus est latitudinem liminis portae decem cubitorum, et longitudinem portae tredecim cubitorum.* Longitudo pro altitudine est posita. 12. *Et marginem ante thalamos cubiti unius, et cubitus unus finis utrimque.* Thalamus primus, et ultimus ex parte, qua erat initium, et finis in vestibulo intercapedinem unius cubiti ad portam suam usque habuit. *Thala-*

mi autem sex cubitorum erant hinc, et inde. Ex utraque videlicet vestibuli parte.

13. *Et mensus est portam a tecto thalami usque ad tectum eius, latitudinem viginti quinque cubitorum: ostium contra ostium.* Nempe, cum sibi portae thalamorum ex utroque latere vestibuli constitutae, opponerentur, tanto ab se invicem, quantum est spatium viginti quinque cubitorum, intervallo distabant. Superne autem mensura est instituta ab unius thalami ad alterius sibi oppositi thalami tectum. 14. *Et fecit frontes per sexaginta cubitos, et ad frontem atrium portae undique per circuitum.* Frontes hae intelliguntur non thalamorum, sed ipsius atrii, quod sequebatur post vestibulum. Ad tantam enim altitudinem Cyrus concesserat, uti evehere possent molem templi, quod aedificaturi erant, 1. Esd. 6. v. 3. et ad quae atria conveniebatur tamquam ad templum, cum vestibula, et thalami essent tantum pro domicilio sacerdotum, et Levitarum. Itaque altitudo muri intelligitur, qui intercederet inter vestibulum, ubi thalami erant, et inter atrium: et in quo muro, qui ambiret atrium, *et ad frontem atrium portae*, Hebraice: *Et per frontem atrii* (וְאֶל־אֵיל הֶחָצֵר) portae erant undique per circuitum: nimirum per illum sexaginta cubitos altum murum, qui cingebat atrium, portae erant ex omni parte, videlicet in quatuor illius lateribus. 15. *Et ante faciem portae, quae pertingebat usque ad faciem vestibuli portae interioris, quinquaginta cubitos.* A porta una vi-

delicet atrii ad alteram oppositam tot cubitorum erat distantia. 16. *Et fenestras aliquas in thalamis, et in frontibus eorum, quae erant intra portam undique per circuitum:* Quae erant intra portam vestibuli fenestrae undique per circuitum: ex utroque videlicet eius latere, ubi erant thalami constituti, erant hae etiam fenestrae in frontibus portarum factae. *Similiter autem erant, et in vestibulis fenestrae per gyrum intrinsecus, et ante frontes pictura palmarum.* Hae scilicet fenestrae erant, per quas lumen ad ipsum vestibulum intromitteretur.

17. *Et eduxit me ad atrium exterius: et ecce gazophylacia, et pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum: triginta gazophylacia in circuitu pavimenti.* Atrium hoc exterius erat, ubi populus consistebat, et praeter quod aliud erat interius, ubi sacerdotes sacrificabant. Erat etiam tertium, quod atrium gentium dicebatur, ad quod gentilibus permittebatur introitus. Sed de quo nullam Ezechiel in hac descriptione mentionem facit. 18. *Et pavimentum in fronte portarum secundum longitudinem portarum erat inferius.* Hoc est, tota altitudo portarum, atque earum etiam ima pars eminebat supra pavimentum, ipsumque portarum limen inferius altius fuit constitutum, quam ipsum fuerit pavimentum. Pavimentum in fronte portarum est presse iuxta Hebraeum: *ad humerum portarum* (אֶל־כֶּתֶף הַשְּׁעָרִים) significatque pavimentum illud fuisse humerorum instar ad sustentandas portas: cui videlicet pavimento insisterent, sed ita,

ut limen tamen ipsum emineret supra pavimentum. 19. *Et mensus est latitudinem a facie portae inferioris usque ad frontem atrii interioris extrinsecus, centum cubitos ad Orientem, et ad Aquilonem.* Cum templum exhiberetur exstructum in monte; atria, quae circa illud erant collocata, sic etiam concipiuntur, ut quae essent a templo remotiora, essent etiam in loco decliviore. Atrium autem sacerdotum erat proximum templo, et post hoc atrium populi. Itaque porta inferior, quae hic memoratur, est porta exterioris atrii pro populo, eaque exterior, ac proinde ratione montis inferior. Atque hinc, et ab hac porta mensuratio latitudinis atrii istius instituta est usque ad frontem atrii interioris extrinsecus, id est, usque ad portam interioris atrii, qua haec foras spectabat ad exterius atrium: latitudoque illius atrii dicitur centum cubitorum fuisse tam Orientem versus, quam Aquilonem. Inter duas autem portas facta haec mensuratio, quomodo ad duas diversas plagas spectare potuit? Cum dixisset a porta inferiore ad frontem atrii interioris intercessisse centum cubitos, et in qua mensuratione directio facta sit Orientem versus ab Occidente; eamdem deinde mensuram dicit fuisse etiam Aquilonem versus, sed debet intelligi a latere atrii eiusdem meridionali, ita ut atrium hoc intelligatur fuisse quadratum. 20. *Portam quoque, quae respiciebat viam Aquilonis atrii exterioris mensus est tam in longitudine, quam in latitudine.* 21. *Et thalamos eius tres hinc, et tres*

inde, et frontem eius, et vestibulum eius secun-
dum mensuram portae prioris, quinquaginta cu-
bitorum longitudinem eius, et latitudinem viginti
quinque cubitorum. 22. *Fenestrae autem eius, et*
vestibulum, et sculpturae secundum mensuram por-
tae, quae respiciebat ad Orientem: et septem gra-
duum erat adscensus eius, et vestibulum ante eam.
23. *Et porta atrii interioris contra portam Aqui-*
lonis, et Orientalem: hoc est, ex atrio interiore
erat porta alia, quae respiceret portam atrii exte-
rioris Aquilonarem, alia, quae respiceret eiusdem
atrii exterioris portam Orientalem: *Et mensus est*
a porta usque ad portam centum cubitos.

24. *Et eduxit me ad viam Australem, et*
ecce porta, quae respiciebat ad Austrum: et men-
sus est frontem eius, et vestibulum eius iuxta men-
suras superiores: 25. *et fenestras eius, et vesti-*
bula in circuitu, sicut fenestras ceteras, quin-
quaginta cubitorum longitudine, et latitudine vi-
ginti quinque cubitorum. 26. *Et in gradibus septem*
adscendebatur ad eam, et vestibulum ante fores
eius, et caelatae palmae erant, una hinc, et al-
tera inde in fronte eius. 27. *Et porta atrii inte-*
rioris in via Australi: et mensus est a porta us-
que ad portam in via Australi centum cubitos.
28. *Et introduxit me in atrium interius ad portam*
Australem, et mensus est portam iuxta mensuras
superiores: 29. *thalamum eius, et frontem eius,*
et vestibulum eius eisdem mensuris, et fenestras
eius, et vestibulum eius in circuitu quinquaginta

cubitos longitudinis, et latitudinis viginti quinque
cubitos: 30. et vestibulum per gyrum longitudine
viginti quinque cubitorum, et latitudine quinque
cubitorum. Juxta Hebraeum vestibula sunt in numero plurali: (אֵלַמּוֹת) atque adeo plura haec fuisse
intelliguntur, quae circa atrium, ista magnitudine,
quae hic posita est, fuerint exstructa. 31. *Et vestibulum eius ad atrium exterius, et palmas eius in*
fronte: et octo gradus erant, quibus adscendebatur per eam.

32. *Et introduxit me in atrium interius per*
viam Orientalem, et mensus est portam secundum
mensuras superiores, 33. thalamum eius, et frontem eius, et vestibulum eius, sicut supra, et fenestras eius, et vestibula eius in circuitu longitudine quinquaginta cubitorum, et latitudine viginti
quinque cubitorum, 34. et vestibulum eius, id
est, atrii exterioris, et palmae caelatae in fronte
eius hinc, et inde, et in octo gradibus adscensus
eius. 35. Et introduxit me ad portam, quae respiciebat ad Aquilonem, et mensus est secundum
mensuras superiores: 36. thalamum eius, et frontem eius, et vestibulum eius, et fenestras eius
per circuitum longitudine quinquaginta cubitorum,
et latitudine viginti quinque cubitorum: 37. Et
vestibulum eius respiciebat ad atrium exterius, et
caelatura palmarum in fronte eius hinc, et inde,
et in octo gradibus adscensus eius. 38. Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum:
ibi lavabant holocaustum. 39. Et in vestibulo por-

tae duae mensae hinc, et duae mensae inde, ut immoletur super eas holocaustum, et pro peccato, et pro delicto. 40. *Et ad latus exterius, quod adscendit ad ostium portae, quae pergit ad Aquilonem, duae mensae; et ad latus alterum ante vestibulum portae, duae mensae.* 41. *Quatuor mensae hinc, et quatuor mensae inde: per latera portae octo mensae erant, super quas immolabant.* 42. *Quatuor autem mensae ad holocaustum, de lapidibus quadris exstructae, longitudine cubiti unius, et dimidii, et latitudine cubiti unius, et dimidii, et altitudine cubiti unius, super quas ponant vasa, in quibus immolatur holocaustum, et victima.* 43. *Et labia earum palmi unius, reflexa intrinsecus per circuitum; super mensas autem carnes oblationis.*

44. *Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portae respicientis ad Aquilonem, et facies eorum contra viam Australem, una ex latere portae Orientalis, quae respiciebat ad viam Aquilonis.* Et extra portam interiorem *cubicula cantorum* (לִשְׁכוֹת שָׁרִים) in atrio interiori, hoc est, ad atrium interius, extra tamen illius portam: cubiculumque hoc aliud erat in latere portae, quae respiciebat Aquilonem, et e cuius regione, oppositaque parte plaga esset Australis; unum aliud autem cubiculum ex latere portae Orientalis, quod latus cadebat sursum versus ad Aquilonem. Est enim Oriens medio loco inter Aquilonem, et Austrum, ita ut respectu Orien-

tis Aquilo sursum, Auster deorsum spectet. 45. *Et dixit ad me: hoc est gazophylacium*, cubiculum, ut superiore versu fuit, *quod respicit viam Meridianam, sacerdotum erit, qui excubant in custodiis templi.* 46. *Porro gazophylacium, quod respicit ad viam Aquilonis, sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium altaris. Isti sunt filii Sadoc, qui accedunt de filiis Levi ad Dominum, ut ministrent ei.* Sunt haec conclavia rursus diversa a praecedentibus. Illa enim erant cantorum, qui ex Levitis esse consveverant, haec sacerdotum. Sadoc summus sacerdos fuit sub Salomone, quando deinde exstructum fuit prius illud sub eodem Salomone templum, et ad quem dignitas summi sacerdotis translata fuit deposito Abiathare, qui fuit ex familia Heli, cuius filii indigne functi erant munere sacerdotu 3. Reg. 2. v. 35. Quae res, quod typum gesserit reprobationis veteris sacerdotii, et institutionis sacerdotii novi per Christum, est demonstratum ex S. Augustino ad 3. Regum cap. 2. versum 35. Cumque, ut ad finem capitis praecedentis iam declaratum est ista novi templi, facta Ezechieli per visionem Propheticam exhibitio, ad designandam novi Testamenti Ecclesiam pertinuerit; intelligitur, quale etiam sacerdotium per Sadocum typico illius nomine significatum sit: tantoque magis, quod ad hanc significationem vis etiam sit in eius nomine. Hoc enim Justum significat. Est vero de sacerdotibus novi Testamenti: „Et erunt Domi„no offerentes sacrificia in iustitia." Malach. 3. v. 3.

Nec profecto istae descriptiones vestibulorum, atriorum, gazophylaciorum, de quibus adhuc sequetur postea, et in quibus thesauri, atque supellex templi asservabatur, totaque structurae ratio vacabat imaginibus, quibus depingerentur res Ecclesiae novi Testamenti. Nam, quod thalami, et habitacula pro sacerdotibus, et Levitis essent exstructa intra ambitum ipsius templi, quodque similitudinem cuiusdam civitatis ante se ferret, ut est initio huius capitis; procul dubio illud designabat, eos, qui essent in Ecclesia, futuros cives sanctorum, et domesticos Dei, Ephes. 2. v. 19. tamquam in eadem domo cum Deo. In vestibulis adhuc hic tamen, et in atriis, siquidem, quamdiu adhuc in hoc corpore sumus, peregrinemur a Domino 2. Cor. 5. v. 6. et in requiem aeternae felicitatis, quae est in templo, ubi Deus habitat, quodque est ipsum caelum, ingressi nondum simus. Cumque sacerdotum, et Levitarum fuisset servire Deo, et ministrare; figurabatur, fideles in Ecclesia omnes futuros sacerdotes, Deique ministros, et ut S. Petrus, inquit „Domus spiritualis, sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo „per Jesum Christum.“ 1. Petr. 2. v. 5. Gazophylacia autem, et thesauraria templi procul dubio designabant spiritualium thesaurorum abundantiam, quibus per Christum locupletanda esset Ecclesia. Per gradus iam septem, iam octo ubique in templo scandebatur, siquidem ea, quae sursum sunt, nobis sint quaerenda, ubi Christus est in dextera Dei

sedens, et quae sursum sunt, nobis sint sapienda, non quae super terram. Colos. 3. v. 1. Cumque septenarius numerus, et tanto magis octonarius phrasi Scripturae rei, de qua adhibetur perfectionem, et absolutionem significet, ut iam saepe demonstratum est; profecto vel ipsis his gradibus significatur Christianae virtutis perfectio, in qua nobis incedendum sit, qui hic adhuc peregre sumus in hoc corpore, et quod per eam, perveniatur ad caelum, quod est Dei habitaculum. Quo etiam illud pertinet, quod in thalamorum, et vestibulorum frontibus conspicerentur palmae caelatae, ad indicandum eo perveniri nonnisi per pugnam, atque victoriam. „Non enim coronabitur, nisi legitime certaverit." 2. Tim. 2. v. 5. Ad atria deinde sunt portae, atque viae undique ex omnibus plagis mundi, siquidem Ecclesia constet ex fidelibus, qui ad eam conveniunt, et congregantur ex universo mundo. Est denique templum aedificatum in monte excelso nimis, ut est versu huius capitis secundo. Hoc enim idem etiam per Isaiam cap. 2. v. 2. praedictum est: „Erit in novissimus diebus praeparatus mons do- „mus Domini in vertice montium, et elevabitur „super colles, et fluent ad eum omnes gentes:" tamquam quae Ecclesia futura sit in conspicuo omnibus loco, ut sit exposita omnibus oculis, ut confluere ad eam, et intrare, si velint, omnes homines ex toto mundo possint. Cuius templi structura similitudinem habebat cuiusdam civitatis ad denotandam videlicet eius amplitudinem, atque magni-

tudinem, hominumque, a quibus, veluti civibus incoleretur, designandam frequentiam.

47. *Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum, et latitudine centum cubitorum per quadrum, et altare ante faciem templi.* 48. *Et introduxit me in vestibulum templi, et mensus est vestibulum quinqne cubitis hinc, et quinque cubitis inde; et latitudinem portae trium cubitorum hinc, et trium cubitorum inde.* 49. *Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum, et latiludinem undecim cubitorum, et octo gradibus adscendebatur ad eam. Et columnae erant in frontibus una hinc, et altera inde.* Vestibulum hoc erat, quod intercedebat inter atrium interius, quod sacerdotum erat atrium, et in quo altare holocaustorum stabat, et per quod vestibulum intrabatur ad ipsum templum. Est imago huius templi, quod Ezechieli modo per visionem exhibitum est, secundum illam formam expressa, qua exstructum fuit a Salomone templum, et in quo rursus Salomon rationem habuit illius tabernaculi, quod a Moyse exstructum fuit in deserto. Cumque et tabernaculum, et Salomonis templum adumbraverint ipsum hoc, quod etiam Ezechieli modo exhibitum est in figura istius, quod vidit templi, hoc est Ecclesiam; profecto mirum videri non debet, cur structurae etiam conformitas eadem in utroque templo sit.

CAPVT XLI.

Fit continuatio eiusdem, quae superiore capite fuit, descriptionis.

1. *ET introduxit me in templum, et mensus est frontes, sex cubitos latitudinis hinc, et sex cubitos latitudinis inde, latitudinem tabernaculi.* Portae solius haec erat mensura, ita ut porta ipsa lata esset cubitos decem, frontes autem illius, id est margines, quibus eadem porta esset vestita, quique magis prominerent, et ob quam causam frontes etiam vocantur, duos cubitos insuper latitudinis haberent. Nam ipsius tabernaculi, ut sequetur, multo maior fuit amplitudo. 2. *Et latitudo portae decem cubitorum erat; et latera portae quinque cubitis hinc, et quinque cubitis inde: et mensus est longitudinem eius quadraginta cubitorum, et latitudinem viginti cubitorum.* 3. *Et introgressus intrinsecus mensus est in fronte portae duos cubitos, et portam sex cubitorum, et latitudinem portae septem cubitorum.* Quo introgressus dicitur is, qui coram Propheta mensurationem instituebat, erat tabernaculi interior pars, quod dicebatur Sanctum sanctorum, ut est versu sequenti. Hic ergo mensus est in fronte portae, limen ipsius scilicet, quanta illius esset latitudo: duos autem cubitos habuit limen in latitudine: por-

tam deinde mensus est, quaeque lata fuit cubitos sex, eadem vero porta rursus dicitur habuisse latitudinem septem cubitorum cum suo videlicet margine, et peripheria. 4. *Et mensus est longitudinem eius viginti cubitorum, et latitudinem eius viginti cubitorum ante faciem templi, et dixit ad me: hoc est Sanctum sanctorum.* Ante faciem templi Hebraice: *ad facies templi* (אֶל־פְּנֵי הַהֵיכָל) hoc est ergo, per illius parietes, et latera.

5. *Et mensus est parietem domus sex cubitorum, et latitudinem lateris quatuor cubitorum undique per circuitum domus.* Mensuratio hic illa intelligitur, quanta ipsius muri, et parietis fuerit latitudo, et crassities. Cumque duplex eius latitudo dicatur fuisse, sex, et quatuor cubitorum; illa prior debet sumi de eius inferiore parte, altera tenuior de eius parte superiore, ut vulgo aedificia omnia sic struuntur, ut in altum procedendo semper magis constringantur parietes. 6. *Latera autem, latus ad latus, bis triginta tria, et erant eminentia, quae ingrederentur per parietem domus in lateribus per circuitum, ut continerent, et non attingerent parietem templi.* Hoc ita concipiendum est. Juxta templi, ubi intus Sanctum sanctorum fuit, utrumque latus, secundum longitudinem, foris fuisse adiuncta caenacula: sed horum structiones non habuisse communem murum cum templo reverentiae causa, ne idem murus templi serviret etiam habitationi hominum: habuisse tamen aliquas prominentias, et dentes, per

quos cum muro templi necterentur vicina alia ad usus sacerdotum aedificia, atque ita muro templi insisterent, et ab eo firmarentur alia aedificia, sed tamen vacuum aliquod spatium intercederet, ne murus aliorum conclavium attingeret murum ipsius templi.

7. *Et platea erat in rotundum adscendens sursum per cochleam, et in caenaculum templi deferebat per gyrum: idcirco latius erat templum in superioribus, et sic de inferioribus adscendebatur ad superiora in medium.* Plateam vocat ipsam illam viam in cochlea, qua sursum adscendebatur. Est autem cochlea scala in modum limacis constructa. 8. *Et vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio.* Hoc est, altitudo tanta erat, ut fundamento, et basi insisteret latae cubitos sex: 9. *et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum: et erat interior domus in lateribus domus.* Latitudo haec, quam se vidisse dicit quinque cubitorum, erat in muro, ubi is a terra sursum incoepit procedere, qui, ut superiore versu fuit, in fundamento erat latus cubitos sex. Idem vero versu quinto dicitur latus fuisse cubitos quatuor, nempe, ut ibi dictum est, hoc est de superiore eius parte, quod muri, quo magis procedunt in altum, tenuius semper struantur. *Et erat interior domus in lateribus domus.* Interior domus erat ipsum templum, quod aliis aedificiis undique cingeretur. Interior igitur

illa domus, quae proprie erat templum, lateribus claudebatur domus, quae domus, et quae aedes forinsecus ad templi latera erant exstructae.

10. *Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus undique:* Verbum: *vidi*, etiam hic adhuc intelligitur ex versu octavo, 11. *et ostium lateris ad orationem: Ostium unum ad viam Aquilonis, et ostium unum ad viam Australem, et latitudinem loci ad orationem quinque cubitorum in circuitu:* 12. *et aedificium, quod erat separatum, versumque ad viam respicientem ad mare*, quae via respiciebat ad mare: hoc vero ad Occidentem erat respectu Jerusalem, et Judaeae: *latitudinis septvaginta cubitorum. Paries autem aedificii quinque cubitorum latitudinis per circuitum, et longitudo eius nonaginta cubitorum.* 13. *Et mensus est domus longitudinem centum cubitorum, et quod separatum erat aedificium, et parietes eius longitudinis centum cubitorum.* Haec rursus alia fuit domus, et diversa a praecedente, quae sita erat ad latus templi Orientale, ut est in subsequente versu, cum prior respiceret ad mare, et ad Occidentem. 14. *Latitudo autem ante faciem domus, et eius, quod erat separatum contra Orientem, centum cubitorum.* Latitudo haec erat illius eiusdem domus, cuius longitudo exposita est versu antecedente. Haec domus autem ante faciem illius domus fuit collocata, quod ipsum erat templum.

15. *Et*

15. *Et mensus est longitudinem aedificii contra faciem eius, quod erat separatum ad dorsum: ethecas ex utraque parte centum cubitorum, et templum interius, et vestibula atrii.* Rursus istud aliud memoratur aedificium, quod ad antecedentis dorsum esset aedificatum, et ad eam illius partem, quae esset posterior, et in oppositam partem prospectans a templo: et e quorum aedificiorum, quae ante, et post templum essent posita, utroque latere rursus essent constructae ethecae: Solaria haec vocat S. Hieronymus. Intelliguntur autem peristylia, suntque aedificiis adiuncta ambulacra columnis suffulta, et cancellis clausa. 16. *Limina, et fenestras obliquas, et ethecas in circuitu per tres partes contra uniuscuiusque limen, stratumque lignum per gyrum in circuitu: terra autem usque ad fenestras, et fenestrae clausae super ostia.* Ellipsis est praepositionis *a*: a terra autem usque ad fenestras stratum erat lignum per gyrum in circuitu; paries nimirum a terra sursum usque ad fenestras erat tabulato ligneo vestitus. *Et fenestrae clausae super ostia:* hoc est, fenestrarum foramina erant peristylio quoque munita. Ostium igitur vocatur earum apertura, quaeque, ut modo dictum est peristylio parvo circumdabatur, more fenestrarum in calidis Orientis regionibus; ubi fenestras sine vitris habent interiore parte angustiores, et convergentes, ut lumen quidem admitterent, pluviam vero arcerent, atque peristylio forinsecus ornatas, atque munitas.

17. *Et usque ad domum interiorem, et forinse-
cus per omnem parietem in circuitu intrinsecus,
et forinsecus ad mensuram:* intellige verbum:
omnia ubique erant exacta ad mensuram.

18. *Et fabrefacta Cherubim, et palmae. Et
palmae inter Cherub, et Cherub, duasque facies
habebat Cherub.* Hic quoque idem verbum: *erant*,
intelligitur per duas anteriores partes huius versus.
In primo vero capite exhibiti sunt Cherubini cum
quatuor faciebus Ezechieli. Sed illi tamquam vivi
et ambulantes exhibebantur. Hic vero illorum tan-
tum effigies, atque figura caementario, aut scul-
ptorio opere erat expressa, atque efformata in pa-
rietibus. Itaque cum media tantum Cherubinorum
pars videri posset, altera autem dimidia absconde-
retur in pariete; consequens est, ut duae tantum
etiam eorum facies conspicuae essent. 19. *Faciem
hominis iuxta palmam ex hac parte, et faciem
leonis iuxta palmam ex alia parte, expressam per
omnem domum in circuitu.* 20. *De terra usque
ad superiora portae, Cherubim, et palmae cae-
latae erant in pariete templi.* Portae, ut supra
versu 17. ostia, sunt positae pro fenestris, et ultra
quas ab imo usque sursum figurae illae in pariete
tenderentur. 21. *Limen quadrangulum, et facies
sanctuarii, adspectus contra adspectum.* Portae
sanctuarii limen fuit quadrangulare, et facies san-
ctuarii, hoc est, figura parietis cum altero sibi e
regione posito conveniebat, et utriusque eadem
forma fuit. 22. *Altaris lignei trium cubitorum*

altitudo, et longitudo eius duorum cubitorum, et anguli eius, et longitudo eius, et parietes eius lignei. Et locutus est ad me: haec est mensa coram Domino. Altare hoc erat thymiamatis. 23. *Et duo ostia erant in templo, et in sanctuario.* 24. *Et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola*, valvas nos dicimus, *quae in se invicem plicabantur. Bina enim ostia erant ex utraque parte ostiorum.* 25. *Et caelata erant in ipsis ostiis templi Cherubim, et sculpturae palmarum, sicut in parietibus quoque expressae erant. Quamobrem et grossiora erant ligna in vestibuli fronte forinsecus.* 26. *Super quae fenestrae obliquae, et similitudo palmarum hinc, atque inde in humerulis vestibuli secundum latera domus, latitudinemque parietum.*

CAPVT XLII.

Etiam isto adhuc capite continuatur descriptio aedificiorum templi.

1. *ET eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad Aquilonem, et introduxit me in gazophylacium, quod erat contra separatum aedificium, et contra aedem vergentem ad Aquilonem.* Fuit superiore capite, circa templum fuisse undique alia constructa aedificia, sed separatim, et ne murus idem horum aedificiorum esset cum muro

templi. Ultra igitur haec aedificia nunc rursus alia ponuntur, quae dicuntur gazophylacia; sed in Hebraeo rursus pro gazophylacio tantum est vocabulum, quod significat *conclave* (הַלִּשְׁכָּה) 2. *In facie longitudinis centum cubitos ostii Aquilonis, et latitudinis quinquaginta cubitos:* Quod gazophylacium in sua longitudine tenderetur per centum cubitos ex ea parte, quae ad ostium Aquilonare spectaret templi; quinquaginta autem cubitis in latum: 3. *contra viginti cubitos atrii interioris, et contra pavimentum stratum lapide atrii exterioris, ubi erat porticus iuncta porticui triplici.* Contra viginti cubitos, hoc est, quod gazophylacium esset e regione utriusque atrii interioris, et exterioris in distantia cubitorum viginti. *Ubi erat porticus iuncta porticui triplici.* Non quod haec porticus loco esset coniuncta aliis porticibus, sed quod ex ea plaga Aquilonari extrorsum deinde sequeretur haec porticus, quemadmodum tres similes porticus viserentur ad reliquas plagas, et latera templi, ultra ea aedificia, quae exstructa essent circa idem templum. Sunt porticus ambulacra superne tecta adversus imbres, undique autem ex lateribus aperta, ita ut solum tectum columnis tantummodo fultum sit.

4. *Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis, ad interiora respiciens viae cubiti unius.* Hoc est, totum ambulacrum erat latum cubitos undecim: cubitusque undecimus accesserat, quod haec porticus ex ea parte, qua

spectabat ad gazophylacium, et cui esset contigua, nullo margine clauderetur, ex parte autem contraria marginem lapideum haberet. Intelligitur ergo fuisse ambulacri tota latitudo cubitorum duodecim, sed ex quo numero cubitus unus ad exteriorem marginem pertineret. *Et ostia eorum ad Aquilonem:* non porticuum, hae enim carebant portis, sed gazophylaciorum, de quibus sermonem coepit instituere, eumque nunc continuat: 5. *Ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora, quia supportabant porticus, quae ex illis eminebant de inferioribus, et de mediis aedificii.* Nempe haec conclavia erant alia aliis superaedificata: quamobrem sequente versu tristega, quae vox Graeca est, et contignationes significat, vocantur: deinde murus ex parte exteriore sustentabat etiam tectum vicinae porticus, et ab imo ductis in eodem muro columnis, et ex medio eius factis lapideis brachiis, quibus sustentaretur ex ea parte tectum porticus. 6. *Tristega enim erant, et non habebant columnas, sicut erant columnae atriorum: propterea eminebant de inferioribus, et de mediis, a terra cubitis quinquaginta.* Hebraeus non habet haec verba: *cubitis quinquaginta.* Deinde, ubi verbum latinus posuit: *eminebant*, in Hebraeo est *Neetzal* (נֶאֱצַל) quod significat constrictum, et compressum esse: estque de conclavibus, quorum superiora compressa, quoad altitudinem, atque humiliora iis erant, quibus insistebant. Sensus igitur est, quod cum haec conclavia ab imo usque sursum ductas

columnas non haberent, quibus deinde superior aedificii moles incumberet, utpote quae columnae nec quadrarent, cum aedificium in contignationes divideretur, fuisse sic aedificata; ut infimo conclavi medium, et isto rursus supremum esset humilius, quo nimirum superiores partes aedificii ab inferioribus facilius sustentarentur.

7. *Et peribolus exterior secundum gazophylacia, quae erant in via atrii exterioris ante gazophylacia, longitudo eius quinquaginta cubitorum.* Peribolus est vox Graeca, et Latine significat septum. Habuit ergo gazophylacium ex parte exteriore, et ab aversa parte a templo iterum cincturae aliquod genus, quod tenderetur iuxta eadem gazophylacia, et quae peribolus in hac via atrii exterioris, de qua nunc sermo est, longa esset cubitos quinquaginta. 8. *Quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris quinquaginta cubitorum, et longitudo ante faciem templi centum cubitorum.* Gazophylacium modo memorabatur, quod erat situm ad partem templi Aquilonarem. Ante faciem autem templi, hoc est, quod gazophylacium directe anteriori parti templi esset obversum, atque ante frontem eius collocatum, dicitur latum centum cubitos fuisse. 9. *Et erat subter gazophylacia haec introitus ab Oriente ingredientium in ea de atrio exteriori,* 10. *in latitudine periboli atrii, quod erat contra viam Orientalem in facie aedificii separati, et erant ante aedificium gazophylacia.* Aedificium sepa-